# EXERCITIA SVB NOCTVRNIS VIGILIIS frequentanda.

## Surgendo ad Matutinas.

*Excitatus abſque mora ſurgens, ante omnia ſigno crucis te conſigna, dicens:*

IN nomine & virtute atque ad honorem Patris Filium nobis dantis.

Et Filij, pro nobis in vtero Virginis incarnati.

Et Spiritus ſancti, per crucem Chriſti ad eius reſurrectionis gloriam nos perducentis.

Amen, fiat in nobis, de nobis, & per nos tua voluntas ſemper & vbique.

*Deinde offer Deo primitias cogitationum tuarum per aliquas potiùs orationes iaculatorias, ſeu mentales aſpirationes, quàm per aliquam vocalem orationem, quæ facilè diſtractionem admittit. Igitur dum te induis & præparas, leua tuam animam ad Deum per aliqua Dei nomina amabilia, quæ iam memoriæ commendaſti, aut per alias aſpirationes & obſecrationes mentales.*

*Indutus autem & præparatus accedens ad oratorium, aqua benedicta te aſpergens, dic:* Aſperges me Domine, &c. *Deinde præmitte horis de Beata, breuem hanc preparationem.*

SVperamandiſſime IESV, gratias ago tibi pro eo quòd dormientem præſeruaſti à ſubitanea morte & alijs periculis atque ab immunditijs mentis & corporis. Et fouiſti me quiete & ſomno neceſſario. Excitaſti & ſurgere me feciſti ad ſeruiendum tibi: Et in eadem charitate me, quæſo, & nos omnes tibi ſeruire volentes ſanctifica, excita, conforta & adiuua, vt propter te tuumque amorem & beneplacitum, per te & tecum poſſimus has horas & orationes reuerenter, attentè & deuotè perſoluere, in vnione orationum quas tu & ſancti tui hîc feciſtis. Ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem. Amen per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, Angelicúmque miniſterium. O Maria mater Dei & noſtra: ô Angeli, ô patroni mei, ô ſancti huius diei, ô omnes beati; laudans & ſalutans vos, atque gratias agens pro omni bono vobis, & nobis per vos dato: obſecro, magnificate & orate Dominum nobiſcum.

## ADMONITIO IN SEQUENTEM præparationem generalem ante horas Canonicas.

*QVIA Eccleſiaſtici 18. ſcriptum eſt: Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum: Ideò multiplices ad hoc præparationes, mente potiùs quam ore legendas aut cogitandas proponimus tibi (ô deuotè exercitator)*





*vt ex eis eligas & exerceas, quantum tuo otio & tioni conueniens fuerit.*

*Atque in primis ponitur prolixior præparatio per orationem ad Dominum Ieſum. Cuius initium valdè notandum eſt, quoniam eo fructuoſiſſimè vti poteris pro præparatione ante quamlibet meditationem prolixiorem. Hîc enim primo agnoſcis & confiteris Dominum Ieſum tuum eſſe fideliſſimum amatorem, verumque Deum & verum hominem: proptereà fiducialiùs & familiariùs ad eum orationem tuam dirigis.*

*Deinde per decem ſuperlatiua Dei nomina, valdè notanda, te excitas ad ſentiendam Dei præſentiam & reuerentiam, & ad confidenter illum exorandum, reciprocóque amore amandum & grato obſequio colendum.*

*Poſtea eundum Dominum Ieſum agnoſcis & profiteris eſſe ſecundum diuinitatem, vnum cum Patre & Spiritu ſancto Deum ac Dominum vniuerſorum: Et recolis qualiter tota triumphans Eccleſia (ſcilicet B. Maria & omnes Angeli & ſancti beati) Deum vnitrinum adorant, laudant, amant, & ei obſequuntur.*

*Atque ad te oculos mentis reflectens, agnoſcis & profiteris tuam vilitatem & indignitatem ad Deum laudandum vel inuocandum.*

*Deinde erigeris in confidentiam Diuinæ laudis & inuocationis, ex Dei dignatione & benignitate volentis & gratum habentis vt ipſum laudes & exores: Sed quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, ipſum obſecras, vt te priùs purget ab omni peccato. Ad quod efficatiùs obtinendum, plurimas obſecrationes facis: quibus in cæteris orationibus & petitionbus tuis, quas inſtantiùs deſideras exaudiri, vti poteris fructuoſiſſimè. Obſecrando autem*

*petis vt Dominus Ieſus te purget & ſanctificet, ſuſcipiátque in ſeruum & amicum, & in omnibus, iuxta ſuum beneplacitum dirigat. Quod vt fiat, rogas vt diuinitatem ſuam (quam credis tibi eſſe præſentiſſimam & intimam) permittat in te liberè operari, per merita & virtutem ſacramenti & ſacrificij ſui precioſi corporis & ſanguinis, quod iam ſpiritaliter offers & ſumis.*

*Deinde per decem illa verba: (ſanctifica, excita, conforta, cohibe, compone, ſtabili, reple, illumina, affice, & adiuua) poſtulas omnia quæ ad deuotè pſallendum & Canonicas horas perſoluendum, ſunt neceſſaria. Vnde debes diligenter ea decem verba cum ſua interpretatione memoriæ commendare, ſunt enim vtiliſſima ad cuiuſlibet orationis prolixioris vel meditationis præparationem.*

*Octo autem illæ conditiones diuinum officium dignè perſoluendi (cum timore & reuerentia & alijs) ſumptæ ex beati Bernardi doctrina, ſunt ſollicitæ obſeruandæ, ſicut etiam ſequentes (viua & rotunda voce, &c.) quæ ſunt ex ſtatutis noſtris deſumptæ.*

*Porrò quæ ſubſequuntur (te adorare cum intima, &c.) continent interiores actus deuotionis, & varios affectus inter pſallendum, ex D. Bonauenturæ doctrina, exercendos.*

*Poſtea ponuntur decem conditiones Deum exorandi efficaciſſimæ (ſcilicet amanter, fideliter, &c.) quorum explicatio alibi habetur in tractatu ſecundo exercitiorum triplicis vitæ, vbi exponuntur conditiones veræ orationis.*

*Hæc etiam quatuor quæ ſubſequuntur vocabula (propter te, ſecundum te, per te & tecum, valdè ſunt notanda cum ſua interpretatione: ſunt enim multùm efficacia ad dirigendam rectam intentionem,*

*& gra*



*& gratiam obtinendam.*

*Quæ verò poſtea ponuntur vniones, quibus tuam orationē, ex ſe tepidā & imperfectā, vnis & adiūgis mutuæ ipſius ſuperſanctiſsimæ Trinitatis cōplacentiæ & laudi, & omniū ſanctorū precibus & exercitijs, ac Angelicis laudibus ac miniſterijs, plurimùm augent meritum & efficaciam tuarum exercitationum & orationum omnium.*

*Deinde offers & dirigis omnia tua exercitia iuxta intentionem Eccleſiæ & ordinis, tuamq; ſpecialem deuotionem ad Dei & ſanctorum laudem, tuamq; & omnium ſalutem: quod eſt vtiliſſimum.*

*Poſtremò, fiducia iam de Dei adiutorio concepta, incipis beatorū actus exercere, ex ſola Dei dignatione, & deſiderio gratū ei obſequium præſtandi, idq; ex affectu & deuotione B. Mariæ & omniū Angelorum & ſanctorū, quatenus per hoc ſuppleatur tua tepiditas & indeuotio: Et ex parte non ſolū tua, ſed (vt cōmunior & efficacior ſit tua oratio) ex parte omniū fideliū hîc adhuc in terra degentiū & animarū purgandarū, maximè verò ex parte ſpecialiū Dei amicorū (quos, licet tibi ignotos, amas & veneraris) & ex parte tuorū ſpecialiū, hoc eſt, tuorū parentū, prælatorū, cōfratrū, cōfœderatorū, benefactorū, amicorum, & tibi cōmendatorū. Quos omnes deſideras eſſe participes tuarum exercitationū & orationum.*

*Pro Organo autem tuæ laudis, aſſumis cor Domini Ieſu (quod eſt diuinitatis gazophylatium, omnis boni contentiuum: & ſuperadorandæ Trinitatis Organum ſuauiſsimum) Et eius ſpiritum, quem non ad menſuram, ſed cum omni plenitudine in ſui conceptione accepit.*

*Sicq; per cor & ſpiritum humanum Domini Ieſu, ipſum coæternum Dei patris Filium cum eodem Patre & ſpiritu ſancto vnū Deum in perſonis*

*trinum*

*trinum. Ex tribus mentis tuæ ſuperioribus viribus & potētijs (in qubus ſuperbeatiſsimæ Trinitatis imago relucet) beatorum actus imitans, adoras, glorificas, amas, eique congaudes atque gratias agis, & te totum in eius obſequium offers, non ſolum pro bonis quæ à Deo accepiſti; ſed pro omni bono quod eſt ipſe Deus infinitus, Et pro omni bono quod habet, & poſsidet, vel operatur in omnibus & ſingulis creaturis: Item pro omnibus nominibus & perfectionibus eius: quæ licet re ipſa & eſſentialiter idem ſint quod ipſe Deus: diuerſis tamen rationibus & conſiderationibus à nobis concipiuntur & intelliguntur.*

*Specialiter etiam gratias agis pro omnibus, quæ in ſua incarnatione, vita & paſsione Dominus Ieſus aſſumpſit, fecit & pertulit. Necnon pro vniuerſis beneficijs collatis & conferendis. B. Mariæ & omnibus Angelis & ſanctis: atque etiam tibi & tuis ſpecialibus atque omnibus creaturis. Quæ gratiarum actio, quantò eſt communior & ad plura ſe extendit, tantò eſt Deo gratior, & maioris meriti ac efficaciæ. Vnde etiam vtiliſsimè deſideras omnes tuas orationes & canonicas laudes offerri Deo in horum omnium recognitionem & gratiarum actionem.*

*Porrò Dominica Oratio cum breui, ſed deuota explicatione, ideò ſubiungitur, quia in ea continetur & petitur, quicquid ſalubriter deſiderare & petere poſſumus & debemus. Vnde debet eſſe fundamentum & regula omnium petitionum noſtrarum: ac propterea ſolet præmitti ante initium omnium & ſingularum horarum & laudum canonicarum. Cui additur ſalutatio Angelica cum breuibus aſpirationibus, ad ſingulos eius articulos, ex libello B. Gertrudis deſumptis. Sicque completur iſta præparatio generalis ad diuinum officium dignè ac deuotè perſoluendum. Quam ſi non licuerit tibi (ô deuotè exercitator) nocturno tempore legere, aut exercere, poteris manè, aut ante veſpertinum officium, id ſupplere, ſi non quotidie, ſaltem ſemel aut pluries in hebdomada: vt breuiori præparatione (quæ hîc poſtea habetur) vtens, intentionem tuam & deuotionem ad hanc prolixiorem præparationem facilius referas.*



*Idem obſeruabis in his, quæ ſequuntur, ſalutationibus & inuocationibus beatæ Mariæ, Angelorum, Patronorum & omnium ſanctorum, quibus vteris, quando & quoties tibi vacabit & te iuuabit.*

*Huic prolixiori orationi ante horas Canonicas, ad Ieſum directæ, ſubiunguntur ſalutationes & commēdationes ad B. Mariam, Angelos, Patronos & ſanctos omnes: quæ conuenientius ponerentur & exercerentur ante illam prolixiorem ad Ieſum præparationem, ſi per otium vacaret & liceret vtrumq; facere: vt inuocatis prius ſanctis, poſtea fiducialius & efficacius inuocaretur ex eorū affectu & deuotione Ieſus Dominus: Sed quia raro datur Cartuſianis inter matutinas de Beatiſſ. & de tempore ſpacium ſufficiens ad vtrumq; perficiendum, ideò præmittitur præparatio ad Ieſum, quæ eſt magis neceſſaria, vt ea ſaltem fiat, ante matutinas de tempore. Alias autem ſalutationes, quando vacabit, leges & præſertim ſalutationem. B. Mariæ, quam ſi deuotè frequentaueris (deuote Orator) per eam concipies ſingularem deuotionis affectū & confidentiam erga hanc miſericordiæ matrem & aduocatam noſtram, & efficacius eius auxilium & patrocinium impetrabis & ſenties: tuáque omnia vota & opera illius meritis adiuncta & per manus eius filio ipſius Domino noſtro oblata, ſupplebuntur*

*ſupplebuntur, acceptabuntur & perſicientur. Ergo, ſi tibi vacat, quotidie illam ſalutationem lege, aut ſaltem ſemel in hebdomada, ſi pluries non potes legere. Angelorum inuocatio eſt vtiliſsima, tum ad excitandam tepiditatem noſtrā in orando & pſallendo, vbi ipſi nos præueniunt & comitātur, tum ad impetrandum efficaciùs, quod per eorū miniſteriū offerimus, tùm etiam ad percipiendum fructuoſius eorum auxiliū & patrociniū, quod iugiter, & maximè in hora mortis, impendunt ſibi deuotis. Propterea hîc ponitur ſpecialis inuocatio ad B. Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Angelum cuſtodem, Archangelum monaſterij & Ordinis: & generalis ad omnes beatorum ſpirituum ordines ſimul.*

*Expedit etiam, vt quilibet deuotus habeat aliquos ſanctos, quos tāquam ſingulares patronos quotidiè veneretur & inuocet. propterea ſubiungitur ſpecialis inuocatio ſanctorū. S. Ioannis Baptiſtæ, Euangeliſtæ, Ioſeph, Ioachim, Annæ, Petri & Pauli, Brunonis & aliorum religioſi inſtituti Patriarcharum, Magdalenæ & Barbaræ. Quilibet autem poterit his aut horum aliquibus omiſsis, alios quos voluerit ſibi eligere, & aſſumere ſingulares patronos.*

*Inuocandi etiam ſunt quotidie illi ſancti qui illo die in cælum introierunt, aut quorum feſtum, vel memoria eo die in Eccleſia recolitur, quatenus efficiamur abundantiùs participes meriti & gloriæ eorum, necnon deuotionis omnium, qui eos deuotè venerantur.*

*Omnes denique ſanctos cum Chriſto iam regnantes expedit venerari, vt per eorū exempla, preces & merita ad eorum tandē conſortium & gloriā perueniamus: Propterea per ſingulas hebdomadæ ferias aſsignantur aliqui chori ſanctorum ſpecialiùs*





*inuocandi, & ex ſingulis choris quorundam nomina exprimuntur, qui præter quotidianos & ſingulares Patronos, aſſumuntur & coluntur tanquam ſpeciales Patroni.*

## *PRAEPARATIO AD HOras Canonicas de tempore deuotiùs dicendas, quæ dictis Matutinis de Beata, exerceri poterit, quando datur prolixius ſpatium ante Matutinas diei, aut manè, vel ante veſpertinum officium.*

O Vnice, Fideliſſime & certiſſime amator, Domine IESV CHRISTE, Fili Dei & ſemper virginis Mariæ, Deus & homo perfectiſſime.

1. Tu es nobis PRAESENTISSIMVS, in cuius etiam præſentia & conſpectu ſtamus, & ſtare deſideramus.
2. Tu es REVERENDISSIMVS, quem ſummè reuereri debemus, & volumus.
3. Tu es nobis INTENTISSIMVS, ſingulariter nobis intendens, cui etiàm toti intendere deſideramus.
4. Tu es SAPIENTISSIMVS, ſciens que nobis ſunt vtilia.
5. Tu es PROMPTISSIMVS, & paratiſſimus nobis ſuccurrere.
6. Tu es POTENTISSIMVS, ad nos exaudiendum & iuuandum.
7. Tu es noſtri AMAMTISSIMVS, infinita charitate nos amans.
8. Tu es BENEFICENTISSMVS, quia

innumera beneficia nobis hactenus contuliſti, & conferre non ceſſas.

9. Tu es SVPERAMANDISSIMVS, quẽ ſuper omnia amare debemus & volumus.

10. Tu es SVPERCOLENDISSIMVS, cui ex amore ſeruire, & in omnibus obedire tenemur & deſideramus.

Tu cum Patre & Spiritu ſancto vnus es Deus, vnus es Dominus: quem adorant Dominationes: tremunt Poteſtates: Ante cuius conſpectũ batiſſima virgo Maria, Throni, Cherubin & Seraphin, omnéſq; beati Angeli & ſancti cum ſumma humilitate, reuerentia & timore procidunt: téque iugiter adorant & reuerentur: te contemplantur & glorificant: téque amant, & tibi congratulantur: atque ſeſe totos in omne tuum obſequium libentiſſimè offerunt & impendunt.

Ego autem viliſſimus ſum terræ vermiculus. Ego ſum ingratiſſimus, infideliſſimus & prorſus abominabilis peccator: Qui ex me nihil ſum, ſcio, poſſum & habeo præter innumera peccata tibi ſoli plenè cognita: propter quæ non ſolum ſum indignus coram te aſſiſtere, oculos ad te leuare, aut nomen tuum inuocare vel laudare; ſed etiam digniſſimus, quem propter multiplicem infidelitatem & inobedientiam meam in infernum deiicias, aut tanquam tepidum de ore tuo euomas, vel certè velut immundum à te repellas. Sed quia tanta eſt dignatio & benignitas tua, vt digneris & velis à me, licet indigniſſimo, laudari & exorari: Ideò non ex aliqua prçſumptione, ſed ex hac ſola tua dignatione, multũ deſidero id nunc

face



facere: verumtamen quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, & peccatores in peccato permanentes non exaudis: vt non immundus & indignus te laudem & exorem, Obſecro te per tuam cum Patre & Spiritu ſancto ſummam & inſeparabilem vnitatem, intuitionem & laudem; dilectionem & fruitionem; communicationem & omnimodam beatitudinem: Per tuam erga nos gratuitam, infinitam & pluſquam paternam pietatem, prouidentiam, benignitatem: charitatem miſericordiam liberalitatem, & omnem eius effectum & plenitudinem: Per tuam Incarnationem, Natiuitatem, Circunciſionem, Apparitionem, Præſentationem & Vitam: Per Baptiſmum, Ieiunium, & tentationem & Transfigurationem: Per Paſſionem, Crucem & mortem: Per Reſurrectionem, Aſcenſionem & Spiritus ſancti miſſionem. Per ſacroſanctum corpus, ſanguinem, animam & diuinitatem tuam in altaris ſacramento verè preſentem. Per huius ſacramenti & ſacrificij inſtitutionem, venerationem & virtutem omnem; Per vulnerum tuorum dolorem & amorem: Sanguinis tui effuſiones & verborum tuorum efficaciam: Per nominis tui ſuauitatem & virtutem: Cordis tui fidelitatem, obedientiam & oblationem: Per dilectionem tuam ad Deum Patrem: ad Dulciſſimam Matrem tuam: ad Angelos, ad Patronos, & ſanctos huius diei & feriæ, & ad nos: Per omnia quæ aſſumpſiſti, feciſti, & pertuliſti pro noſtra omniúmque ſalute: Per beatiſſimæ Mariæ matris tuæ immaculatam Conceptionem, vitam, cõpaſſionem & glo-

rificatio

rificationem: Per beatorum ſpirituum miniſteria, laudes & merita: Per ſanctorum huius diei, & Patronorum meorum, ac omnium ſanctorum preces & merita: Per Eccleſiæ tuæ omniúmque tuorum ac meorum ſpecialium hîc adhuc degentium tribulationes, orationes & bona opera. Ad laudem & reuerentiam tuam (cui ſoli debetur omnis honor & gloria) per hæc inquam omnia, Obſecro te vt me, & meos ſpeciales, omnéſque fideles illumines, compungas, extrahas, abſoluas, præſerues, iuſtifices; & de tuæ paſſionis infinito theſauro plenam ſatisfactionem pro peccatis noſtris Deo Patri offerés, iram eius à nobis auertas: Et ex hac hora vſque in ſempiternum nos ſuſcipias in tuos diſcipulos, fideles ſeruos, & in amicos ac familiares tuos. Noſque in omnibus, per ſuauiſſimum Spiritum tuum & Angelicum miniſterium excites, dirigas & perficias ſicut magis expedit ad honorem tuum & animarum ſalutem: quoniam non deſideramus nobis viuere:, ſed tibi; vtinam dignè & perfectè.

Quod vt fiat, permitte (obſecro) & fac tuam diuinitatem in nobis præſentem, radiare & liberè operari in corpore & anima & ſpiritu noſtro: per ſanctiſſimum corpus animam & ſpiritum tuum, quæ cum omnibus tibi deuotis hodie offerre & ſumere deſideramus & per gratiam tuam proponimus: Et per eandem tuam diuinitatem & crucifixam humanitatem, nos omnes ſicut ſcis, vis & potes.

1. SANCTIFICA, & purga ab omni inquinamento mentis & corporis.





2. EXCITA, ab omni ſomnolentia torpore & negligentia.

3. CONFORTA, capus, pectus, vocem viréſque omnes animæ & corporis.

4. COHIBE, viſum, ſenſus, cogitationes vanas, hoſtéſque inuiſibiles & viſibiles.

5. COMPONE, vocem, geſtus & ſitum corporis ſub omni diſciplina, modeſtia, honeſtate & exemplaritate.

6. STABILI, in te & tua crucifixa imagine mentem & affectus, ne ad alia diſtrahantur.

7. REPLE memoriam placitis tibi obiectis & imaginibus.

8. ILLVMINA intellectum & ad te eleua.

9. AFFICE & ſuccende voluntatem tuo amore & feruore.

10. ERIGE, ad te noſtrum amorem ſpem & gaudium: Syntereſim excita; Conſcientiam irradia; compunge, purga & lætifica: Iraſcibilem vim conforta, ſuccende & pacifica: & ADIVVANS fac vt cum timore & reuerentia: cum ſenſu & affectu: cum exultatione & grauitate: cum humilitate & libertate poſſimus has horas canonicas & laudes perſoluere: Viua & rotunda voce cantare: bonam pauſam facere: ſimul cum alijs cantare, ſimul pauſare, & auſcultando ſemper concordare.

Te ADORARE, cum intima & profunda reuerentia: Te LAVDARE, & glorificare, cum cordiali complacentia: Tibi GRATIAS agere, cum grata & deuota beneuolentia: noſtráſque miſerias coram te conqueri & exponere. Cum DOLORE, de

præteritis peccatis & damnis: Cum pudore, de præſentibus peccati vulneribus: Cum timore, de ſupplicijs demeritis.

Tuam miſericordiam pro nobis & omnibus implorare & exorare, AMANTER, fideliter & humiliter, obſecranter, confidenter & feruenter: efficaciter, patienter, longanimiter & reſignanter.

Et has horas cæteráſque huius diei, & totius vitæ noſtræ exercitia, deſideria, verba, ſtudia, opera, paſſiones & merita, purè, PROPTER TE, tuúmque amorem & beneplacitum: SECVNDVM TE, tuæque ſapientiæ dictamen: PER TE, tuíque ſpiritus motionem & gratiam: AC TECVM, tibi cooperando, & tractum tuum perfectiſſimè ſequendo. Per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, Angelicúmque miniſterium deuotè inchoare, proſequi, conſummare ac offerre: in vnione perfectiſſimæ illius laudis & dilectionis, quibus altiſſima Trinitas ſeipſam intuetur & laudat, amat & cum gaudio amplectitur: & quæ ab ipſa Trinitate in humanum cor tuum, atque inde in omnes ſanctos fluens, rurſus in eandem ſuperſanctiſs. Trinitatem refluit: In vnione feruentiſſimarum & efficaciſſimarum orationum, laudum affectionum, verborum, operum, paſſionum, meritorum & exercitiorum, quæ tu Benigniſſime IESV, & deuotiſſima mater tua, ſancti huius diei, Patroni mei, & omnes beati, hîc quondam in terris feciſtis, & nunc adhuc in cœlo peragitis: In vnione laudum, gratiarum actionum & miniſteriorum, quæ omnes & ſinguli Angelici ſpiritus ab initio





tibi obtulerunt, offerunt & oblaturi ſunt. In vnione omnium orationum & bonorum, quæ in Eccleſia tua ab omnibus fidelibus tuis facta ſunt, fiunt, & perficientur: In plenitudine ſenſuum quos intendit Spiritus ſanctus: iuxta intentionem Eccleſiæ & ordinis, noſtramque ſpecialem deuotionem: in omnigenam hoſtiam & oblationem: Ad ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, tuæque crucifixæ humanitatis ſupremam latriam & adorationem: Tuæque matris Hyperduliam: Ac beatorum Angelorum ac ſanctorum omnium gloriam. Noſtramque & omnium pro quibus tu vis, aut tenemur vel intendimus orare, ſalutem omnimodam, iuxta memoriale per me fieri ſolitum.

Quæ omnia à te fideliter petens & confidenter expectans. Ecce iam non ex aliqua præſumptione vel propria quæſitione: ſed ex tua ſola dignatione qua dignaris à me laudari & exorari: & ex obedientia quam debeo & volo humiliter exhibere tuæ voluntati Dominæ & Reginæ meæ. Denique quia vis & ſicut vis, ad tuam gloriam & gratum obſequium tibi præſtandum, & ad omnium ſalutem (quam ſummè deſideras:) Ecce non ex affectu meo tepido & indigno, ſed ex affectu & deuotione, amantiſſimæ & deuotiſſimæ matris tuæ, beatorum Angelorum, ſanctorum huius diei & feriæ Patronorum meorum, omniumque glorificatorum: ex mea, tuorumque & meorum qui adhuc in mundo ſunt, ſpecialium, omniumque fidelium, & animarum purgandarum parte: per ſuauiſſimum cor & ſpiritum

tuum, Te cum patre & ſpiritu ſancto Trinum in perſonis & vnum in eſſentia & omni perfectione Deum ac Dominum vniuerſorum creatorem & gubernatorem, tota mente & memoria recolo, cogito, adoro & reuereor: Toto intellectu credo, contemplor, laudo & glorifico: Tota volũtate eligo, amo, amplector & tibi cõgratulor: Totoque corde & affectione gratias tibi agens, me totum cum omnibus animæ & corporis viribus ac ſenſibus, in omne beneplacitum tuum & gratiſsimum obſequium, ad omnia tam aduerſa quam proſpera in tempore & æternitate, tibi ex amore offero & integrè reſigno: pro omni bono quod es, quod habes & quod operaris: pro omnibus nominibus & perfectionibus tuis: pro omnibus quæ tu Domine IESV pro nobis homo factus aſſumpſiſti feciſti & pertuliſti: pro omnibus donis & beneficijs beatiſſimæ Matri tuæ, beatis angelis, ſanctis huius diei & feriæ & patronis meis atque omnibus glorificatis: Sed & mihi & tuis ac meis omnibus ſpecialibus vniuerſæque creaturæ à te exhibitis & exhibendis. Et in horum omnium recognitionẽ & gratiarum actionem, Ecce tibi offero omnes quas perſolui & perſoluturus ſum horas Canonicas & orationes.

*BREVIS EXPLICATIO ORAtionis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ, quæ vtiliter poterit præmitti ante horas canonicas, & hæc ſola ſufficere poſſet pro præparatione quando non vacat plura meditari.*





PATER miſericordiarũ: NOSTER Frater, noſtrarum particeps miſeriarum: QVI ES IN COELIS, & in ſanctis Deus totius gratiæ & conſolationis, gloriæ & beatitudinis.

Quia vis, & ſicut vis, per virtutẽ offerendi ſacrificij & obſequij. Sic obſecramus.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM, ſic purè perfectè, & ſtabiliter agnoſcatur, adoretur, ametur, quæratur, intendatur & glorificetur nomen tuum paternum & diuinum in omnibus & præ omnibus.

Sic, ADVENIAT REGNVM, tuæ illuminationis directionis & tãdem claræ viſionis & pleni dominij. Sic amãter, ſic ſimpliciter & fideliter, ſic humiliter & cõfidẽter, ſic magnanimiter & fortiter, ſic liberaliter & hilariter, ſic feruenter & velociter, ſic integrè & ꝑſeuerãter, FIAT VOLVNTAS TVA, beneplacẽs & perfecta à nobis, de nobis, & in nobis adhuc militãtib9, IN TERRA SICVT, facta eſt & fit à te IESV Chriſto hoĩe, & à mr̃e tua omnibuſq; angelis & ſãctis tecũ triũphãtib9, IN COELO.

Ad hoc triplex deſideriũ cõſequẽdũ, nõ ob aliũ finẽ, PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM, pœnitẽtialẽ, ſuperſubſtãtialẽ, ſpiritualẽ & corporalẽ, DA NOBIS HODIE, de paterna tua ꝓuidẽtia ſperare, petere, quærere, ſuſcipere, cõſeruare & eo ꝓpter te & ſcdm te vti.

Et in ſanguine tuo & ſacratiſſimis vulneribus, in immenſo igne amori tui: in abyſſo miſerationum & meritorum tuorum, DIMITTE NOBIS, omnia & ſingula. DEBITA, & peccata, NOSTRA, nouiſſima & antiqua, propria & aliena.

SICVT ET NOS, tui amore & imitatione, DIMITTIMVS, & ex corde ignoſcimus omnibus & ſingulis, DEBITORIBVS NOSTRIS, qui nos quouis modo vnquam offenderunt. pro quibus tuo affectu orantes dicimus: Pater ignoſce illis: quibus etiam benefacere, quoties occaſio ſeſe obtulerit parati ſumus. ET NE NOS INDVCAS, & ſuccumbere permittas, IN TENTATIONEM, mundi, carnis & Diaboli, & recidiuum cuiuſcunque peccati.

SED LIBERA NOS A MALO, pœnæ, quod iuſtè pro peccatis noſtris patimur, aut pati meremur.

Libera nos à vulneribus & reliquiis peccatorum noſtrorũ: concupiſcẽtia, ignorantia, infirmitate, captiuitate & malitia. Libera nos ab iracundiæ tuæ flagellis, & pœnis nociuis, preſentibus, imminẽtibus & futuris.

AMEN. Ita quæſo fiat, ſicut amanter, fideliter, humiliter, obſecranter & confidenter petimus. O Benigniſsime Pater, propter bonitatem tuam: Per IESVM dilectiſſimum filium tuum, in quo tibi ſemper benè complacuiſti, & nos gratificaſti: in cuius etiam nomine nos petentes, ſemper exaudis. Per omnia quæ aſſumpſit, fecit ac pertulit pro noſtra ſalute: IN SPIRITV SAN TO In amore illo quo tu eundem filium tuum nobis dediſti & pati voluiſti: Et quo ipſe ſemetipſum tibi pro nobis obtulit in cruce: & adhuc quotidie in miſſę ſacrificio ſe offert & offertur: Atque vultui tuo ſemper aſtat pro nobis. Intercedente B. Maria matre eius, & omnibus beatis Angelis & Sanctis.





AVE MARIA: Grauatos alleuia. GRATIA PLENA: Aridis gratiam impetra. DOMINVS TECVM: Qui per te peccatoribus indulgeat.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS: Eya imperfectos & proficere volentes benedicas.

ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI: qui per te proficientes & perfectos reficiat & benedicat.

IESVS CHRISTVS: qui nos ſaluet & ſanet.

SPLENDOR PATERNAE GLORIAE: qui nos illuminet.

ET FIGVRA SVBTANTIAE EIVS: qui nos inflammet & ſibi conformet.

SANCTA MARIA mater Dei & virgo Angeli, Sancti huius diei, Patroni mei, & omnes beati & electi Dei, Orate pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis. Et magnificate & exorate Dominum nobiſcum.

*SPECIALIS SALVTATIO ET commendatio Ad Dei genitricem nocturno, vel Matutino tempore facienda pro vt licuerit & libuerit.*

O DOMINA MEA SANCTA MARIA: O Mater Dei & Domini noſtri IESV Chriſti ſuperdigniſſima. O Virgo ſemper puriſſima, humillima & mitiſſima. O Angelorum imperatrix glorioſiſſima: O Sanctorum om-

nium Regina ſāctiſſima: O noſtra ſingularis Mater & aduocata, poſt Deum potentiſſima ſapiētiſſima & benigniſſima: opulentiſſima, liberaliſſima & magnificentiſſima: Non ex affectu meo, quia nimis tepidus & indignus ſum, ſed ex affectu omnium, tibi deuotorum Angelorum & hominum: Ex mea ſpecialiumque meorum & omnium fidelium parte: per ſuauiſſimum Cor Domini noſtri Ieſu Chriſti, Dei patris tuique filij amantiſſimi te ſaluto, laudo & glorifico, tibique congratulor: Et tecum Deo gratias ago pro omnibus bonis tibi, & perte nobis collatis & adhuc conferendis. Obſecrans te per charitatem, qua te Deus ab æterno præelegit in matrem, dilexitque & exaltauit ſuper omnem puram creaturam: Per tuam & filij immaculatam Conceptionem, & lætam Natiuitatem: Per virginei cordis tui erga filium amorem & dolorem incomparabilem: omneque miniſterium à te illi impenſum: Per tuam Aſſumptionem & glorificationem: Per tuam erga nos maternam pietatem, fidelitatem, miſericodiam, dulcedinem & charitatem: omnemque eius effectum & plenitudinem: Per hæc inquam omnia obſecro & humillimè ſupplico, vt me vilem, pauperem, miſerum peccatorem, ingratum & omni tuo beneficio indigniſſimum, de tua tamen materna pietate plenè confidentem, & ad te vnicum miſerorum refugium & ſolamen confugientem: meoſque omnes ſpeciales, maximè afflictos, & tentatos, infirmos & in periculis conſtitutos, & mihi ſpecia-





liūs cōmendatos, blādè & miſericorditer ſuſcipias: Et ꝓ vnigenito filio tuo ꝓ nobis captiuato, ligato & afflicto, nos ſeruos & captiuos ad pedes tuos ſic retineas, vt deinceps à cultu & ſeruitio tuo recedere nō valeamus.

Obſecro etiam te, adopta nos in filios: ſuſcipe in maternam tuam cuſtodiam & diſciplinam: in gratiam & amorem, in patrocinium & tutelam materni cordis tui. Adſcribe nos in eorum numero, quos ſingulari gratia in corde tuo habes prædilectos & impignoratos: quos iugiter foues, protegis & in omnibus iuxta ber eplacitum filij tui dirigis, honeſtas & perficis, & qui te viciſſim ſingulariter amant & colunt, qui te imitantur, & tibi in ſpiritu & veritate ſeruiunt & famulantur.

Purga nos & præſerua ob omnibus vitiis, his maximè quibus ſæpius impugnamur. Orna tuis virtutibus, præſertim tua Humilitate, Caſtitate, Sobrietate, Charitate, Obedientia & manſuetudine. Impetra nobis ſpiritusſancti motionem & Angelicā directionem in omnibus quæ ad ſtatum, officium & debitum noſtrum pertinent: & votorum ac propoſitorum bonorum ſimplicem, fidelem, amoroſam & integrā impletionem, neceſſariorū prouiſionem, negotiorū & ſtudiorum noſtrorum ſalutarem expeditionem, malorum liberationem & præſeruationem, & omnium bonorum quæ ad Dei honorem, animarumque noſtiarum ſalutem pertinent conceſſionem. Ora etiam pro infirmis, captiuis, tentatis, afflictis, nouitiis & animabus purgandis. Et hanc domum tuam

vniuerſumque ordinem noſtrum, Eccleſiam & Regnum in omnibus tàm interioribus quàm exterioribus ſic conſerua, rege & guberna, vt cultus Dei & tuus, animarumque ſalus hîc ſemper vigeat & creſcat. Denique fac, vt per filij tui paſſionem & mortem, tuamque interceſſionem & merita, perfectè ab omni culpa & pœna hîc purgemur, in tuo ſeruitio & cultu ſemper proficiamus, & vſque in finem perſeueremus, & ſtatim poſt mortem ad æternam Dei fruitionem tecum perducamur. Specialiter autem da nobis hunc diem deuotè tranſigere ſub honore & veneratione tuæ.

Dominica / Feria:
1 ÆTERNAE Prædeſtinationis & immaculatæ Conceptionis.
2 NATIVITATIS & Præſentationis.
3 DESPONSATIONIS & Annunciationis.
4 VISITATIONIS & partus.
5 PVRIFICATIONIS & Cohabitationis cũ filio.
6 COMPASSIONIS & ſanctæ Conuerſationis.
7 FAELICIS tranſitus & Aſſumptionis.

QVod vt fiat, Ecce virgineo cordi tuo piiſſimo, & tuis manibus puriſſimis commendamus omnia noſtra Exercitia, verba, vota, opera, paſsiones & ſtudia: vt tu





ea ſuſcipiens, purges, ſuppleas, tuis adiungas, perficias & in Cor filij tui offeras. Ad quod nunc & ſemper & maximè in hora mortis nos introducas, & quieſcere facias, Amen.

*Ad B. Michaelem Archangelum.*

AVE & tu per ſuauiſſimum Cor Domini IESV, glorioſiſsime princeps totius Eccleſiæ, Michael Archangele, mi Pater & ſingularis patrone: Aue dux cœleſtium exercituum, debellator malorum ſpirituum, ſuſceptor animarum: Aue Eccleſiæ Catholicæ poſt Chriſtum rector, protector & defenſor admirabilis: Aue cultor, zelator & Amator Virginitatis, caſtarũque animarũ tutor & director præcipuus: Aue qui multis dignitatibus, officiis & beneficiis præ aliis beatis ſpiritibus nobis honorabilis & amabilis. Eya me & omnia mea, domumque iſtam & vniuerſum ordinem noſtrum, Eccleſiam, Regnum & hanc Diœceſim in tuam tutelam & directionem ſpecialem ſuſcipe: in tentationibus nos protege: hoſtes omnes reprime & expugna: In tribulationibus nos conſolare & conforta: A malis præſentibus & imminentibus nos libera & præſerua; In ſtudiis & negociis nos dirige, promoue & perfice: In hora mortis nos defende, ſuſcipe & ad regnum cœleſte tecum introduc. Amen.

*Ad S. Gabrielem Archangelum.*

AVE & tu per ſuauiſſimum Cor Domini IESV, Gabriel deuotiſſime Archan-

gele, Dei fortitudo, & cœleſtis paranymphe: Eya Eulogium & laudem Dei propter nos incarnati crebro nobis annuncia: gratiam apud Deum nobis inuenire facito, & nos modum dignè eadem gratia vtendi doceto: atque in omnibus nos dirige, caſtifica & perfice.

*Ad S. Raphaelem.*

AVE & tu per ſuauiſſimum cor Domini IESV Raphael medicina Dei, compeſce dæmonium, defende nos ab omni periculo, conſolare nos & adiuua in omni tribulatione: peregrinantes & itinerantes nos comitare, dirige & tuere: Et in omni vitæ huius neceſſitate nobis ſuccurre.

*Ad proprium Angelum, & peculiares domus & ordinis Archangelos.*

AVE & tu per ſuauiſſimum cor Domini IESV; ſingulari affectu, mi cuſtos angele pietate ſuperna mihi peculiariter deputate: Aue & tu Archangele huius monaſterij: Aue & tu Archangele totius ordinis noſtri ſpecialis gubernator cum ſociis. Eya humiliter vobis gratias ago pro veſtra fideli cuſtodia & benignitate: Et obſecro vt me propter multiplicem meam irreuerentiam, inobedientiam, negligentiam, ingratitudinem & alios defectus non deſeratis: ſed his omnibus veſtra interceſ-





ſione deletis & ſanatis, Aſſiſtite mihi vt dignè ambulem in vocatione mea.

*SI IN OFFICIO PRAELATIOnis fueris constitutus adde quod ſequitur.*

ET in onere mihi impoſito, meliùs ſolito præſim & proſim: præſeruate etiam me ab omni actiuo & paſſiuo ſcandalo: & loco mei meliorem & vtiliorem ſubrogari citiùs procuretis: in quo & in omnibus aliis non mea, ſed Dei bona voluntas fiat.

Et quoniam nimis ſum infirmus, ignarus, tepidus, inſtabilis & ad omne malum procliuis: hoſtibuſque fortiſſimis, aſtutiſſimis & crudeliſſimis vndique circundatus, & in maximis ſemper periculis conſtitutus: cuſtodite me, obſecro, in omnibus viis meis: in manibus veſtris me portate, & ab hoſtium omnium inſidiis & impugnationibus protegite & liberate: in omnibus operibus & ſtudiis meis me excitate, dirigite, adiuuate & perficite: Et omnia mea vota & opera Deo offerte: Mihiſque & omnibus pro quibus teneor & intendo orare optatam gratiam referte, Atque in hora mortis me protegite, conſolamini, ſuſcipite & ad regnum gloriæ vobiſcum perducite.

O Angeli cuſtodes meorum ſpecialium, per ſuauiſſimum cor IESV, vos ſalutans, eadem à vobis ſupplex pro illis expoſtulo.

Aue & tu princeps huius regni & Dominij Rector ſpecialis cum ſociis, Eya Regem noſtrum & principes noſtros in omnibus ſecundum Deum dirigite, protegite, pacificate & perficite.

*O omnes & ſinguli ſpiritus Beati.*

| | | |
|---|---|---|
| 1 Angeli. | 4 Poteſtates. | 7 Throni. |
| 2 Archãgeli. | 5 Virtutes. | 8 Cherubĩ |
| 3 Principatꝰ. | 6 Dñationes. | 9 Seraphin |

EX affectu omnium vobis deuotorum, ex mea, meorumque omnium parte per ſuauiſſimum Cor Domini IESV vos ſaluto & laudo, vobiſque congratulor, Et gratias Deo vobiſcũ ago pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis & adhuc conferendis: Obſecrans per charitatem qua Deus ab æterno vos prælegit & prædeſtinauit, creauit nobiliſſimè & glorificauit: voſque ſumma dignatione in noſtræ ſalutis miniſterium & adiutorium deputauit: Ac per vos infinita beneficia nobis contulit, & quotidie non ceſſat conferre: Per hæc inquam omnia obſecro, vt me omneſque meos ſpeciales dignemini ſuſcipere & aſcribere inter veſtros ſpeciales cultores: Et in omnibus nos excitare, purgare, illuminare, dirigite, adiuuare, protegite, caſtificare, inflammare & perficite: Ac impetrare votorum & ſanctorum propoſitorum ſimplicem, fidelem, & integram impletionem: Malorum præſentium & imminentium liberationem & præſeruationem, & omnium

bonorum



bonorum copiam ſicut expedit ad Dei honorem & animarum noſtrarum ſalutem.

Præcipuè autem in hora mortis nos defendite, conſolamini, & vobiſcum glorificandos ſuſcipite.

*QVOD SEQVITVR ADDENdum eſt quando poſt hanc Angelorum inuocationem, officium diuinum debes perſoluere.*

SPECIALITER verò vos obſecro: Magnificate Dominum nobiſcum, & exaltemus nomen eius in id ipſum: Et adiuuate, vt ſic vigilanter, attentè, reuerenter & deuotè vobiſcum pſallamus: vt etiam mereamur vobis conformari in omni puritate, humilitate & charitate. Quod vt fiat præuenire nos obſecro, & adiungimini nobis pſallentibus. State iuxta aram templi cordis noſtri, cum aureis cordium veſtrorum thuribulis: Mittite ignem de altari diuini cordis, in corda noſtra: Suſcipite incenſa orationum & exercitationum noſtrarum in aurea thuribula veſtra, & ea veſtris laudibus adiungentes ſupplete, purgate, perficite, offerte: & optatam gratiam nobis referte: vt ſic aſcendat fumus aromatum noſtrorum de manu veſtra in ſublime altare cordis IESV Chriſti Domini noſtri, quod eſt in cõſpectu Dei: Ad quod nunc & in hora mortis nos fœliciter introducite: vt inde omnem gratiam & gloriam haurire: Et vnitrinum Deum per illud laudare & glo-

rificare

rificare poſsimus nunc & in ſempiternum. Amen.

## *INVOCATIO PAtronorum ſpecialium.*

*Ad B. Ioannem Baptiſtam.*

AVE & tu per ſuauiſſimum cor Domini IESV, beatiſſime Ioãnes Baptiſta, mi Pater & totius ordinis noſtri Cartuſienſis ſpecialiſſime, præſtantiſſime, dilectiſſime, & efficaciſſime Patrone & doctor.

*Dominica.*

AVE Angele Domini, nuncie verbi ęterni, Patriarcharum eximie. Aue decus Angelorum, ſplendor ſanctorum, forma virtutum: Fidei diſciplina: totius ſanctitatis & perfectionis exemplum.

*Feria 2.*

AVE Archangele Domini: Propheta & plusquam Propheta: præco iudicis: Lucifer ortum veri Solis ſignificans: Aue princeps dignisſime, Regis æterni pręcurſor glorioſiſſime.

*Feria 3.*

AVE potentiſſime dæmonum expugnator, Apoſtole excellentiſſime á Deo miſſe. Aue virtutum operator: Euangeliſta & pręco verbi æterni clariſſime, Aue lucerna ardens & lucens: Legis & Euangelij horizon, magiſter vitæ, & tuba orbis terrarum.





*Feria 4.*

AVE Dominator vitiorum & dęmonum: Martyr præpotens, Signifer ducis noſtri inuictiſſime, Agni demonſtrator: Teſtis IESV CHRISTI, verus Helias.

*Feria 5.*

AVE Throne Dei ſereniſſime: Confeſſor ſanctiſſime: Sacerdos & Baptiſta Chriſti digniſſime, norma iuſtitię, vox verbi, prædicator & Doctor eximie.

*Feria 6.*

AVE Cherub Illuminatiſſime, Monachorum exordium, Eremitarum exemplar, Anachoretarum magiſter & pater: pœnitentiæ via, vox clamantis in deſerto: præparator viæ Domini & plebis perfectæ.

*Sabbatho.*

AVE Seraph ardentiſſime; virgo puriſſime, virginitatis ſpeculum: Cæleſtis Sponſi amice & paranymphe dilectiſſime.

*Quotidie.*

EYA ora pro me meiſque omnibus, & & pro hac domo tua & vniuerſo ordine noſtro, vt cultus Dei & animarum ſalus inter nos ſemper vigeat & creſcat, & perſeueret: votáque noſtra de die in diem fideliùs reddamus, & Cartuſianæ noſtræ vocationi dignè reſpondeamus.

*Si fueris in officio Prælationis: adde hoc.*

SINGVLARITER autem ora pro me huius domus Paſtore & pro Reuerendo Patre noſtro Generali, omnibúſque ac ſingulis Viſitatoribus & Prioribus noſtri ordinis: Et fac nos tuo exemplo, oratione & merito præire ante faciem Domini,

parare vias eius, & dare ſcientiam ſalutis plebi nobis commiſſæ.

*Ad S. Ioannem Euangeliſtam.*

AVE & tu per dulciſſimum Cor Domini IESV, Beate Ioannis Euangeliſta, mi Pater & Patrone ſingularis. Aue propheta excellentiſſime, Apoſtole, & diſcipule Chriſti dilectiſſime, Aue martyr conſtantiſſime: Epiſcope & doctor ſanctiſſime. Aue Anachoreta in Inſula Pathmos Eleuatiſſime, virgo caſtiſſime. Aue virginis Dei genitricis cuſtos, & Filius ei à Domino peculiariter aſſignatus. Aue gemma charitate pleniſſima: qui Dominum noſtrum Ieſum præ cæteris Apoſtolis clariùs agnouiſti, puriùs dilexiſti; & ab eo teneriùs diligi meruiſti.
Eya ora pro me, meiſque omnibus, & impetra mihi caſtitatem, Dei & proximi ardentem charitatem: Sapientiam & gratiam ſermonis ad proximorum ſalutẽ: ſtudiorum & exercitiorum meorum directionem, & omnium ſalutarium petitionum benignam exauditionem.

*Ad S. Ioſeph.*

AVE & tu per ſuauiſſimum Cor IESV, Beate Ioſeph ſponſe Dei genitricis & Virginis dilectiſſime: Domini noſtri IESV Chriſti Pater nutritie: Patriarcharum fœlix clauſula: In humilitate profundiſſime: In fide & ſpe certiſſime: In amore ardentiſſime: In boni operatione ſtrenuiſſime: Pro omnium ſalute ſolicitiſſime: In contemplatione altiſſime: In virginitate puriſſime: In omnium virtutũ perfectione Dei genitricis tuæ





ſponſæ ſimilis. Eya ora pro me meiſque omnibus, & ſpecialiter pro nouitiis in ordine noſtro diſcretè recipiendis, multiplicandis debitè inſtruendis, fouendis & perficiendis: Sic vt populus Deo ſeruiens in diebus noſtris & numero & merito augeatur.

*Ad SS. Ioachim & Annam.*

AVETE & vos per cor Domini IESV venerandi parentes genitricis eiuſdem Dei & Domini noſtri Ioachim & Anna. Sanctæ Trinitati gratiſſimi: Benedicti vos à Domino: & benedicta proles veſtra, virgo Maria, proliſque veſtræ virgineus natus IESVS Chriſtus. A quo impetrare dignemini præſentium & imminentium malorum & periculorum liberationem & præſeruationem, ſicut ſcit expedire ad maiorem ſui honorem & noſtram ſalutem, & ſicut vult & poteſt, iuxta paternam ſuam bonitatem. Amen.

*Ad SS. Petrum & Paulum.*

AVETE & vos per cor Domini IESV Petre & Paule Apoſtolorum & totius Eccleſiæ principes excellentiſſimi: viri miſericordiarum: Duæ oliuæ, & duo candelabra: duoque filij ſplendoris in conſpectu Domini iugiter ſtantes. Eya orate pro nobis, & pro Eccleſiæ Catholicæ pace, cuſtodia, vnione, directione & vera reformatione.

*Ad S. Brunonem & alios Patres Religionis.*

AVE & tu, per cor Domini IESV, Sãctiſſime Bruno Patriarcha & inſtitutor no-

ſtri Cartuſienſis Ordinis cum tuis ſucceſſoribus & filijs tecum iam regnantibus.

AVETE & vos aliarum Religionum Patres ſanctiſſimi, Benedicte, Bernarde, Baſili, Auguſtine, Hieronyme, Antoni, Franciſce Dominice, Cæleſtine, Norberte, Ioãnes Columbine, Franciſce de Paula cum ſocijs & filijs veſtris. Eya orate pro nobis vt de die in diem vota noſtra Deo fideliùs reddamus: & ad perfectionem veræ religionis, puritatem cordis, perfectámque charitatem iugiter tendamus.

*Si fueris prælatus adde quod ſequitur.*

SINGVLARITER autem orate pro me huius domus Paſtore, vt veſtri imitatione & adiutorio, humiliter & vtiliter fratribus meis præſim & proſim ad Dei honorem meámq; & illorum ſalutem: Alioquin alium vtiliorem citiùs ſubrogari faciatis.

*Ad B. Magdalenam.*

AVE & tu per ſuauiſſimum cor Domini IESV, pia Magdalena, ſpes ſalutis, vitæ vena, lapſorum fiducia: Aue dulcis aduocata, pœnitendi forma data miſeris poſt vitia: Aue fœlix Deo grata, cui dimiſſa ſunt peccata, ſpeciali gratia. Eya ora pro me, meiſque omnibus, & ſpecialiter pro omnibus in peccatum lapſis, vt dignè pœniteamus, atque vbi abundauit delictum, ſuperabundet & gratia.





*Ad S. Barbaram,*

HOC idem nobis impetra de ſuauiſſimo corde IESV per quod deuotè te ſaluto (ô Beata Virgo & martyr Barbara) mea ſpecialis patrona, quæ Deo ſemper placuiſti & merito caſtitatis & profeſſione ſuæ virtutis.

*Hîc lege ex Martyrologio initio huius libelli poſito, nomina ſanctorum, ipſo die quo oras occurrentium, quibus lectis adde quod ſequitur.*

*Ad Sanctos quolibet die occurrentes.*

O Vos ſancti prænominati & cæteri qui hodierna die regnum cæleſte introiſtis, aut quorum memoria ſpecialis in Eccleſia hodie recolitur & veneratur. Orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum, participéſque nos facite meritorum veſtrorum, ac deuotionis omnium qui erga vos fuerunt & adhuc ſunt deuoti.

*Specialis inuocatio ſingulorum ordinum ſeu chororum ſanctorum per ſingulas ferias diſtincta.*

*Dominica die ad SS. Patriarchas.*

AVETE Sancti Patriarchę, Adam, Enoch, Enos, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Ioachim cum cæteris.

*Feria 2.*

AVETE & vos ſancti Prophetæ, Sacerdotes, Iudices, Reges, cæteriſque ſub teſtamento veteri, ſancti Patres, Iob, Moſes, Helia, Heliſee, Eſaia, Hieremia, Ezechiel, Daniel, Aaron, Phinees, Onia, Ioſue, Dauid, Mathatia, Iudith, Heſter cum ſociis.

*Feria 3.*

AVETE Apoſtoli, Euágeliſtæ & Diſcipuli Domini, Petre, Paule, Andrea, Iacobe, Ioannes, Thoma, Iacobe, Philippe, Bartholomæe, Matthæe, Simon, Thadæe, Matthia, Barnaba, Luca, Marce, Lazare, Martialis cum ſocijs.

*Feria 4.*

AVEVE Martyres inuictiſſimi, Stephane, Clemens, Sixte, Corneli, Cypriane, Laurenti, Vincenti, Ignati, Dionyſi, Maurici, Blaſi, Sebaſtiane, Georgi, Acaci, Polycarpe, Coſma & Damiane, Ioannes & Paule, Geruaſi & Prothaſi cum cæteris.

*Feria 5.*

AVETE Pontifices, Sacerdotes & Confeſſores ſanctiſſimi Sylueſter, Gregori, Hieronyme, Martine, Nicolae, Hilari, Remigi, Ambroſi, Auguſtine, Baſili, Chryſoſtome, Claudi, Germane, Honorate, Ioannes, Hugo, Antelme, Hugo cum cæteris.

*Feria 6.*

AVETE Religioſiſſimi Anachoretæ, Paule, Antoni, Hilarion, Pachomi, Appolloni, Onofri, Ioannes, Arſeni, Machari, Paphnuti, Abraham Barlaam cum cæteris.

AVETE & vos Monachorum patres & ordinum primi inſtitutores; Bruno, Benedi-





cte, Bernarde, Baſili, Auguſtine, Hieronyme, Antoni, Franciſce, Dominice, Norberte. Ioánes, Colombine, Romualde, Franciſce de Paula cum filijs veſtris & cæteris Religionum inſtitutoribus.

*Sabbatho.*

AVETE Virgines Martyres Barbara, Catharina, Vrſula, Agatha, Lucia, Agnes, Cęcilia, Margareta, Apollonia, Eugenia, Eulalia, Blandina, Iuliana, Baſilla cum cæteris.

AVETE & vos Virgines & continentes, Martha, Magdalena, Genouefa, Gertrudis, Methildis, Scholaſtica, Radegundis, Clara, Katharina Senenſis, Brigitta, Opportuna, Paula cum cæteris.

*Singulis diebus ad omnes ſanctos.*

O PATRONI mei ſpeciales, ô ſancti huius diei & feriæ. O omnes ac ſinguli ſancti cum Deo iam glorificati. Ex affectu omnium vobis deuotorum per ſuauiſsimum cor Domini IESV vos ſaluto & laudo, vobiſque congratulor, & vobiſcum Deo gratias ago pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis & conferendis.

OBSECRANS vos per charitatem quà Deus vos

1 Prædeſtinauit ab æterno benigniſsimè.
2 Creauit nobiliſsimè.
3 Conſeruauit & gubernauit potentiſsimè.
4 Regenerauit & gratificauit amantiſsimè.
5 Nutriuit & de omnibus prouidit ſufficientiſsimè.

6 Illuminauit & docuit ſapientiſſimè.
7 Iuſtificauit miſericordiſſimè.
8 Vocauit, attraxit & ſuſcepit dulciſſimè.
9 Vniuit & dotauit ac inhabitauit delitioſiſſimè.
10 Et magnificauit glorioſiſſimè.

Vniuerſúmque mundum veſtris exemplis, verbis, orationibus meritis & miraculis, paſſionibus & triumphis excitauit à torpore, docuit vias vitæ: adiuuit ad bonum, & erexit in ſpem vitæ: & adhuc quotidie excitat, docet, adiuuat & erigit. Per hæc inquam omnia obſecro vt me meóſque ſpeciales, dignemini aſcribere inter vobis deuotos, purgare, illuminare, dirigere, accendere, perficere, protegere, & in hora mortis nobis aſſiſtere. Impetrate etiam hoc & hoc.

Magnificate etiam Dominum nobiſcum, & exaltemus nomen eius in idipſum: Omnéſque noſtras orationes, laudes & exercitia, veſtris adiungentes, ſupplete, emendate, Deo offerte & referte nobis optatam gratiam, & omnium ſalutarium petitionum extiam, & omnium ſalutarium petitionum exauditionem, ſicut expedit ad maiorem Dei honorem & animarum ſalutem.

*Alia breuior præparatio ante horas Canonicas initiò cuiuſlibet diei frequentãda ab his quibus non vacat vel libet legere præcedentem prolixiorem.*

*Hîc autem primò inuocantur Sancti, vt per eos confidentiùs poſtea Deus inuocetur.*

O SVPERPIISSIMA Maria mater Dei, & virgo. O noſtra ſingularis mater & aduocata, poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima & benigniſſima: nos & noſtros omnes ad te confugientes ſuſcipe in maternam tuam cuſtodiam & directionem: adopta in filios tibi deuotiſſimos: purga & præſerua ab omnibus vitijs: exorna tua humilitate, caſtitate, charitate, obedientia cæteríſq; virtutibus, impetra omnium neceſſariorum bonorum conceſſionem, & malorũ liberationem ac præſeruationem: & da nobis hunc diem & reſiduum vitæ noſtræ ſub honore tuo dignè tranſigere. Quod vt fiat, ecce virgineo cordi tuo cõmendamus omnia noſtra exercitia, verba, vota, paſſiones & opera: vt ea tuis adiungas, ſuppleas, offeras, optatámque gratiã nobis referas: & ad cor Domini IESV nunc & ſemper & maximè in hora mortis noſtræ nos introducas.

*Ad Beatos Angelos.*

O MICHAEL, Gabriel, Raphaël, ô Angele mi cuſtos, Archangele, Princeps. ô omnes ac ſinguli Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin: nos (obſecro) præuenite, excitate, purgate, illuminate, dirigite, ſuccendite & perficite, noſtráſq; orationes & exercitationes in thuribula aurea cordium veſtrorum ſuſcipite, adiungite veſtris, offerte, & optatam gratiã nobis referte. Atque in hora mortis nobis piè aſſiſtite & ſuccurrite.

*Ad Sanctos.*

O PATRONI mei ſpeciales, Sancti Ioannes Baptiſta, Euangeliſta, Ioſeph, Anna

Anna, Magdalena, Barbara. O ſancti quorum hodie memoria in Eccleſia recolitur, vel qui hodierna die cælum intrare meruiſtis.

O omnes & ſinguli Patriarchæ, Prophetæ & Reges.

O Apoſtoli, Euãgeliſtæ, & diſcipuli Domini.

O Martyres inuicti, Pontifices, & Sacerdotes ſancti.

O Anachoretæ, Monachi, & Religioſi.

O Virgines & continentes.

O omnes cum Chriſto iam regnantes orate pro nobis & magnificate Dominum nobiſcum, noſtráſq; orationes & exercitationes, veſtris adiungentes ſupplete, perficite offerte, & impetrate nobis omnem gratiam & miſericordiam ſicut expedit ad Dei honorem & animarum ſalutem. Atque in hora mortis nobis aſsiſtite & ſuccurrite miſericorditer.

*Ad Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

*Pro præparatione ante horas Canonicas.*

O PRAESENTISSIME, Intentiſſime & promptiſsime Amator: O Superreuerendiſsime, ſuper amandiſsime & ſupercolendiſſime Domine IESV Chriſte, Deus & homo perfectiſsime: Qui cum Patre & Spiritu ſancto vnus es Deus, vnus es Dominus; Quem adorant Dominationes, tremunt Poteſtates; Ante cuius conſpectum Beatiſsima virgo





Maria, & omnes Angeli & ſancti cum ſumma humilitate & reuerentia procidunt, teque iugiter adorant, glorificant, amant, tibíque congratulantes & gratias agentes, ſeſe totos in omne tuum beneplacitum offerunt: Etſi ego viliſſimus cinis, & maximus peccator, indignus ſim corã te aſſiſtere, vel oculos ad te leuare; & multò minùs te laudare & exorare, quia tamen tu dignaris & vis à me laudari & exorari: ideò ex ſola dignatione tua, & ex amoroſa obedientia id audeo & multum deſidero facere. Quod vt non indignè perficiam: obſecro te per omnes perfectiones & miſerationes tuas, me & meos omnes cæteróſque te laudare & exorare cupientes.

1 SANCTIFIGA & purga ab omnibus vitiis immunditiis.

2 EXCITA ab omni ſomnolentia, torpore & negligentia.

3 CONFORTA caput, pectus, vocem, viréſque mentis & corporis.

4 COHIBE viſum, cogitationes vanas, & hoſtes inuiſibiles.

5 COMPONE ſitum corporis & vocem ſub omni diſciplina, honeſtate & exemplaritate.

6 STABILI & include in tua crucifixa humanitate mentem

7 REPLE memoriam placitis tibi cogitationibus.

8 ILLVMINA intellectum ad orationis noſtræ intelligentiam.

9 AFFICE & ſuccende voluntatem tui & eorum quæ tibi placent amore & deſiderio.

10 ET ADIVVA, vt propter te, tuíque amorem & beneplacitum,
11 PER TE tuæque gratiæ auxilium.
12 ET TECVM, tibi cooperando & tractum tuum ſequendo: Has laudes & orationes, cæteráque noſtra exercitia per ſuauiſſimum cor & Spiritum tuum, Angelicúmque miniſterium & adiutorium: deuotè inchoemus, proſequamur, perficiamus & offeramus: in vnione omnium laudum, orationum & exercitiorum, quæ tu IESV CHRISTE, tuáque Mater & omnes Angeli & ſancti hîc in terris feciſtis, & nunc adhuc in cælo facitis: & quæ à fidelibus tuis in tota tua Eccleſia militanti factæ ſunt, fiunt & fient, iuxta intentionem Eccleſiæ & ordinis noſtri: ad tuam & ſanctorum gloriam & laudem, & noſtram omniúmque pro quibus tu vis aut tenemur ſalutem præſentem ac perpetuam. Quæ omnia à te confidenter expectantes: ecce ex affectu & deuotione beatiſſimæ Matris tuæ, beatorúmque Angelorum & Sanctorum omnium: ex mea meorúmque ſpecialium & omnium fidelium parte: per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, te cum Patre & Spiritu ſancto Trinum & vnum Deum, tota mente recolo, adoro & reuereor: toto intellectu credo, confiteor & glorifico: tota voluntate amo, eligo & amplector: totóque corde & affectione me totum cum anima & corpore, omnibuſque viribus & ſenſibus, tibi ex amore offero in perpetuũ obſequium, ad omnia tam aduerſa, quàm proſpera: cum gaudio tibi gratias agens, pro omni bono quod es,





quod habes, & quod operaris: pro omnibus nominibus & perfectionibus tuis: pro omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: pro omnibus bonis à te collatis & conferendis glorioſiſſimæ Matri tuæ Beatis Angelis & ſanctis huius diei, ac Patronis meis, cæteríſq; tuis electis, & mihi indigniſſimo, meíſque ſpecialibus & omnibus creaturis. Et in horum omnium recognitionem & gratitudinem, ecce iam aggredior & tibi offero has horas canonicas & orationes.

*Adhuc breuior præparatio ante horas.*

O MATER DEI & noſtra: ô Angeli, ſancti huius Diei, Patroni mei ſpeciales, & omnes beati, magnificate Dominum mecum: eundémque nobiſcum exorate.

EYA tu benigniſſime IESV, nos omnes te laudare & orare geſtientes ſanctifica, excita, conforta, cohibe, compone, ſtabili: reple, illumina, affice: & adiuua vt propter te, per te, & tecum has orationes & laudes, cæteráque exercitia noſtra per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, ex affectu & deuotione tuæ Matris, omniúmque beatorum Angelorum & Sanctorum perſoluamus: in vnione omnium laudum & orationum quas tu & prædicti ſancti hic feciſtis & nunc facitis: ad tuam & Sanctorum gloriam, noſtrámque & omnium pro quibus tu vis, aut teneor, vel intendimus orare, ſaltem præſentem ac perpetuam.

*POST HORAS CANONICAS pro ſuppletione defectuum & oblatione perſoluti officij oratio mente legenda.*

SVPERAMANDISSIME IESV, Domine Deus meus: Gratias tibi ago pro tuis & ſanctorum tuorum vigilijs, laudibus & orationibus: Et in earum vnione offero in cor tuum has meas & fratrum meorum vigilias, laudes & orationes: tibi acceptum referens ſi quid in his benè actum eſt, & in veritate agnoſcens ac humiliter confitens, quia in multis te offendimus, (videlicet per infinitas diſtractiones, negligentias, tepiditates, ſomnolentias irreuerentias, indeuotionem & alios defectus) quæ omnia ſimul cum cæteris peccatis noſtris humillimè petimus in ſanguine & vulneribus tuis ablui: in igne amoris tui conſumi: & in abyſſo miſerationum tuarum & meritorum ſuppleri: deſiderantes & in te proponentes prædictos defectus de cætero diligentiùs vitare, & omiſſa ſupplere: Ac obſecrantes vt vniuerſum noſtræ ſeruitutis obſequium digneris in cor tuum ſuſcipere: tuis & ſanctorum tuorum laudibus & orationibus adiungere, ſupplere, acceptare, perficere: & ſic vnitum Patri tuo offerre in omnigenam hoſtiam, ad ſuperſanctiſſimæ Trinitatis & tuæ crucifixæ humanitatis ſupremam latriam, tuæque matris & omnium Angelorum & ſanctorum gloriam noſtrámque & omnium pro quibus tu vis, aut tenemur vel intendimus ſalutem præſentem ac perpetuam. Amen.





*Si quid notabile omiſeris dicere in diuino officio, cura vt illud repetas, aut aliquid æquiualens Deo offeras.*

*Alia breuior poſt horas oblatio.*

SVPERAMANDISSIME IESV, has orationes noſtras in cor tuum offero, gratias agens pro bene actis & ſupplicans vt defectus omnes admiſſos ignoſcas, ſuppleas, & ab illis nos præſerues: oblatúmque noſtræ ſeruitutis obſequium tuis & ſanctorum tuorum laudibus & orationibus adiungens, purifices, acceptes, perficias & offeras, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem præſentem ac perpetuam.

*Adhuc breuior oratio poſt horas*

SVSCIPE benigniſſime IESV noſtræ ſeruitutis obſequium in cor tuum & illud tuis & ſanctorum precibus & laudibus adiungens purifica, ſupple, perfice & offer ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem.

*Capitulum ſecundum.*

*Præfatio in ſequentem oblationem generalem ſacrificij Miſſæ & omnium operum.*

VT ſublimiùs Deum & ſanctos eius honores, & pro tota Eccleſia, necnon pro

te, tuíſque omnibus efficaciùs exores: vtiliſſimum eſt ſequentem oblationem ſemel in die: aut quater vel bis, aut ſaltem ſemel in hebdomada facere. Quæ idcircò fit per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, quia ipſe dignatus eſt fieri ſummus Sacerdos & Pontifex noſter, vt pro nobis Deo Patri offerat dona & ſacrificia: quem etiam pro ſua reuerentia ſemper exaudit Deus Pater: nec poteſt non habere acceptiſſimum, quicquid ei per hunc dilectiſſimum Filium ſuum, in quo ſemper optimè ſibi complacuit, offertur.

Porrò in hac oblatione rogatur Dominus IESVS, vt offerat Deo Patri per cor ſuum organum ſuauiſſimum in Spiritu ſancto. Primò ſeipſum in ſacramento & ſacrificio altaris verè præſentem cum omnibus quæ aſſumpſit fecit & pertulit (in quo intentionem tuam refers ad omnia Miſſę ſacrificia, quæ vbique terrarum offeruntur, quorum meritum deſideras applicari huic tuæ oblationi.) Deinde offerat omnia quæ operatus eſt in beata Maria, omnibus Angelis & Sanctis. Tertiò, vt in horum vnione offerat etiam ſacrificium laudis per te oblatum, aut offerendũ, cũ omnibus bonis, quæ in te & tuis ſpecialibus ac omnibus fidelibus eſt operatus & adhuc operabitur: offerat, inquam, hæc omnia non ſemel, ſed ſæpius, imò ſemper & maximè in hora mortis tuæ. Et hoc in variam & multiplicem applicationem & hoſtiam, quæ hîc exprimitur, & eſt multum efficax & valde notanda. Quantò enim intentionem tuam ad plures oblationum





tionum & applicationum ſpecies extendis, tantò plura impetras & mereris. Si enim vnicum genus oblationis offers, illius ſolius meritum recipis: Si verò plures oblationes commemoras, earum fructum aſſequeris. Sicut etiam orando pro multis, multorum meritis & ſaluti participas. Propter quod hanc oblationem petis offerri pro omnibus ſtatibus Eccleſiæ, cunctíſque fidelibus viuis & defunctis: & pro omnibus cauſis & neceſſitatibus, quibus poteris addere alias ſpeciales cauſas pro quiqus orare volueris.

Porrò iſta generalis oblatio ſic pro omnibus perſonis & cauſis facta, non impedit quin ſpecialiùs eam applices, his pro quibus tu teneris aut intendis ſpecialiùs orare: nec illis minùs vtilis & efficax eſt ſic pro pluribus oblata, quam ſi pro illis ſolis offerretur, dummodò intendas primò & ſpecialiter applicare ſacrificium laudis, vel orationis, ſeu Miſſæ, illis pro quibus teneris, & ſicut teneris: deinde dilatato per cõmunem charitatem corde ores infinitam Dei bonitatem, opulentiam & miſericordiam pro cæteris omnibus. Tunc enim tua oratio eſt Deo acceptior, & pluribus vtilior, quantò ex maiori & latiori charitate ac plena in Deum confidentia fit pro pluribus.

Veruntamen quando teneris collectas ſingulares dicere pro aliquo: debes eas in ſingulari numero pro ipſo tantum dicere, nec alios ei adiungere. Similiter quando teneris pro vno, Miſſæ ſacrificium offerre, debes in

memento Miſſæ illius, primò & ſpecialiter pro eo orare, nec alterum vel alios ei adiungere in eodem gradu: ſed, vt dictum eſt, poſtquam applicaſti illi ſingulariter ſacrificium, prout teneris, potes ex communi charitate & ex confidentia infiniti & inexhauribilis theſauri meritorum & miſerationum Domini IESV, pro cæteris omnibus perſonis & cauſis, pro quibus deſideras vtiliter & efficaciter exorare, abſque præiudicio illius pro quō obligaris ſingulariter orare.

*SEQVITVR OBLATIO GENEralis ſacrificij Miſſæ ſimul cum omnibus meritis Chriſti & Beatæ Mariæ omniúmque Angelorum & ſanctorum cum diuino ſeruitio ac omnibus bonis operibus noſtris factis & faciendis pro tota Eccleſia & omnibus viuis & defunctis.*

*Oblatio generalis.*

SVPERBENIGNISSIME IESV, ſumme Sacerdos & Pontifex noſter: temetipſum verū Deū & hominē in ſacramēto & ſacrificio Miſſæ realiter pręſentem cum omnibus quę aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: & cū omnibus quæ operatus es & operaturus es in Beatiſſima matre tua, Beatis Angelis, Sanctis huius diei, Patronis meis & omnibus electis tuis: & nos pariter cum ſacrificio laudis per nos oblato & offerendo, & cum





omnibus bonis quæ vnquam operatus & operaturus es in nobis, tuíſque & noſtris ſpecialibus, & omnibus fidelibus tuis: Deo Patri per ſuauiſſimum cor tuum, in Spiritu ſancto offer nunc, & ſemper, & maximè in hora mortis noſtræ.

1 In dignam laudem omnium, in quibus ſuperaltiſſimam Trinitatem laudabilem recognoſcis.

2 In ſingularem memoriam & venerationem tuæ Incarnationis, vitæ, Paſſionis, Reſurrectionis & omnium quę feciſti pertuliſti & aſſumpſiſti pro nobis.

3 In plenam gratiarum actionem pro quolibet beneficio à ſingulis debitam creaturis.

4 In veram emendationem omnium peccatorum ab origine mundi commiſſorum.

5 In ſufficientem perſolutionem omnium bonorum omiſſorum.

6 In augmentum gloriæ omnium beatorum.

7 Et gratiæ omnium iuſtificatorum hîc adhùc degentium.

8 In emendationem omnium in peccato exiſtentium.

9 In refrigerium animarum purgandarum.

10 Necnon in releuationem omnis indigentiæ corporalis & ſpiritualis omnium ac ſingulorum hominum.

1 Offer etiam prædicta in Hoſtiam placa-

tionis pro noſtris & totius mundi peccatis,& pro hoſtibus repellendis.

2 In VICTIMAS expiationis pro cordis impuritatibus & imperfectionibus tollendis, vincendíſque dæmonum & vitiorum tentationibus.

3 In DECIMAS plenariæ ſubiectionis & recognitionis tui ſuper nos ſupremi dominij.

4 In PACIFICVM amoroſæ reconciliationis & conformitatis.

5 In PRIMITIAS deuotæ gratiarum actionis.

6 In SACRIFICIVM LAVDIS, latriæ & ſupremæ adorationis.

7 In MVNVS, noſtræ deuotionis,& debitæ ſeruitutis obſequium.

8 In HOLOCAVSTVM, perfectæ obedientiæ, reſignationis & mortificationis.

9 In INCENSVM ardentiſſimi & vnitiui amoris.

10 Et in OBLATIONEM, ſuauiſſimam ac perfectiſſimam.

Offer prædicta omnia ad ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, tuæ crucifixæ humanitatis ſupremam latriam,adorationem & reuerentiam,ad Matris tuæ hyperduliam & ſingularem venerationem.

Ad beati Michaelis & omnium beatorum ſpirituum ſpecialem honorem & cultum.

Ad ſanctorum huius diei, & patronorum meorum omniúmque glorificatorum laudem & gloriam.

Offer prædicta pro Eccleſiæ tuæ ſanctæ





Catholicæ,huius Regni,Patriæ & Diœceſis: huiúſque Monaſterij & totius ordinis noſtri,

PACIFICATIONE,reconciliatione & iuſtificatione.

CVSTODIA,& protectione contra præſentia & imminentia pericula & inſultus diaboli,mundi & carnis.

ADVNATIONE, in vna fide, religione, ſpe & charitate, mutuáque concordia & pace,ac ſub vno viſibili capite.

DIRECTIONE,per ſuauiſſimum ſpiritum tuum,per beatos Angelos,bonos Paſtores,Principes,& leges ſalutares.

LIBERATIONE,ab hæreſibus,bellis & malis præſentibus & imminentibus.

Ac vera ac integra reformatione iuxta tuum beneplacitum.

Offer prædicta omnia, pro Eccleſiæ tuæ Prælatis ac Paſtoribus. Pro ſanctiſſimo Papa noſtro, tuo ſupremo in terris Vicario, & eius conſilio ac ſalutari in omnibus directione.

Pro protectore ordinis noſtri, Epiſcopo diœceſano,pro cæteris Cardinalibus, Patriarchis,Archiepiſcopis,Epiſcopis,Abbatibus, Prioribus,Parochis & aliis curam animarum gerentibus.

In ſpeciali pro reuerendo Patre noſtri ordinis generali,& eius conſilio : pro viſitatoribus, Prioribus, Vicariis, & omnibus ſuperioribus eiuſdẽ ordinis noſtri: vt dones illis omnibus exẽplo, oratione, verbo & ſubſidio ſibi cõmiſſos ſic regere: quatenus cum illis ad

vitam perueniant ſempiternam, & ad hoc neceſſarias gratias & benedictiones ſuper eis copiosè effundas.

Offer temetipſum & prædicta omnia pro diuini verbi concionatoribus & doctoribus & ſcriptoribus Eccleſiaſticis: vt dones illis exemplum bonæ conuerſationis, & verbum ſapientiæ & prudentiæ cum modeſtia, copia, efficacia & virtute multa. Et ſicut deſideramus illos eſſe noſtrarum orationum & religioſarum exercitationum participes: ſic fac nos partem habere in fructu prædicationum & laborum ſanctorum quos pro animarum ſalute illi aſſumunt.

*Si fueris prælatus adde quod ſequitur.*

ATQVE vtinam pro exigentia officij mihi impoſiti des mihi gratiam fructuoſæ exhortationis in tempore opportuno, ſicut ſcis expedire ad honorē tuum & animarum mihi commiſſarum ſalutem, & ædificationem, Quicquid autem in hoc hactenus minùs egi, & acturus ſum, tu benignè digneris ſupplere per ſpiritum tuum.

Offer temetipſum & omnia pro Sacerdotibus & vniuerſo clero, vt ab omnibus tibi dignè & laudabiliter ſeruiatur, & pro omnium vera directione & reformatione.





Offer prædicta pro ſtatu ſanctæ religionis, præſertim noſtræ Cartuſiēſis: Et pro cæteris ordinibus qui militāt ſub ſanctis Benedicto, Bernardo, Auguſtino, Baſilio, Hieronymo, Antonio, Franciſco, Dominico, Norberto, Cæleſtino, Romualdo, Ioanne Colombino, Franciſco de Paula, Ignatio & cæteris Religionū inſtitutoribus & Patriarchis: Vt dones nobis omnibus gratiam noſtræ profeſſionis agnoſcere, & vota tibi promiſſa de die in diem fideliùs ex amore reddere, ſcilicet, Stabilitatem, Obedientiam, Conuerſionem morum, Diuini officij deuotam perſolutionem: Meditationis & orationis mentalis exercitationem: ieiunia & auſteritates Ordinis: Paupertatem, Cellæ & ſilentij cuſtodiam & Caſtitatem: Laborem obedientiæ, Cordis puritatem, & charitatis iugem profectum.

Offer te ipſum & omnia, in ſpeciali pro Reuerendo Patre noſtri ordinis generali, & pro huius monaſterij Priore, quibus & aliis ſuperioribus meis volo & propono propter te & per te ſemper exhibere filialē amorem, reuerentiam & ſimplicem ac integram obedientiam.

Quos etiam filiali affectu cordi tuo benigniſſimo commendo, vt tu in eis conſerues & augeas tuarum dona gratiarum ad dignè & vtiliter peragendum ſibi iniunctum officium: eoſque in omnibus per ſpiritum tuum ſeptiformem, & Angelicum miniſterium excites, dirigas & perficias ſicut magis expedierit ad tuum honorem, animarúmque ſalutem.

*Si fueris aliorum prælatus & ſuperiore Dic.*

Singulariter offer teipſum & prædicta omnia, pro me indigniſſimo ad hoc paſtorale officium aſſumpto, vt ſicut tu noſti fore ad maiorem tuum honorem & animæ meæ, ouiumque tuarum ſalutem; Aut me abhoc onere citiùs liberes, & alium vtiliorem ſubrogari facias, meque ſubditum & abiectum in domo tua relinquas, vt tibi liberiùs & ſecuriùs vacem (quod quantum in me eſt, præeligo, & vt citiùs, ſi tibi placuerit perficias, per omnes miſerationes tuas obſecro.) Aut ſi vis vt in hoc officio diutiùs permaneam: quantò imperfectior, imprudentior & infirmior ſum, tantò magis per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum, & humanum etiam conſilium & auxilium, me in omnibus, excita, dirige, conforta & perfice ſicut expedierit ad maiorem tuum honorem, & animarum ſalutem; quoniam non mihi ſed tibi viuere deſidero vtinam dignè & perfectè. Quicquid autem hactenùs minus egi, vel in poſterum egero, tu benignè digneris ſupplere.

Offer teipſum, pro Nouitiorum diſcreta receptione, inſtitutione, profectu & perſeuerantia.

Offer etiam teipſum & omnia prædicta, pro procuratoribus & officiarijs huius Monaſterij & totius ordinis noſtri temporalia adminiſtrantibus: & da illis prudentiam in agendis; diligentiam, fidelitatem, maturitatem & exemplarem conuerſationem: quatenùs ſic hæc exteriora curent





ra curent, vt non omittant profectum ſpiritualem.

Offer te & prædicta, pro huius domus & omnium villarum & poſſeſſionum ad eam pertinentium conſeruatione, fructificatione, & vtili adminiſtratione, ad ſeruorum tuorum ſuſtentationem: Tua ſunt omnia, vnde fiducialiter ea tuæ protectioni & directioni commendo.

Offer te & omnia, pro omnium neceſſariorum ſufficienti & conuenienti prouiſione: quam ſicut hactenùs à te recepiſſe grati agnoſcimus: ſic da vt eã ſemper de paterna tua pietate & prouidentia ſperemus, amãter & fideliter petamus, diligenter per ea omnia & ſola media quæ tu vis nos aſſumere, quæramus, cum integra reſignatione ad quamcunque volueris penuriam: ſuſcipiamus cum deuota gratiarum actione: conſeruemus, & ea vtamur duntaxat propter te & ſecundum tuæ voluntatis beneplacitum.

Offer teipſum & omnia prædicta, pro huius. N. & huius negotij cæterorumque negotiorum & ſtudiorum noſtrorum fœlici directione, expeditione & proſpero ſucceſſu: malorumque omnium præſentium & imminentium liberatione & præſeruatione, & bonorum omnium impetratione ſicut noſti expedire ad maiorem tuum honorem & animarum ſalutem.

Offer temetipſum & omnia prædicta, pro omnibus ac ſingulis Monachis, Conuerſis, Donatis & famulis huius monaſterij & totius ordinis noſtri: maximè pro tentatis,

infirmis, captiuis, afflictis, in quocunque periculo conſtitutis, Nouitiis, & nobis ſpecialiùs commendatis. Quos omnes & ſingulos tibi in fideliſſimum cor tuum (Benigniſſime IESV) & dulciſſimæ matris tuæ commendo, & reſigno: obſecrans te per omnes perfectiones & miſerationes tuas, ſanguiniſque tui effuſiones: & materni cordis amorem & dolorem incomparabilem: vt ſuper nos omnes abundet corfirmetúrque gratia tua & benedictio: & nemo ex nobis pereat. Tu vero temporalia & ſpiritualia nobis, iuxta beneplacitum tuum largiaris. noſque & illa ſic adminiſtres & dirigas, vt cultus & amor, fraterna charitas & concordia: paupertas, caſtitas & obedientia: Regularis obſeruantia & ſanctitas, animarúmque ſalus & profectus hîc vigeat, creſcat perſeueretque iugiter.

Benigniſſime IESV, fideliſſime amator, & ſupreme animarum noſtrarum paſtor & Epiſcope: Res homineſque & omnia huius monaſterij totiuſque ordinis noſtri, iterum tibi in cor tuum & matris tuæ commendo. Tu quæſo cuncta conſerues, regas & dirigas ad gloriam tuam & animarum ſalutem. Tua ſunt omnia: nec eſt tibi difficiliùs multa, quam pauca ſeruare & regere. Vnde fiducialiter ea omnia & ſingula commendo, offero & reſigno tuæ pluſquam paternæ pietati, prouidentiæ & benignitati: tuæ imperiali opulentię, liberalitati & magnificentiæ: tuæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitati & charitati: & maximè tuæ superſanctiſſimæ, ſuperlaudabiliſſimæ & ſuperdeſidera



deſiderabiliſſimæ voluntati, ordinationi & diſpoſitioni. fac nobiſcum ſicut ſcis magis expedire ad honorem tuum & animarum ſalutem, & ſicut vis & potes.

*Si fueris prælatus adde quod ſequitur.*

SCis, Benigniſſime IESV, quod nihil ſum, ſcio, vel poſſum: vnde neceſſe eſt vt tu per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & angelicum miniſterium ſuppleas quicquid minus erga tuas oues mihi commiſſas egi vel acturus ſum: & alium me vtiliorem facias citiùs ſubrogari, ſicut tibi placuerit.

Offer teipſum & omnia prædicta, Pro Rege noſtro & principibus & rectoribus huius Regni & pro cæterorum Catholicorum principum, omniumque veræ fidei & religionis cultorum & Zelatorum ſancta & ſtabili concordia & pace ac vnione: mutua intelligentia & confortatione, tuaque directione & protectione, atque fœlici contra hoſtes tuos victoria.

Offer teipſum & prædicta omnia, pro Turcarum, Infidelium, Hæreticorum, Schiſmaticorum, & eis fauentium, cæterorumq; Eccleſiæ tuæ Catholicæ aduerſariorum repreſſione, diſſipatione, expugnatione, ſalutari confuſione, conuerſione & adductione ad gremiū eiuſdem ſanctæ matris Eccleſiæ.

Offer te & prædicta pro præſidibus, conſulibus, iudicibus, cæteriſque miniſtris iuſtitiæ, & populi tui gubernatoribus: vt iuſtè & piè omnia iudicent & adminiſtrent: Et tu ſupplere digneris quicquid illi minꝰ egerint.

Offer

Offer te & prædicta pro nobilibus, mercatoribus, Agricolis, & cæteris populi tui ſtatibus: vt ſinguli iuxta ſtatum & conditionem ſuam dignè ambulent tibique ſeruiant.

Offer te & prædicta pro magiſtris, & eruditoribus iuuentutis: vt ſibi commiſſos tàm in literis quàm in chriſtiana pietate erudiant & inſtituant.

Offer te & prædicta pro iuſtorum conſeruatione, profectu & finali perſeuerantia.

Pro peccatorum illuminatione, contritione, confeſſione, iuſtificatione, condigna pœnitentia & perfecta emendatione.

Offer pro ægrotantium, captiuorum, tentatorum, pauperum, orphanorum, viduarum, miſerorum, peregrinantium & omnium afflictorum, vel in periculo animæ ſeu corporis conſtitutorum (præſertim tuorum & noſtrorum ſpecialium: conſolatione, confortatione, continuo conſilio & auxilio, ac opportuna liberatione, ſicut ſcis expedire ad honorem tuum & animarum ſalutem, & ſicut vis & potes.

Offer teipſum & prædicta pro fructibus terræ conſeruandis & multiplicandis: æris temperie & ſalubritate, morborum depulſione; temporum tranquillitate & bona pace: & cæterorum neceſſariorum impetratione ſicut ſcis, vis & potes.

Offer te & prædicta pro animarum purgandarum refrigerio, luce & quiete: Super quas deſcendat obſecro pretioſus





ſanguis tuus, & omne meritum tuæ vitæ & paſſionis, omniumque ſanctorum, neque enim aliud habeo quod pro illis offeram: Largire vt horum virtute liberentur.

Denique offer te ipſum & prædicta omnia pro meis fratrumque meorum parentibus, patribus ſpiritualibus, prælatis, commiſsis, confratribus confederatis, fundatoribus, benefactoribus, amicis, commendatis, à nobis quocunque modo læſis, vel qui nos læſerunt aut oderunt: Et pro omnibus tàm viuis quàm defunctis pro quibus tu nos vis, aut tenemur, vel intendimus generaliter, vel ſpecialiter, aut ſingulariter orare: iuxta ſingulorum gradum, fidem, deuotionem, meritum & neceſſitatem, noſtramque ad eos obligationē vel ſpecialem intentionem: Et maximè iuxta ſapientiſſimam tuæ, pluſquam paternæ volūtatis ordinationem & diſpenſationem: tuamq; imperialē opulentiā, liberalitatē & magnificentiā, non iuxta meā tepiditatē, indignitatē & demerita.

O Pater, Creator, Redemptor & glorificator, diues in omnes qui inuocant nomen tuum: Me & omnes prædictos, omniaque interiora & exteriora noſtra, præſentes & imminentes neceſſitates, & tribulationes, vel occupationes & negotia: omneſque petitiones noſtras & indigentias tibi cognitas, in paternas manus tuas & in fideliſſimum cor tuum commendo & reſigno: In ea perfectiſſima commendatione & reſignatione, qua tu teipſum & nos pariter tecum Deo patri obtuliſti, iugiter quidē in corde tuo, ſed ſpecialiter quando in horto

ſanguinem ſudaſti, & in cruce cum lachrymis & valido clamore ſpiritum in manus patris commendaſti.

Tuis ergo verbis & ex affectu tuo, (atque vtinam eadem tecum attentione, deuotione & efficacia) per te & tecum Deum patrem obſecrans dico: Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt. O Pater, ex quo omnis Paternitas in cœlo & in terra nominatur: O Pater, qui pluſquam paterna pietate, prouidentia & benignitate nos proſequeris: Si vis, potes nos in omnibus ſalubriter exaudire & iuuare.

Cæterũ ô Pater ſapiẽtiſſime, beneuolẽtiſſime & potẽtiſſime: Tu ſcis quando, qualiter & quibus medijs expediat ad maiorem tuum honorẽ animarumq; ſalutem nos exaudiri. Tu vis quod eſt ad honorem tuum, cuius es fortis Zelator: Tu vis etiam, quod conducit ad ſalutem animarum noſtrarum, quarum es ardentiſſimus & fideliſſimus amator: Tu potes, quodcunque volueris facere: quia in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit voluntati tuæ reſiſtere: ſi decreueris nos exaudire, continuò exaudiemur. Ergo ſicut ſcis expedire ad maiorem tuum honorem animarumque noſtrarum ſalutem, & ſicut vis & potes exaudi nos. Et quia tu vis vt ad hoc tibi cooperemur, Da nobis per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium ſcire, velle & poſſe ea ſola & ea omnia media aſſumere, quæ vis vt aſſumamus, & ſic omnem ſollicitudinem noſtram & omnium rerum euentum ſecurè in te proiicere.

Ad



Ah non permittas nos proprio ſenſu aut voluntate, vel quacunque alia ſuggeſtione aliquod medium aſſumere quod tibi diſpliceat, vel omittere quod velis per nos aſſumi. Quod ſi quid per ignorantiam, negligentiam aut aliam cauſam in hoc deliquerimus, tu quæſo per eundem ſpiritum tuum & Angelicũ miniſterium ſupplere & emendare digneris: ac nobis etiam ignorantibus vel negligentibus imò & renitentibus, omnia dirige & perduc ad eum finem, qui ſit ad maiorem tuum honorem & animarum ſalutem. Quæ omnia à te piiſſimo & potentiſſimo patre amanter, fideliter & confidenter per filium tuum in ſpiritu ſancto petentes & expectantes: Ecce iterum nos & omnes pro quibus orauimus, vniuerſaſque petitiones noſtras commendamus & integrè reſignamus tuæ pluſquam paternæ pietati, prouidentiæ & benignitati: Tuæ Imperiali opulentiæ, liberalitati & magnificentiæ: tuæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitati & charitati. Et maximè tuæ ſuperſanctiſſimę, ſuperlaudabiliſſimæ, & ſuperdeſiderabiliſſimæ voluntati, diſpoſitioni & ordinationi. Da igitur quod vis & quando vis, & quantum vis, & ſicut maior tuus honor fuerit, quoniam non deſideramus nobis viuere, ſed tibi, (vtinam dignè & perfectè.) Amen.

*Deuote Exercitator, nota diligenter concluſionem præfatæ oblationis. Eſt enim ad impetrandum efficaciſſima, & ad pacem cordis, in omni periculo, neceſſitate, & anguſtia retinendam vtiliſſima, propterea poteris illa vti in omni re ardua.*

PRAE

# *PRAEDICTA OBLATIO generalis breuiùs comprehenſa, quando non vacat vel libet præcedentem prolixiorem legere.*

SVPERBENIGNISSIME IESV, ſumme Sacerdos & pontifex noſter: Temetipſum Deum & hominem perfectum in ſacrificio Miſſæ verè preſentem: cum omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro nobis: & quæ operatus es, & adhuc operaberis in beatiſſima matre tua, & glorioſis angelis ac ſanctis omnibus: Et nos pariter cum ſacrificio laudis per nos oblato & offerendo: & cum omnibus bonis quæ vnquam operatus es & adhuc operaturus es in nobis, tuiſque & noſtris omnibus: Deo patri per ſuauiſſimum cor tuum in ſpiritu ſancto offer nunc & ſemper & maximè in hora noſtræ mortis: in omnigenam hoſtiam & oblationem. Ad superſanctiſſimæ Trinitatis & tuæ crucifixæ humanitatis ſupremam latriam & adorationem.

Ad matris tuæ ſemper virginis hyperduliam.

Ad beatorum Angelorum; & ſanctorum

omnium



omnium gloriam.

Pro Eccleſiæ tuæ, huius Regni & Dioeceſis, noſtrique Monaſterij, & totius ordinis noſtri pacificatione & reconciliatione, cuſtodia contra hoſtium inſultus & pericula: Adunatione in vera fide, ſpe & charitate:

Directione per ſpiritum tuum; Beatos Angelos, ac bonos prælatos, Reges & principes:

Ac Reformatione in omnibus.

Pro Eccleſiæ tuæ prælatis, Papa noſtro, Cardinalibus, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus & alijs curam animarum gerentibus: in ſpeciali pro Reuerendo Patre noſtro & alijs noſtri ordinis prælatis, vt omnes dignè & vtiliter præſint ad ſuam & ſubditorum ſalutem.

Pro diuini verbi concionatoribus, vt des illis exemplarem vitam, & verba ſapientiæ cum modeſtia copia & efficia ſalutari.

Pro Sacerdotibus & vniuerſo clero, eorumque directione & vera reformatione.

Pro ſtatu ſanctæ Religionis, præſertim noſtræ, & perfecta votorum noſtrorum redditione.

Pro hoc Monaſterio & omnibus perſonis & bonis eius, vt omnia conſerues, dirigas & adminiſtres. ſic vt cultus tuus, & animarum ſalus hìc ſemper vigeat, creſcat & perſeueret.

Pro Rege noſtro & principib⁹ ac Dominis hui⁹ Regni: ceteriſq; Catholicis principib⁹ eo-

rumque

rumque directione, proſperitate, mutua pace ac concordia: & aduerſus hoſtes Eccleſiæ victoria.

Pro Turcarum, Infidelium, Hæreticorum, Schiſmaticorum eiſque fauentium & cæterorum Eccleſiæ aduerſariorum, repreſſione, expugnatione & conuerſione.

Pro iudicibus & Rectoribus populi tui, vt iuſtè & piè omnia iudicent & diſponant.

Pro magiſtris & eruditoribus iuuentutis, vt ſimul cum literis pietatem & bonos mores doceant.

Pro Nobilibus, Mercatoribus, Agricolis & vniuerſo populo tuo, vt ſinguli, iuxta ſtatum ſuum, tibi dignè ſeruiant.

Pro iuſtorum conſeruatione, profectu & finali perſeuerantia.

Pro peccatorum digna pœnitētia, emendatione & iuſtificatione.

Pro Captiuorum, ægrotantium, tentatorum, peregrinantium, pauperum & omnium afflictorum conſolatione, & ſalutari liberatione, ſicut vis, ſcis & potes.

Pro fructibus terræ, temporum tranquillitate, morborum depulſione, & omnium neceſſariorum conuenienti prouiſione.

Pro animarum purgandarum refrigerio, luce & quiete.

Pro huius negotii, cæterorum negotiorum noſtrorum directione, & fœlici conſummatione.

Pro meis & fratrū meorūque parentibus, Patribus, prælatis, commiſſis, confratribus, confœderatis, benefactoribus, Amicis, commendatis, & his quos quouis modo offendi,





vel qui me offenderunt.

Denique pro omnibus ac ſingulis, pro quibus tu nos vis, aut tenemur, vel intendimus orare: iuxta ſingulorum gradum & neceſſitatem, meámque obligationem vel ſpecialem intentionem, & maximè iuxta ſapientiſſimam tuam diſpenſationem, Paternam bonitatem & Imperialem magnificentiam: non iuxta meam tepiditatem & indignitatem.

O Pater miſericordiarum, diues in omnes qui inuocant nomen tuū: me & omnes illos, omniáq; interiora & exteriora noſtra, in paternas manus tuas cōmendo & reſigno, in ea perfectiſſima reſignatione: qua tu teipſum in horto cum ſudore ſanguineo: & in cruce cum lachrymis Deo Patri commendaſti & reſignaſti, ex affectu tuo & tecum dicens: Abba Pater omnia tibi ſunt poſſibilia: ſi vis, potes nos exaudire, cæterūm tu ſcis quando & qualiter expedit ad tuum honorem & animarum noſtrarum ſalutem, nos exaudiri: tu vtrumque vis & ſummè deſideras: tu potes quod vis, & nullus poteſt reſiſtere tuæ volūtati, vnde ſi decreueris nos exaudire, continuò exaudiemur. Ergo ſicut ſcis expedire ad tuam gloriam & animarum ſalutem, & ſicut vis & potes, exaudi nos. Et da nobis ſcire, velle & poſſe ea ſola & ea omnia media ad hoc aſſumere, quæ vis vt aſſumamus & ſic omnem ſollicitudinem noſtram & omnium rerum euentum in te fiducialiter proiicere.

Ah non ſinas nos aliquod medium tibi diſplicens ſumere, vel omittere quod velis per

nos aſſumi. Quod ſi in hoc deliquerimus tu quæſo per Spiritum tuum & Angelicum miniſterium illud ſupple: & nobis etiam ignorantibus vel negligentibus, imò & renitentibus, omnia ad eum finem perducito, qui ſit ad honorem tuum & animarum ſalutem. Quæ omnia à te piiſſimo & potentiſſimo Patre petentes & expectantes: ecce nos totos & omnes petitiones & neceſſitates noſtras plenè reſignamus & commendamus tuæ pluſquam Paternæ pietati, prouidentiæ & benignitati, tuæ imperiali opulentiæ, liberalitati & magnificentiæ: tuæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitati & charitati: & maximè, tuæ ſuperſapientiſſimæ, ſuperſanctiſſimæ & ſuperamabiliſſimæ voluntati, ordinationi & diſpoſitioni.

Da igitur quod vis, & quantum vis, & quando vis, & ſicut noſti futurum ad maiorem tuam gloriam, & animarum ſalutem: quoniam non deſideramus nobis viuere, ſed tibi, vtinam dignè & perfectè. Amen.

## SEQVVVNTVR EXERcitia Matutina.

### CAPVT TERTIVM.

*Manè excitatus, ſtatim ſine mora exurge, & ea exerce quæ præſcripta ſunt ſurgendo ante matutinas.*





*Indutus, ad Oratorium accedens poteris hanc orationem legere.*

SVPERBENIGNISSIME IESV, gratias tibi ago quod me dormiẽtem præſeruaſti ab omni periculo & inquinamẽto, fouiſti neceſſario ſomno, ſuppleſti laudes quas neglexi perſoluere: & nunc me feciſti ad laudes tuas exurgere. Et in eadẽ charitate, obſecro te, me ſanctifica, conforta & adiuua, vt propter te, per te & tecum orationes meas & vniuerſa huius diei exercitia & totius vitæ meæ aggrediar & perficiã in vnione orationũ & exercitiorum tuorum & omniũ ſanctorum, ad tuã gloriam & omnium ſalutem.

O Maria mater Dei & noſtra. O Angeli, ô patroni mei, ô Sancti huius diei & omnes beati laudo & ſaluto vos, & gratias Deo ago pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis: & in eorum gratiarũ actionem has laudes offerre deſidero. Eya magnificate Dominum mecum eúmque pro nobis exorate.

*Alia præparatio breuior.*

SVPERAMANDISSIME IESV, in ea charitate, qua me hac nocte præſeruaſti, da mihi hunc diẽ & reſiduũ vitæ meæ transigere abſq; tua offenſa in operibus tibi placitis, in vnione omnium operum tuorum, & ſpecialiter da mihi has orationes reuerẽter, attentè & deuotè perſoluere, ad tuam, & ſanctorum laudem, meamq; & omniũ ſalutem.

O Maria, ô Angeli, Patroni & omnes Sancti magnificate Dominum mecum eúmque pro nobis exorate.

*Sequitur formula confitendi his conueniens qui ſæpius confitentur, & à grauioribus peccatis abſtinent. Vnde in ea peccata grauiora non ſunt expreſſa.*

*Sed ſi confitens commiſerit aliquod peccatum hîc non expreſſum, illud addet: ſicut etiam ex his quæ hîc habentur, ea omittet quæ non meminerit ſe commiſiſſe.*

*Tu etiam (deuote Exercitator) hac formula confitendi fructuoſiſſimè poteris vti in tua interna corā Deo confeſſione: quā quantò deuotiùs feceris, tantò in ſacramentali confeſſione breuior & ſecurior eris.*

*Quia venialia & quotidiana humanæ fragilitatis peccata, perfectiùs purgantur mentali & deuota eorum coram Deo recogitatione & deteſtatione, quàm arida quadam & conſuetudinaria eorum expreſſione in ſacramentali cōfeſſione: licet vtiliter etiam de his confeſſio fiat, de grauioribus quidem ſpecialis, & de leuioribus generalis.*

*Igitur accedens ad confeſſionem, genua flecte & ſigno crucis te conſignans, dic: In nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti: Confiteor Deo & B. Mariæ (& cætera vſque ad illud exclusiuè, Precor te ora pro me) Deinde ſubiunge.*

Generaliter accuſo me de omnibus peccatis quibus vnquam diuinam bonitatem offendi, tàm de his de quibus ſum confeſſus, quàm de oblitis & neglectis.

Specialiter autem de perpetratis ab vltima mea confeſſione, quàm tali die feci minus deuotè.

*Si recordaris alicuius peccati grauioris in ea obliti, hîc illud confitere.*

Pœnitentiam mihi iniunctam perfeci quidem, ſed tepidè.





Ad ſacram cōmunionem, vel Miſſæ ſacrificiū acceſſi abſq; digna præparatione, reuerētia, deuotione, & Dñicę paſſionis memoria.

Gratias pro tanto beneficio, cæteríſque Dei beneficiis non ſatis deuotè egi.

Diuinum officium perſolui abſque debita reuerentia interiori, & exteriori: cum multis diſtractionibus, quibus fortaſſe occaſionem dedi, aut certè nō ſatis reſtiti, nec oculos ſub Diuino officio ſemper cohibui.

*Quæ ſequuntur, & alia quæ poſt articulos quotidianorum & ineuitabilium defectuum hîc ſub titulo hoc (SPECIALIA) ponuntur, non ſunt in confeſſione dicenda, niſi quando confitens ſcit vel dubitat ſe in his deliquiſſe.*

*Specialia.*

- Sub diuino officio ſomnolentus fui, parum, vel multum.
- Omiſi hæc & hæc, per ſomnolentiā vel aliā cauſā, quę nō ſuppleui vel repetiui.
- Complacentiam vanam in cantu habui.
- Tardiùs ad chorum veni.
- In priuato diſtuli dicere hanc vel illam horam ſine cauſa.

*Generalia.*

Refectionem corporis auidiùs ſumpſi, nec ſatis animum ſpirituali aliqua attentione ſub ea occupaui, Fortaſſe etiam plus ſumpſi, quam vera neceſſitas requireret. Nec ſatis deuotè benedictionem menſæ & gratias perſolui.

*Specialia.*

- Exceſſi in cibo & potu, vnde fui hebetior & ineptior.
- Sēſi cruditates vel ructus ex ſuperfluitate.

In die ieiunij ſerò exceſſi in quantitate panis vel alterius rei.
Superflua deſideraui, & mihi procuraui,
Murmuraui de quantitate vel qualitate cibi.
Extra horas abſque neceſſitate comedi & bibi.

*Specialia circa ſomnum.*

Tardius poſt ſignum datum ſurrexi, & propterea horas dicere diſtuli, vel perficere non potui hora conſtituta.
In ſomno illuſiones turpes paſſus ſum.
Fragilitatem habui dormiendo cum turpi illuſione, aut abſque illuſione cui fortaſſe cauſam dedi, vel ex cibi ſuperfluitate, vel ex indeuotione.
Vigilias vltra horã conſtitutam protraxi.
Sub die dormiui.

*Generalia.*

TEmpus omne non ſatis fructuosè expendi.

*Specialia.*

Omiſſis neceſſariis vel magis vtilibus, vanis & ſuperfluis ſtudiis aut occupationibus vacaui præſertim his & his.

*Generalia.*

IN loquendo, inconſideratus, imprudens & ſuperfluus fui.

*Specialia.*

Silentium toties, tali die & hora cum perſona talis conditionis, in tali loco fregi, ſub paucis, vel ſatis prolixè, ſine iuſta cauſa & licentia.
Dixi aliqua vt æſtimarer & laudarer ab aliis.
Gloriatus ſum de aliquo per me facto bono, vel malo.





Contendi verbis cum aliquo propriam meam ſententiam defendendo.
Deriſi proximi verba, vel geſtꝰ, aut actus.
Verbo duriori aut iniurioſo proximum contriſtaui.
Aliorum defectus recitaui ex leuitate, vel ex mala intentione, verè vel falsò.
Audiui libenter loquentes de aliorum defectibus, aut certè eos non impediui ſicut potuiſſem.
Scurrilia & iocoſa ad riſum prouocantia protuli.
In riſu fui immoderatus.
Multa ocioſa protuli.

*Generalia.*

NOn habui timorẽ Dei & amorẽ debitũ
Nec cõſideraui eius vbiq; præſentiam,
Non intẽdi in omnibus purè eius honorem.
Non audiui nec ſecutus ſum ſemper eius pias inſpirationes.
Nec bona propoſita integrè impleui.

*Specialia.*

Cogitationes blaſphemiæ, vel contra fidem ſenſi, à quibus non ſtatim diuerti animum, vel quas minus patienter ſuſtinui.
Minorem erga Deum confidentiã habui.
Contra eius inſpirationẽ hæc & hæc feci.
Impatienter tuli ea quæ contra meum deſiderium permiſit euenire.

*Generalia.*

NOn ſatis humiliter de me ſenſi, nec repuli cogitationes de vana mei ipſius complacentia, aut appetitu laudis, nec me in omnibus abnegaui.

*Specialia.*

Gauiſus ſum ab aliis æſtimari, & laudari.

Triſtatus ſum ab altero contemni vel vituperari.
Secutus ſum in multis proprium ſenſum & voluntatem.
Aliis in corde meo me prætuli, eóſq; contempſi.
Meum cõmodum vel conſolationem nimis inordinatè in multis quæſiui.
Non ſatis conſideraui proprios defectus & exceſſus.
Nec de eis dolui, nec eos caſtigare & emendare ſtudui.

*Generalia.*

PRoximos omnes non amaui ſicut meipſum purè propter Deum.
Nec ſatis ſublimiter de eis ſenſi, nec opera miſericordiæ, ſicut poterã, ſẽper exercui.

*Specialia.*

Siniſtrè ſuſpicatus ſum de proximo.
In peiorem partẽ interpretatus ſum eius dicta vel facta.
Impatiẽter tuli onera & cõditiones ꝓximi
Triſtatus ſum de bono proximi.
Gauiſus ſum de eius malo.
Non vſus ſum fraterna correctione quando debui.
Non peperci ex corde his qui me læſerãt.
Non dedi proximis in omnibus bonum exemplum.
Superioribus meis non exhibui debitam reuerẽtiam, interiorem & exteriorem.
Eorum præcepta, vel conſilia non ſum perfectè ſecutus.
Tardiùs, vel cum triſtitia, aut cum murmure obediui.





*Generalia.*

PAupertatem, caſtitatem, & manſuetudinem non integrè ſeruaui.

*Specialia.*

Superflua, curioſa, prætioſa deſideraui, vel retinui.
Hoc & hoc ſine licentia recepi, vel dedi, vel occultè retinui.
Habui turpes cogitationes, quibus non ſatis reſtiti.
Senſi ſtimulos vel pruritus carnis ex cogitatione, vel ex aſpectu, vel ex tactu minùs cauto.
Reprehenſus me excuſaui, vel duriùs reſpondi, aut certè ægrè tuli.
Appetij vindictam de eo qui me læſerat.
Impatiens fui in aduerſis.

*Generalia.*

MVlta bona omiſi facere, quæ poteram. Et multos alios defectus cõmiſi quorum non recordor, de quibus & de cæteris peccatis meis propriis & alienis, antiquis & nouiſſimis: & de minus ſufficienti examine, & contritione in præſenti confeſſione, dico culpam meam, & humiliter peto abſolui cum ſalutari pœnitentia, precórque te Pater ora pro me.

*Breuis oratio quam peracta confeſſione legere poteris.*

BENIGNISSIME IESV, per cordis tui contritiones & tuæ paſſionis meritum, ſupplere digneris omnem defectum contritionis meæ, & huius confeſſionis: & concede vt diligentiùs ſolito peccata omnia, & eorum occaſiones fugiam. Quod in tua gratia



BIBLIOTECA UNIV...

confidens firmiter propono; eligens potius quodlibet damnum aut malum pœnæ ſubire & perpeti, quam ſcienter & ex propoſito te offendere, voluntatémque tuam vel in minimo tranſgredi. Adiuua me Domine Deus meus, quia ſine te nihil boni poſſum.

## *PRAEFATIO IN SEQVENTIA exercitia ante & poſt Miſſam, vel communionem.*

## CAPITVLVM QVARTVM.

*QVIA inter omnia exercitia ſpiritualia & religioſa, præcipuum & ſaluberrimum eſt ſacroſanctum Domini Ieſu corpus & ſanguinem deuotè in ſacrificio Miſſæ offerre, aut in ſacramento ſuſcipere: ideò proponuntur hîc varia ad hoc exercitia & orationes, mente potius, quam ore legendæ aut ruminandæ. Ac primò quidem prolixiora exercitia ponuntur pro his, qui iam ſunt exercitati, & plura breui tempore poſſunt mente complecti, quibus etiam vacat per otium iſta legere vel meditari. Deinde ſequuntur eadem exercitia abbreuiata, pro his qui paucioribus ſunt contenti, vel non habent otium plura legendi, qui tamen poterunt aliquando legere fructuosè priora illa exercitia prolixiora, ſimul, vel per partes prout licuerit & libebit: vt ex horum lectione meliùs intelligant, & deuotiùs exerceant alia abbreuiata. Porrò in his exercitijs primo inuocatur, beatiſſima mater Dei: beati Angeli, & omnes ſancti, vt eorum orationibus & meritis adiuti: & ex eorum affectu ac deuotione ad Dominum Ieſum fiducialiùs*





*ducialiùs accedamus. Priùs etiam proponitur exercitium conueniens tàm oblationi, quàm communioni: & poſtea ſubiungitur aliud pro communione magis congruum: poſſúntque iſta exercitia diuiſim & ſeparatim diuerſo tempore legi, vel ſimul, iuxta otium aut deuotionem exercentis.*

## *AD BEATISSIMAM MAriam matrem Dei.*

### *Ante Miſſam vel communionem. Oratio.*

O DOMINA mea S. Maria: ô mater Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI ſuperdigniſſima: ô Virgo ſemper puriſſima, humillima & manſuetiſſima. O Angelorum imperatrix glorioſiſſima, ô Sanctorum omnium Regina ſanctiſſima. O noſtra ſingularis mater & Aduocata poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima & benigniſſima. Non ex affectu meo, quia nimis tepidus & indignus ſum: ſed ex affectu omnium tibi deuotorum Angelorum & hominum: ex mea & meorum ſpecialium, omniúmque fidelium parte: per ſuauiſſimum cor Domini noſtri IESV CHRISTI Dei Patris, tuíq; amantiſſimi Filij, te ſaluto, laudo & glorifico, tibíq; congratulor: & gratias Deo tecum ago, pro omnibus bonis tibi, & nobis per te collatis & cōferēdis: atq; in horū gratiarū actionē, & ſub honore tuo, multū deſidero nunc & quotidiè ſacrificiū & ſacramentū corporis & ſanguinis eiuſdem Filij tui offerre & ſumere. Sed quia ad hoc nimis imparatus & indign⁹ ſū: obſecro te, vt digneris ad eundē Filium tuū accedere, eiq; pectus

ſacrum,& quibus eum lactaſti (vbera oſtendere: vt & ipſe oſtendat Patri latus, & quæ excepit ſacratiſſima vulnera: accedãt omniũ electorum preces & merita, quatenus his adiuti dignè offeramus & ſumamus tãta ſacrificia & ſacramenta. Audi nos Maria mater piiſſima, nam Filius tuus, te ſemper honorãs, nihil tibi denegat. Per te igitur acceſsũ habeamus ad Filiũ ô benedicta inuẽtrix gratiæ genitrix vitæ, mater ſalutis: vt per te nos ſuſcipiat, purget, ſanet & liberet: illuminet dirigat & accendat: roboret, transformet & perficiat: qui per te datus & natus eſt nobis. Excuſet apud ipſum tua puritas & integritas culpam noſtræ impuritatis & corruptionis: humilitas tua Deo grata, noſtræ veniã impetret vanitati: ſobrietas guloſitati: taciturnitas, loquacitati: & ſtrenuitas torpori: copioſa tua charitas, noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorũ: & fœcunditates glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum.

Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Aduocata noſtra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræſenta, tuo Filio nos reconcilia & incorpora. Fac, ô Benedicta, per gratiam quam inueniſti, per prærogatiuã quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti: vt qui te mediante dignatus eſt fieri particeps miſeriæ & infirmitatis noſtræ: te quoq; intercedente facit nos participes corporis & ſanguinis ſui, gratiarum & virtutum, paſſionúmque & meritorum ſuorum: ac tandem gloriæ & beatitudinis ſuæ, IESVS CHRISTVS, Filius tuus Dominus noſter, Deus in ſæcula ſæculorum benedictus. Amen.





*Inuocatio omnium beatorum ſpirituum.*

O Michael, ô Gabriel, ô Raphael, ô Angele mî cuſtos. O Angeli fratrum meorum cuſtodes. O Archangele huius domus & Diœceſis. O Archangele totius ordinis noſtri. O princeps huius Regni & Dominij. O omnes & ſinguli.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Angeli. | 4 | Poteſtates. | 7 | Throni. |
| 2 | Archangeli. | 5 | Virtutes. | 8 | Cherubin |
| 3 | Principatus. | 6 | Dñationes. | 9 | Et Seraphin. |

Mente puri, affectu benigni, Religione pij: vnanimitate indiuidui, pace ſecuri, Dei laudibus iugiter intenti: potentes, ſapientes & amantes: Ex affectu omnium vobis deuotorum: Ex mea meorumque ſpecialium & omnium fidelium parte: perſuauiſſimum cor Domini IESV vos ſaluto laudo & glorifico: vobiſque congratulor, & gratias Deo vobiſcum ago, pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis & conferendis. Atque in horum gratiarum actionem, & ſub honore veſtro, multùm deſidero ſacrificium & ſacramentum corporis & ſanguinis Domini offerre & ſumere: ſed quia ad hoc nimis indignus ſum & imparatus, ſubminiſtrate, obſecro, nobis quæcunque ad hoc ſunt requiſita. Diuites namque eſtis, & ad votum habetis cellaria regis.

State igitur nobiſcum iuxta aram templi cum veſtris thuribulis aureis: mittite ignem de altari diuini cordis, in terrena corda noſtra: ſuſcipite incenſa orationum

noſtrarum in thuribula veſtra: vt ſic per vos aſcendat fumus aromatum noſtrorum in conſpectu Dei. Eya ſemper & vbique, ſed maximè in hoc tanto myſterio, nos purgate, illuminate & perficite, nos excitate, dirigite & protegite.

Donate etiam nobis veſtras virtutes: veſtram reuerentiam, humilitatem & modeſtiam: veſtram puritatem, innocentiam, & ſimplicitatem: veſtram fidelitatem, obedientiam & deuotionem: veſtram charitatem, concordiam & pacem: veſtram prudentiam, diſcretionem & ſapientiam: veſtram ſtrenuitatem, zelum & feruorem: veſtram gratitudinem, laudem & fruitionem: Et omnem denique ſpiritualem perfectionem, qua Deo placetis: vt his decenter ornati, non indignè tantum ſacrificium offeramus.

*Ad B. Michaelem.*

SPecialiter autem (ô glorioſiſſime princeps totius Eccleſiæ Michael Archangele, mi ſpecialis Pater & Patrone, ô dux cæleſtium ſpirituum, debellator malorum ſpirituum propugnator & defenſor contra omnes inſidias, impetus & accuſationes inimicorum: qui ſuperbiam & Apoſtaſiam Luciferi tua humilitate & virtute contriuiſti: qui ad ea perficienda mitteris, ad quæ ſola diuina virtus præualere poteſt: fac nos (obſecro) verè humiles & diuinæ virtutis participes. Egredere in virtutibus noſtris,





& ſimul cum catholicis exercitibus pugna & omnes inimicos expugna & ſupera, vt ſine timore de manu eorum liberati, dignè Deo ſeruiamus, & de die in diem deuotiùs tantum ſacrificium & ſacramentum offeramus & ſumamus.

*Ad B. Gabrielem.*

ET tu deuotiſſime, Gabriel Archangele, fortitudo Dei: Annuntiator eius qui ad debellandas aëreas poteſtates, humilis quidem, ſed fortis & potens in prælio apparere dignatus eſt: impetra nobis in profunda humilitate radicatam Dei fortitudinem contra omnes tentationes: & ad ſuſceptionem tanti hoſpitis & Domini, nos per ſpiritum ſanctum in nos ſuperuenientem, dignè præparari exora.

*Ad S. Raphaelem.*

ET tu Raphael. Medicina Dei, qui Thobiæ cæcitatem illuminaſti: eſto medicus omnium morborum animæ & corporis: illumina nos ad perceptionem veritatis huius ſacramenti: Fac nos omnibus bonis abundare: in gratia nos ſanctis coniunge: omnia noſtra ad Deum referto: Gratiam & miſericordiam pro nobis inuenito, & moueas ad gratiarum actiones.

*SEQVVNTVR PARTICVLAres ſingulorum ordinum beatorum ſpirituum inuocationes per hebdomadæ ferias diſtinctæ.*

*Dominica die ad Angelos cuſtodes:*

ET vos Angeli beati, noſtri ſingulares cuſtodes: patres, ductores, & conſolatores: Doctores, mediatores & ſuſceptores, atque indefeſſi adiutores. Qui faciem patris cœleſtis ſemper videntes, iudiciorum eius æquitatem & profunditatem cum gaudio contemplamini, approbatis & circa nos impletis: in cuſtodia noſtri cum charitate nimia & gaudio die & nocte peruigiles. Non permittatis, obſecro, quicquam deperire nobis quo poſſimus Deo patri placere: ſed nunciate nobis iugiter Dei voluntatem: & adiuuate, vt Deo nobis vbique præſentiſſimo & intentiſſimo, reuerenter aſſiſtamus, paternam eius curam & prouidentiam circa nos fideliter agnoſcamus: eumque in omnibus neceſſitatibus noſtris per gemitum & orationem adinuocemus: atque ad eum ſuſcipiendum ſemper parati inueniamur.

*Feria ſecunda ad Archangelos & principatus. Et primo ad Archangelos.*

ET vos lucidiſſimi Archangeli, ſecretiorũ Dei myſteriorũ & cõſiliorũ conſcij, annunciatores & executores: Sacerdotum & prælatorum Eccleſiæ ſpeciales rectores:





omnia arcana ſecretorum diuinorum quæ in ſpeculo diuinæ cognitionis vtilia nobis eſſe noſtis, benignè reuelate: & adiuuate vt diuinam lucem & veritatem audiamus, eique intelligendæ vacemus per ſtudium & deuotionem: atque ſacris altaribus cum digna reuerentia aſſiſtamus: tantaque ſacrificia & ſacramenta deuotè offeramus & ſumamus.

*Ad Principatus.*

ET vos illuſtriſſimi Principatus, prouinciarum & regnorum præpoſiti: quorum moderamine & ſapientia omnis in terra principatus conſtituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur & mutatur: facite, obſecro, vt ipſe Rex regum & Dominus dominantium, princeps regum terræ, primatum in omnibus tenens, ad nos venire, regnumque ſuum intra nos renouare & confirmare dignetur: ſic vt ipſe ſolus in nobis regnet, & ad ſe dirigat, nos autem ipſum viciſſim aliis verbo & exemplo annunciemus & alios ad ipſum dirigere ſemper ſtudeamus. Quod vt poſſimus, excitate, dirigite & adiuuate nos ad omnia quibus meditando, ſcribendo, loquendo, vel operando Dei laudem & animarum ſalutem intendimus & lucramur. Protegite etiam, dirigite & ad omnia bona promouete reges & principes noſtros.

*Feria tertia ad Poteſtates.*

ET vos fortiſſimæ Poteſtates, quarum virtute poteſtas tenebrarum compri-

mitur, ne quantùm vult, noceat; ſed tantùm duntaxat quantùm expedit ad electorum ſalutem: propulſate (obſecro) ſine intermiſſione omnia tam interiora, quam exteriora impedimenta, quæ poſſunt impedire noſtram cum Deo vnionem, & præſuauia amoris ſuſurria, ex quibus lætificatur tota cœleſtis curia: quia apud Deum plus præualet viuis & defunctis ſalutem impetrare vna amans anima, quam non amantium millia duodena. Adiuuate etiam vt Deum ſemper adeamus cum plena fiducia tanquam aſylum & refugium tutiſſimum: eique nos totos & omnia noſtra plenè committamus & reſignemus, qui ſua æterna poteſtate & fortitudine contrarias poteſtates & hoſtes noſtros efficaciter à nobis arceat, reprimat & ſuperet.

*Eadem feria tertia ad virtutes*

ET vos virtutes cæleſtes, in quibus relucet diuina virtus, per quam facta ſunt omnia: quæ per vos miracula, ſigna & prodigia ad noſtram excitationem & ſalutem facit, eorumque cauſas vobis manifeſtat. Studete, obſecro, nos Domino Deo noſtro in omni virtutum cultu ornatos exhibere ſecundũ omne cordis ſui oblectamentum: & adiuuate nos vt ipſum apprehendamus per zelum & imitationẽ ſtrenuamque in virtutib⁹ & bonis operib⁹ exercitationẽ.

*Feria Quarta ad Dominationes.*

ET vos præcelſæ Dominationes, mira potentia præeminentes: pro eo quòd





vobis cætera inferiorum Angelorum agmina ad obediendum ſubiecta ſunt: vt ad vos tanquam ad Dominos referri habeant, operationes virtutum: tutamina poteſtatum, Regimina principatuum: reuelationes Archangelorum: curæ & prouidentiæ Angelorum: Eya adiuuate nos (obſecro) vt vitijs omnibus & concupiſcentijs ſic perfectè dominemur: & per mundi cõtemptum & mortificationem viuificam ſic Dominum Deum noſtrum aſſociemus, vt ei fideliter incorporari, ipſumque verum panem noſtrum quotidianum manducare, & in interiora noſtra traiicere poſſimus: quatenùs & ipſe in accubitu animarum noſtrarum delitiando cõmorari delectetur; & nos viciſſim motibus amoris in eum feramur. Et quoniam honor Regis iudicium diligit: ſi quando præceps amor noſter ratione non frænetur, vos interim vice noſtri, maieſtati eius & magnificentiæ reuerentiam exhibete; ne quicquam, quod imperialem eius gloriam deceat, negligatur: qui Dominus eſt tantæ maieſtatis, vt eius nutu Imperium conſtet, eiuſque Imperij termini ſint, vniuerſitas & æternitas.

*Feria Quinta ad Thronos.*

ET vos pacatiſſimi Throni, in quibus Deus, iudicans omnia cum ſumma tranquillitate, ſedet pacatiſſimus, placidiſſimus & ſereniſſimus: voſque Thronos ſuos ſibi ſimillimos conſtituit, faciens vos conſortes ſuæ ſummæ tranquillitatis, placidiſſimæ ſerenitatis & pacis: Eya impetrate nobis ſerenitatem & pacem, & facite

in nobis iudicium & iuſtitiam; correctionem & pacem, quibus præparetur in anima noſtra ſedes & thronus, vbi ſedere & manſionem facere dignetur, de cuius vultu ſemper iudicium noſtrum prodeat; cui inſit amor, error abſit, abſit & perturbatio; vt nec decipi poſſimus: ſed cum amore, ſapientia & tranquillitate nos, & quæ ad nos pertinent, iudicemus. Adiuuate etiam nos vt vobiſcum Deum deuotè adoremus, eique ſacrificium & laudem iugiter offeramus.

### *Feria ſexta ad B. Cherubin.*

ET vos Cherubin, mundiſſima Dei ſpecula: ſpiritus lucidiſſimi, qui pulchritudinem Diuinam in ſuo fonte contemplamini, ipſamque veritatem increatam cum ineffabili gaudio intuemini: de cuius fonte ſapientiam & plenitudinem ſcientiæ hauritis & pro vniuerſalis Eccleſiæ directione ac ſalute, ſingulis tàm Angelis inferioribus, quàm hominibus fluenta ſapientiæ & ſcientiæ refunditis, iuxta Dei nutum & beneplacitum: talique fluminis impetu ciuitatem Dei lætificatis. Eya illuminate occulos noſtros, vt reuelata facie gloriam Domini Dei noſtri ſpeculari, & cum admiratione in ipſum ſuſpendi, & mente excedere poſſimus, vacantes & videntes quoniam Dominus ipſe eſt Deus: à cuius facie fugiant à nobis qui oderunt eum, nec in eorum malas ſuggeſtiones & tentationes nos vnquam induci permittat.





### *Sabbatho ad Seraphin.*

ET vos Seraphin ſpiritus ignitiſſimi præ cæteris Angelis igne diuini amoris ſuccenſi: Deum amantes amore mobili & actuali, ſine otio: continuò, ſine intermiſſione; calido & deuoto, Acuto & ſapienti, feruido & liquefacienti: ſuperferuido & ebullienti, attento, omnia in Deum referenti: intimo, ad exteriora non effluenti: ineffabili & perſeueranti: Eya igne illo quo toti ardetis, noſtram frigiditatem repellite, teporem accendite, & in Dei amore nos feruere & dulciter ardere facite: vt illum diligere, amplecti, & oſculari, eique fœliciter vniri valeamus qui totus ignis eſt, & nos amat vt charitas: atque electos ſuos ineffabili modo fouet, prouehit & amplectitur, delictaque iuuentutis eorum & paleas ignorantiarum ſuo igne conſumens, ipſos ſibi purgatiſſimos & ſuo amore ac amplexu digniſſimos reddit. Eya horum electorum numero nos aſcribi impetrate, & vt holocauſtum noſtrum pingue fiat, igne diuini amoris nos totos ſuccendite.

## *SEQVITVR INVOCATIO ſanctorum.*

### *Et primò quotidie ad ſanctos illius diei.*

ET vos ſancti, quorum hodie in Eccleſia vbique terrarum feſtum celebratur, vel memoria recolitur, vel qui hoc die cœlum intra-

ſtis: ( Hic exprime ſanctos qui eo die in martyrologio occurrunt: ) veſtrum triumphalem diem proſperate, & ſpecialem gratiam à Deo nobis, & omnibus qui vos inuocant, impetrate, qua ſub honore veſtro ſacrificium & ſacramentum offerre & ſumere deuotè poſſimus, nobiſque donate omnem veſtram & ſpecialium veſtrorum deuotionem & merita.

*Quotidie etiam inuoca ſpeciales Patronos tuos.*

ET vos ſingulares Patroni mei fideliſſimi & benigniſſimi Beati Ioannes Baptiſta, Euangeliſta, Ioſeph, Ioachim & Anna, Petre & Paule, Bruno, Benedicte, Bernarde & Franciſce, Magdalena & Barbara.

---

*DEINDE SINGVLIS FERIIS innuoca ſingulos choros ſanctorum.*

*Dominica inuoca ſanctos Patriarchas.*

ET vos ſancti Patriarchæ ex quorum ſemine Chriſtus Dominus noſter eſt ortus.
Adam, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid cum ſociis.

*Feria Secunda.*

ET vos ſancti Prophetæ & Sacerdotes, Reges & Iudices, cæterique veteris Teſtamenti ſancti.





Moſes. Helia. Heliſæe. Eſaia. Hieremia.
Daniel. Samuel. Onia. Malachia. Dauid.
Ezechia. Ioſia. Ioſue. Mathathia. Iob, Tobia cum ſociis.

*Feria Tertia.*

Et vos Apoſtoli, Euangeliſtæ & diſcipuli Domini.

Petre. Paule. Andræa. Iacobe. Ioannes.
Thoma. Iacobe. Philippe. Bartholomæe. Matthæe.
Simon. Thaddæe. Mathia. Barnaba. Luca.

Marce, Martialis, Lazare. Ioſeph iuſte, Maximine cum ſociis.

*Feria Quarta.*

Et vos Martyres inuictiſſimi & triumphatores magnifici.

Stephane. Clemens. Sixte. Corneli. Cypriane.
Laurenti. Vincenti. Ignati. Dionyſi. Maurici.
Blaſi. Acaci. Fabiane. Sebaſtiane. Georgi.

Irenæe. Ioannes & Paule.
Coſma & Damiane. Appollinaris.
Chriſtophore Policarpe cũ ſociis.

*Feria Quinta.*

Et vos ſanctiſſimi Pontifices, Sacerdotes Eccleſiæ Doctores.

Silueſter. Gregori. Hieronyme. Martine. Nicolae.
Hilari. Remigi. Ambroſi. Auguſtine. Hugo.
Hugo. Chriſoſtome Baſili. Ioannes. Claudi.
Honorate, Germane, Iuſtiniane.

*Feria ſexta.*

Et vos ſanctiſſimi Anachoretæ, Abbates, Monachi & Religioſi.

Paule. Antoni. Hilarion. Pachomi
Appoloni. Onofri. Ioannes. Arſeni.
Machari. Abraham. Paphnuti. Barlaam.

Bruno. Benedicte. Bernarde. Baſili. Auguſtine
Hieronyme. Franciſce. Dominice. Thoma. Franciſce de Paula.
Cæleſtine. Norberte. Ioannes Columbine. Romualde.

*Sabbatho.*

Et vos ſacratiſſimæ Virgines & continentes.





Barbara. Katharina. Vrſula. Agatha. Agnes.
Lucia. Margareta. Cecilia. Anaſtaſia. Blandina.
Eufemia. Eugenia. Appollonia Chriſtina. Baſiliſſa.

Anna. Magdalena Martha. Helizabeth Paula Radegũdis.
Genouefa. Gertrudis. Methildis. Katharina Senenſis.
Scholaſtica. Clara. Eufraxia. Brigitta.

*Quotidie poſt inuocationem Sanctorum prædictam.*

O PATRONI MEI, Sancti huius diei & feriæ & omnes Beati ex affectu omnium vobis deuotorum, per ſuauiſſimum cor Domini IESV vos ſaluto, laudo & glorifico vobíſque congratulor, & gratias Deo vobiſcum ago pro omnibus bonis vobis & per vos nobis collatis & conferendis. Et in horũ omnium gratiarum actionem, & ſub honore veſtro, multùm deſideramus ſacramentum hoc offerre & ſumere, ſed quia ad hoc nimis imparati ſumus, obſecramus vos per charitatem qua Deus vos prædeſtinauit, creauit, conſeruauit: regenerauit, inſtruxit & nutriuit: iuſtificauit, vocauit & dotauit: vniuit, inhabitauit & magnificauit; & per illud quo ardetis incendium noſtrã purgate immunditiam, illuminate cęcitatem, & frigiditatem accendite: & donate nobis omnem veſtram puritatem, reuerentiam & deuotionem: virtutes merita & præparationes quibus Do-

mino vnquam placuiſtis, maximè in acceſſu, oblatione & ſuſceptione huius ſacrificij & ſacramenti, & in die glorioſæ aſſumptionis veſtrę: vt tam dignum ſacrificium Deo offerre, & tam dulce ſacramentum dignè & fructuosè ſumere valeamus.

*Specialis ſanctorum inuocatio per ferias diſtincta.*

*Dominica.*

SPECIALITER autem, ô vos Sancti Patriarchæ, offerte pro nobis & donate veſtram fidem certiſſimam, ſpem lõganimem, ardens deſiderium & expectationem aduentus Domini, hoſpitalitatis gratiam, charitatem, fortitudinem, iuſtitiam, temperantiam & prudentiam ac perſeuerantiam.

*Feria ſecunda.*

O SANCTI Prophetæ offerte pro nobis & donate veſtram paupertatem ſpiritus, mundi contemptum, iudicij futuri prouidentiam, myſteriorum fidei intelligentiam.

Et vos Sacerdotes Reges, Iudices & cæteri antiqui Patres, impetrate nobis decalogi perfectam obſeruantiam, vt vnum Deum adoremus: nomen eius nunquam in vanum ſumamus: dies feſtos ſanctificemus: Patres honoremus: mendacium vel nociuum verbum non loquamur: neminem occidamus nec lædamus: furtum nõ faciamus, nec alienum quid concupiſcamus, nec opere nec corde luxuriemur: ſed Deum toto corde, tota mente, tota anima & virtute amemus, & proximum ſicut noſipſos.





*Feria tertia.*

O APOSTOLI, Euãgeliſtæ & Diſcipuli Domini, Familiares Dei amici, & fideles ſerui ac domeſtici: offerte pro nobis & donate veſtram fidelitatem & charitatem, qua cum Domino IESV in ſuis tentationibus permanſiſtis, & diſcurrentes prædicando, multitudines populorum illi collegiſtis: impetrate etiã nobis ſeptiformem ſpiritum Sapientiæ & intellectus, concilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis: timoris & amoris, qui nos faciat vere humiles, pauperes & mites: obedientes, lugentes & eſurientes: miſericordes, mundicordes atque pacificos.

*Feria quarta.*

O SANCTI Martyres ſemper inclyti offerte pro nobis & donate veſtram patiẽtiam & fortitudinem, qua pro Chriſti amore proſpera mundi deſpexiſtis, & nulla eius aduerſa formidantes, ſanguinem veſtrum fudiſtis, atque crudeliſſima tormenta ſuperaſtis. Et impetrate nobis vt perſecutionem omnem & aduerſa omnia pro amore eiuſdem Domini, de manu illius ſuſcipiamus & vſque in finem quandiu voluerit toleremus, cum iugi laude & gratiarum actione, cum humilitate & abnegatione, cum obſecratione, confidentia & reſignatione: cum charitate, gaudio & pace: cum patientia, lõganimitate & manſuetudine: cum bonitate & benignitate: cum fide, fidelitate & modeſtia: cum continentia & caſtitate: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia & oris ſapientia: cum ſimplicitate & finali perſeuerantia.

*Feria quinta.*

O Sancti Pontifices & Sacerdotes Domini, offerte pro nobis & donate veſtram miſericordiam, & veritatem & iuſtitiam: ac ſanctitatem eximiam qua aliis exemplo & verbo viam ſalutis demõſtraſtis: date etiam veſtram erga hoc ſacrificium & ſacramentum ſingularem deuotionem & reuerẽtiam. Et impetrate nobis humilitatem, ſimplicitatem & zeli rectitudinem, charitatis ardorem, benignã cõdeſcenſionem & magnanimitatis conſtantiam: liberalitatem, exhortationis aſſiduitatem, corripiendi fiduciam: cor docile, ſapiens & ſtabile.

*Feria ſexta.*

O Sancti Anachoretæ Abbates, Monachi & religioſi Patres noſtri ſanctiſſimi. Offerte pro nobis & donate veſtram abrenunciationem perfectam, qua creaturis omnibus & vobiſmetipſis etiam abrenunciare ſtuduiſtis: vt ſoli Deo vacare, & quam dulcis eſt guſtare perfectiùs poſſetis: impetrate etiam nobis votorum noſtrorum perfectam obſeruantiam: ſcilicet ſtabilitatem, obedientiam, & conuerſionem morum: diuini officij deuotam perſolutionem, mentalis orationis ſtudium, & ieiuniorum, auſteritatúmque ordinis tolerantiam: paupertatem, cellæ & ſilentij cuſtodiam & caſtitatem: laborem obedientiæ, cordis puritatem, & charitatis perfectionem.

*Sabbatho.*

O Sanctæ Virgines & continentes, offerte pro nobis & donate veſtram mentis & corporis caſtitatem & incorruptionem, per quam Deo proximæ eſtis, ſequentes agnum quocunq; ierit, & ſingulari ſuauitate ei tanquam ſponſo amabiliſſimo adhærentes. Et impetrate nobis humilitatem, taciturnitatem & patientiam: odium noſtri, amorem Dei & proximi ac ſtrenuitatem: liberalitatem, ſobrietatem, caſtitatem, & in omni virtute profectum & perſeuerantiam.



*INVOCATIO DEI PER DIuerſa ternaria diſtincta per ſingulos dies hebdomadæ, ex quibus mens noſtra facile eleuatur, excitatur & inflammatur ad Dei notitiam, deſiderium, amorem & obſequium.*

*Dominica die.*

O PRAESENTISSIME, intentiſſime & promptiſſime.
O Superdigniſſime, ſuperaffabiliſſime, & ſuperdelitioſiſſime.
O Proxime, inſeparabiliſſime & charitate pleniſſime.
O Perfectiſſime, nobiliſſime & beatiſſime.
Amator Domine Ieſu Chriſte Fili Dei & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſſime.

O æterne amator, Elector & prædeſtinator.
O Pater piiſſime, frater amabiliſſime & ſanctificator.
O Pater miſericordiarum, particeps noſtrarum miſeriarum & Deus totius cõſolationis.

O Suſceptor in morte, Suſcitator & Glorificator.
O Deus omnia in omnibus exiſtens, omnia in te continens & ſuper omnia infinitè excedens.
O Adoptator benigniſſime, fideliſſime promiſſor & certiſſime redditor.

*Feria ſecunda.*

O Miſericordiſſime, patientiſſime & benigniſſime.
O Superreuerendiſſime, ſuperhonorandiſsime & ſuperdeſiderabiliſſime.
O Placabiliſſime, Indulgentiſſime & Beneuolentiſſime.
O Supermaxime, ſupergloriosiſſime & ſuperoptime.
Amator Domine Ieſu Chriſte Fili Dei & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſſime.

O Plaſmator, Creator & Aſſimilator.
O Iudex, Aduocate & Iuſtificator.
O Pater futuri ſæculi, Comes & dux itineris & ſubleuator in via.
O Cõſeruator, Gubernator & Inſpirator.
O Rex Regum, Princeps noſter & Rector morum.
O Rex perennis gloriæ, Exilij noſtri particeps & Conſolator optime.

*Feria tertia.*

O Amandiſſime, Amantiſsime & Amatiſsime.
O Præſtantiſsime, Lucidiſsime & Tranquilliſsime.





O Piiſſime, Compatientiſsime & Dulciſsime.
O Pretioſiſsime, Familiariſsime & ſecretiſsime.
Amator Domine Ieſu Chriſte fili Dei & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſsime.

O Regenerator, Redemptor & Viuificator.
O Domine, Emanuel & Amice.
O Dominator, Miniſtrator & Amator ardentiſsime.
O Purgator, Illuminator & inflammator.
O Præceptor, Magiſter & Legifer.
O Inſtructor, Conſultor & Adiutor.

*Feria quarta.*

O Eſurientiſsime, fortiſsime & Conſtantiſsime.
O Excellentiſsimè, Victorioſiſsime & Iucundiſsime.
Amator Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſsime.
O Nutritor, Veſtitor & Prouiſor fideliſſime.
O Paſtor bone, Hoſpes, & conuiua, ac Viſitator.
O Imperator ſupreme, Dux & pugnator, ac triumphator.

*Feria quinta.*

O Opulentiſsime, Liberaliſsime, & Magnificentiſsime.
O Iuſtiſſime, Veraciſsime & Gratioſiſſime.

Amator Domíne Ieſu Chriſte Fili Dei viui & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſſime.

O Culpæ dimiſſor, pœnæ perſolutor, & gratiæ retributor.
O Creditor, fideiuſſor & debitorum dimiſſor.
O Largitor omnium bonorum, Sacerdos ſumme, & conſeruator & multiplicator datorum.

*Feria ſexta.*

O Potentiſſime, ſapientiſſime & ſanctiſſime.
O Superaltiſſime, ſuperpulcherrime & ſuperſuauiſſime.

Amator Domine Ieſu Chriſte Fili Dei & ſemper virginis Mariæ, Deus & homo perfectiſſime.

O Eductor, Vocator & ſuſceptor.
O Protector, Cuſtos & Medice.
O Tutor, Samaritane & Curator.

*Sabbatho.*

O Benigniſſime, fideliſſime & certiſſime.
O Vtiliſſime, Honeſtiſſime & delectabiliſſime.

Amator Domine Ieſu Chriſte Fili Dei viui & ſemper virginis Mariæ Deus & homo perfectiſſime.

O Pater, ſponſe & ſpecialis Dotator.
O Liberator, Ieſu ſaluator & pacificator.
O Antique dierum, Iuuenis floridiſſime & amator caſtiſſime.





*Quæ ſequuntur quotidie ſunt legenda poſt prædicta ternaria nominum.*

ETSI ego viliſſimus terræ vermiculus, & peccator maximus, verè indignus ſim ad te accedere, aut etiam oculos ad te leuare, vel nomen tuum inuocare: quia tamen dignaris & vis vt ego ſacrificium & ſacramentum corporis & ſanguinis tui offeram & ſumam, ideò non ex aliqua præſumptione, nec ex propria quæſitione: ſed ex hac ſola tua dignatione, & humili obedientia, quam debeo & volo exhibere tuæ voluntati Dominæ & Reginæ meæ: neque ex affectu meo tepido & indeuoto: ſed ex affectu & deuotione Beatiſſimæ Mariæ matris tuæ, Beatorum Angelorum, Sanctorum huius diei, Patronorum meorum ſpecialium & omnium electorum tuorum: ex mea ſpecialiúmque meorum & omnium fidelium viuorum, animarúmq; purgandarum parte multum deſidero hodie & quoties tibi placuerit teipſum in hoc ſacramento verè præſentem deuotè offerre & ſumere. Sed quia ad hoc prorſus indignus & imparatus ſum. Tu quæſo me & omnes, te ſimiliter offerre & ſumere volentes, ſanctifica, excita, conforta, cohibe, compone & ſtabili: reple, illumina, ſuccende & adiuua, vt propter te, ſecundum te, & tecum hoc aggrediamur proſequamur & perficiamus, in vnione amoris illius quo iſtud ſacrificium & ſacramentum inſtituiſti, obtuliſti, ſumpſiſti & offerri ac ſumi à nobis ordinaſti.

*Quod vt fiat:*

Da nobis diuinum illum amorem & ni-

miam charitatem, qua tu Deus noſter ex voluntate patris cooperante Spiritu ſancto, ab æterno voluiſti & propoſuiſti pro nobis homo fieri, pati & mori,& te in hoc ſacramento præſentem nobis relinquere.

Da nobis feruentiſsima deſideria & orationes, quibus Angeli ſancti, ruinæ ſuæ reſtaurationem noſtrámque ſalutem: & Patriarchæ ac Prophetæ ſuarum miſeriarum liberationem expectantes,tuum in carne aduentum deſiderabant,quærebant ac pro eius acceleratione te precibus aſſiduis pulſabant.

Da nobis ſanctiſſimæ Matris tuæ originalem munditiem & ornatum:caſtiſſimùmque ac ignitiſsimum illud deſiderium, quo ipſa ab inſtanti ſuæ conceptionis gratia præuenta, tuum aduentum toto corde deſiderauit,& ad eundem de die in diem mirabiliter ſe coaptauit.

Da nobis illam promptiſſimam obedientiam,profundiſſimam humilitatem,& perfectiſſimam puritatem, illam charitatem inflammatam, ſpem deuotiſſimam, & fidem certiſſimam:quibus eadem virgo per Angelum ſalutata, reſpondens (Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum) te filium Dei de ſinu Patris in vterum ſuum attraxit.

Da nobis ſupereminentē illam charitatem & deuotionem qua tu ſtatim homo factus, Miſſam ſolenniſſimam in altari aureo dulciſſimi cordis tui celebraſti,temetipſum iam ex tunc Deo Patri in Spiritu ſancto offerens, ad omnia agenda & patienda, quæ pro noſtra redemptione erant neceſſaria.

Da



Da nobis deuotionem matris tuæ, qua te ſtatim natum adorauit, amplexata & oſculata eſt: & in omnibus tibi ſedulò miniſtrauit.

Da nobis laudem & deuotionem Angelorum & Paſtorum: atque trium Magorum fidem & myſticam oblationem.

Da nobis ſingularem illam deuotionem: qua caſtiſſima mater tua te in templo præſentauit, & tu teipſum Patri tuo obtuliſti.

Da nobis vehementiſſimum illud deſiderium, quo ab inſtanti tuæ conceptionis, per totam vitam tuam iugiter coarctatus es, deſiderio deſiderans baptiſmo tuæ paſſionis pro nobis Baptizari & hoc paſcha tuum nobiſcum manducare.

Da nobis nimiam illam charitatem & dulcedinem: illam ſanctitatem & deſiderium: illam reuerentiam & deuotionem:illam gratitudinem & liberalitatem,quibus tu in vltima cœna hoc tui corporis & ſanguinis ſacramentum & ſacrificium inſtituiſti, ſumpſiſti, diſtribuiſti,& à nobis conſecrati, offerri & ſumi voluiſti.

Da nobis ardentiſſimam illam charitatem: qua tu in horto Olineti cum ſudore ſanguineo: & in ara crucis cum valido clamore & lachrymis, temetipſum totum pro nobis Deo patri immolaſti & obtuliſti.

Da nobis perſeuerantem illā charitatem: qua tu præcurſor pro nobis in cœlū ingreſſus, & Pōtifex inæternū factus, ſemper aſſiſtis vultui patris,ſemperq; viuis ad interpellādū pro nobis:&adhùcquotidie iugiter temet-

 ipſum

ipſum offers Patri tuo & repræſentas: oſtendēs illi latus, & quæ pro nobis excepiſti vulnera: ac de tuorum ſuperabundantia meritorum, abundè ſupplens quicquid nobis deeſt,

Da nobis omnem fidem, reuerentiam, & deuotionem: omnem puritatem, charitatem & gratitudinem; quibus deuotiſſima mater tua, cæteríque Patroni & ſancti huius huius diei, omnéſq; electi tui Apoſtoli & Euangeliſtæ, Martyres, Pontifices, & Sacerdotes, Monachi Confeſſores, Virgines & Continentes, hoc ſacramentum, dum hîc in terris adhuc eſſent, venerati ſunt, ſuſceperunt & obtulerunt: atq; etiam nunc venerantur & adorant: Et quibus tui & noſtri ſpeciales deuoti adhùc in hac vita degentes, quotidie illud venerantur, offerunt & ſuſcipiunt.

Denique in altiſſimo amore quo poſſibile eſt cor humanum erga te affici: & cum vehementiſſimo deſiderio, & reuerētia digniſſima, quibus vnquam exceptus es ab aliquo ſanctorum: Da mihi & tuis ac meis omnibus ſpecialibus hodie & deinceps ſacroſanctum corporis & ſanguinis tui ſacrificiū & ſacramentum in Miſſa offerre & ſumere, cum tali intentione, ac ſi omne deſiderium ac reuerentiam, omnémque amorem, quo vnquam cor humanum aliquod flagrauit haberemus.

Et nunc Domine Deus, nō ex affectu meo, quia nimis indignus & indeuotus ſum, ſed ex affectu beatiſſimæ Mariæ matris tuæ, beatorum Angelorum, ſanctorū huius diei, Patrum Angelorum, ſanctorū huius diei, Patronorum meorum ſpecialium, & omnium glorificatorū. Ex mea meorúmq; ſpecialium

&om



& omnium fidelium viuorum, & animarum purgandarum parte, temetipſum verum Deum & perfectum hominem in hoc ſacramento realiter & ſubſtantialiter præſentem cum omnibus quæ aſſumpſiſti feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: Et cum omnibus quę operatus es & adhuc operaturus es in beatiſſima matre tua, glorioſis Angelis, ſanctis huius diei, patronis & omnibus ſanctis: Et nos pariter cum omnibus bonis quæ vnquam operatus es & operaturus es in nobis, & in tuis ac noſtris ſpecialibus, omnibuſque fidelibus viuis & defunctis: Deo patri per ſuauiſſimum cor tuum in ſpiritu ſancto offero, & millies ac centies millies offerre deſidero in omnigenã hoſtiam, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem, iuxta oblationem generalem iam tecum factam, aut per me fieri ſolitam.

*Oblatio iſta generalis habetur ſupra in exercitio poſt matutinas, ad quam hîc referes tuam intentionem, aut ſi eodem die illam non obtuleris, eam hîc repetes (ſi per tempus tibi licuerit) eſt enim deuotiſſima & ad impetrandum efficaciſſima.*

*Si autem volueris eam hic inſerere, poſt illud verbum (offerre deſidero) ſubiunge. ſed quia nimis indignus ſum ſacerdos & miniſter: tu quæſo ſumme & impollute ſacerdos & pontifex noſter, temetipſum, &c. vt habetur in præfata oblatione.*

PRAE

## *PRAEPARATIO SPECIALIS pro fructuoſa communione.*

### *Ad Dominum Ieſum.*

O SVPER REVERENDISSIME, ſuperamandiſſime & ſupercolẽdiſſime Amator Domine Ieſu Chriſte. In vnione exceſſiuæ illius charitatis, qua tu Deus noſter, pro nobis hobis homo fieri, pati, mori & te in hoc ſacramento verè præſentem relinquere & à nobis ſumi & manducari voluiſti:

In vnione deuotionis & amoris, quo deuotiſſima mater tua & ſancti, qui nos præceſſerunt, te in hoc ſacramento tam fructuosè ſumpſerunt:

Obſecro te da mihi, & tuis ac meis ſpecialibus, hodie & deinceps tuum ſacrum corpus & ſanguinem ſic ſumere, imò teipſum totum verum Deum & hominem in cordis noſtri hoſpitium ſuſcipere & retinere, vt fructum omnem ad quem hoc ſacramentum inſtituiſti, & quem in præcedentibus ſanctis operatus es, in nobis etiam opereris: Et maximè vt, iuxta eloquium tuum, nos in te maneamus, viuamus & operemur, ac fructum afferamus in patientia: imò verò vt tu in nobis maneas, viuas & liberè opereris omnia quæcunque ab æterno facere diſpoſuiſti, iuxta ſupremum beneplacitum tuum.

*Fructus deuotæ cõmunionis.*

Veni ergo & ingredere ad nos, Atque ſicut ſcis, vis & potes.

I. Purga



1 Purga nos ab omnibus vitiis & immunditiis.
2 Minue fomitem peccati, & concupiſcentias malas.
3 Sana vulnera animarum noſtrarum & reliquias peccatorum.
4 Præſerua nos ne tentationibus ſuccumbentes rurſum te offendamus.
5 Terre & procul à nobis repelle omnes noſtros inuiſibiles & viſibiles hoſtes, ne nobis nocere & præualere poſſint.
6 Reſtaura, quæ perdidimus.
7 Supple, quæ negleximus.
8 Retribue nouas gratias ad placendum tibi neceſſarias.
9 Illumina nos clara tui, noſtri, tuæque voluntatis notitia.
10 Inflamma tui amore, & deſiderio, beneplacitum tuum implendi.
11 Fœcũda nos placitis tibi operibus, ſtudiis & meritis.
12 Confirma & ſtabili in ſanctis propoſitis.

Veni &
1 Robora nos in aduerſis, ne deficiamus.
2 Satia & recrea fructibus ſpiritus tui.
3 Pota nos aqua ſapientiæ ſalutaris.
4 Inebria vino feruentis tui amoris, qui nos terrenorum

faciat

faciat obliuiſci.

5 Obdormire facias nos in te, per contemplationem.

6 Impingua nos gratia deuotionis & ſpiritalis alacritatis.

7 Transforma nos in te humilem, pauperem & patientem.

8 Vni nos tibi, per indiſſolubile charitatis vinculum.

9 Inarra nos pignore gratiæ ſpecialis & ſalutis æternæ.

10 Libera nos & præſerua à flagellis iræ tuæ, præſentibus imminentibus, & futuris.

11 Tandemque glorifica nos, & tuæ æternæ beatitudinis fac cum ſanctis tuis participes.

12 Cæteroſque immenſos huius ſacræ communionis, & ſacramenti fructus, omneſque ac ſingulas petitiones noſtras ſalutares, in nobis tuiſq; omnibus abundè operari & implere digneris.

*Hic te coram Deo humilia, ex conſideratione illius maieſtatis, & tuæ vilitatis & indignitatis.*

SEd quis tu, & quis ego, vt audeam te ſic ſuſcipere, & manducare, & tot tantaque de te ſperare & præſumere? Certè corde credo & ore confiteor, quia tu in hoc ſacramento verè & ſubſtantialiter præſens ades, cum glorificato corpore tuo, & beatificata anima tua, totaque diuinitate. Tu inquam





hîc ades perfectus Deus, & perfectus homo, Dominus Creator & iudex vniuerſorum; Quem adorant Dominationes, tremunt poteſtates; cui etiam cum ſumma reuerentia aſſiſtit multitudo cæleſtis exercitus. Tu ades ſanctus ſanctorum, quem beatus Ioannes Baptiſta tangere contremiſcebat: & Apoſtolorum vertex Petrus, à ſe præ nimia reuerentia repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator ego ſum. Tu denique hîc ades Dominus meus & Iudex meus æquiſſimus, ſapientiſſimus, potentiſſimus & ſanctiſſimus, ſummè reuerendus & tremendus, renum meorum teſtis, & cordis mei verus ſcrutator; omnem deteſtans iniquitatem & immunditiem: quem qui indignè manducat, iudicium ſibi manducat: grauiſſimè te offendit & irritat: iuſtè tua gratia & donis ſpoliatur, excæcatur, grauatur, infirmatur, inficitur, induratur, à dæmone inuaditur & omni maledictione repletur.

1 Ego autem totus ſum vilis & abominabilis.

2 Pauper, ex me nihil habens præter peccatum.

3 Miſer, multis miſeriis circundatus.

4 Peccator, ad omne vitium procliuis.

5 Ingratus tuis beneficiis.

6 Infirmus ad omne bonum & inſtabilis.

7 Iniuſtus. 8 Intemperans.

9 Immundus, 10 Imprudens.

11 Infidelis. 12 & Inobediens.

Qui propter innumera peccata mea, tibi ſoli plenè cognita (& maximè propter hæc nouiſſima. N N.) & propter defectum debi-

tæ præparationis & puritatis:reuerentiæ & timoris:amoris, deſiderij & feruoris : verè agnoſco & confiteor,quia non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum , imò nec vt oculos ad te leuare,aut nomen tuum inuocare audeam : quin potiùs digniſſimus ſum quem propter ingratitudinem & multiplicem infidelitatem & inobedientiam , in infernum detrudas,aut certè tanquam immundum à te proijcias, vel tanquam tepidum euomas.

*Inductiua ad communicandum.*

VErum quoniam non vis mortem peccatorum,ſed conuerſionem & vitam: ideò ad te fiducialiter accedo,vt ego peccator conuertar & viuam, quia non veniſti vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam,dicens:venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego vos reficiã : ideò ad te venio, vt multis vitijs laborans, multiſque debitis oneratus,verè pœniteam, à te reficiar,& in te quieſcam.

Quia non ſanis, ſed malè habentibus te medicum eſſe neceſſarium teſtatus es. Ideò multiplicatis infirmitatibus meis,ad te accelero vt ſaner.

Quia delitiæ tuæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ideò te ſuſcipere deſidero,vt tu delitias in me poſſis habere.

Quia toties inuitas, hortaris, præcipis, imò & ſub graui periculo comminaris vt carnem tuam manducemus, & ſanguinem bibamus, ſi vitam habere & in te manere voluerimus : ideò te manducare volo, vt





huic tuæ voluntati & inuitationi ex amore obediam,& vitam habeam & in te maneam.

Quia hoc ſacrificium offerre, & hoc ſacramentum ſumere eſt tibi & ſanctis tuis ſummè placens & honorificum, & omnibus viuis ac defunctis ſummè proficuum: ideò te offerre ac ſumere concupiſco, quatenus te & ſanctos honorem, mihique & omnibus proficiam.

Quia pro multis ſpecialiter orare, & hoc ſacrificium offerre teneor, ideò id volo facere,vt huic debito ſatisfaciam.

Quia hoc ſacrificium & ſacramentum tempore congruo non offerre & ſumere, eſt ſummè nociuum, ideò vt hæc damna euadam,deſidero illud offerre & ſuſcipere.

Denique propter hæc & alia omnia, ad huius ſacramenti frequẽtem ſuſceptionem inductiua excitatus, Ego quamuis indignus, immundus & imparatus, de tua tamen plenè confidens placabilitate, pietate & dulcedine : de tua charitate, bonitate & benignitate ; de tua miſericordia,liberalitate & miſerationibus, audeo cum Mathæo, Magdalena, Zachæo, cum publicanis, peccatoribus, infirmis & miſeris omnibus, ad te ſupereffluentem pietatis abyſſum venire: tuumque corpus & ſanguinem, quia vis & ſicut vis, cum pia & humili fiducia offerre, & ſumere. Scio enim quia ex me inquinari non potes : ſed ſi vis facilè potes de indigno & immundo me dignum & mundum facere. Nec dubito quin velis. Credo enim quod (ſicut B Methildis virgo ſcriptum reliquit ) tu in hoc ſacramento ad

*Quam gratioſè & vtili modo chriſtus ad nos in ſacramento veniat.*

nos venis cum tanta *Humilitate*, vt nullus tàm vilis ſit, quin ad ipſum, ſi velit, teipſum humiliter inclines & venias.

Tu venis cum tanta *patientia*: vt nullus tantus peccator aut etiam inimicus tibi ſit, quin ipſum patienter ſuſtineas: & ſi reconciliari velit, omnia ei debita libentiſſimè remittas.

Tu venis cum tanto *amore*: vt nullus adeò frigidus & obſtinatus ſit: quin ipſum, ſi deſideret, tuo amore cupias inflammare, & cor eius emollire.

Tu venis cum tanta *dulcedine* & delitioſitate: teipſumque præbes in cibum tàm ſuauem & ſufficientem: vt nullus tàm æger & famelicus ſit, quin valeat à te ſanari, refici, & abundè ſatiari.

Tu venis cum tanta *opulentia* & largitate, vt nullus adeò pauper ſit, quem non poſſis copioſé ditare.

Tu venis cum tanta *luce & claritate*: vt nullius cor tam cæcum tamque tenebroſum ſit, quod non valeat illuſtrari & mundari.

Tu venis cum tanta *ſanctitate* & gratiæ plenitudine, vt nullus adeò ſegnis & indeuotus ſit, quin valeat à ſuo torpore & tepore excitari atque ad deuotionem accendi.

Tu denique venis cum tanta *miſericordia* & miſerationibus: vt nullus adeò miſer & miſerabilis ſit, quin valeat à ſuis defectibus & miſeriis per te liberari.

Vnde licet verè agnoſcam & confitear, me vilem eſſe & indignum, peccatorem & ingratum; frigidũ & obduratum: ægrum & famelicum: pauperem & egentem: cæcum





& tenebroſum: ſegnem & indeuotum: plenum denique miſeriis & vitiis. Deſidero tamen & confidenter obſecro atque expecto.

*Fructus ex Chriſti ad nos aduentu prouenientes.*

Tua humilitate & dignatione, dignificari.

Tua patientia & manſuetudine tibi reconciliari, & à debitis abſolui.

Tuo amore inflammari & emolliri.

Tuo cibo ſanari, refici & ſatiari.

Tua opulentia & largitate ditari & fœcundari.

Tua luce & claritate mundari & illuſtrari.

Tua ſanctitate & gratia excitari & adipe deuotionis repleri.

Tua denique miſericordia ab omnibus vitijs & miſerijs liberari.

*Oratio pro purgatione & digna præparatione ad communionem.*

Et ne pollutus atque adeò indignus ad te accedam, tu in ſacratiſſimis vulneribus tuis, & pretioſiſſimo ſanguine tuo laua me & ſana ab omnibus immunditijs, ignorantijs, negligentijs & vitijs quibus vnquam tibi diſplicui, aut adhùc diſpliceo.

Da mihi omnia merita, omnes virtutes, omnemque iuſtitiam ac decorem vitæ ac paſſionis tuæ (ô Amator ardentiſſime & Redemptor fideliſſime) & præpara tibi fundum animæ meæ, in quo teipſum ſuſcipere, & habitare digneris, in tanta charitate quanta teipſum in vltima cœna ſuſcepiſti: pro ſupplẽda omni indigna ſũptione noſtra.

*Inuitatio ſpecialis dilecti Ieſu.*

VEni dulciſſime mi ſponſe, in animam meam: & tuis vulneribus cor meum

ſaucia : Tuo ſanguine mentem meam inebria: Tuo corpore, corpus meũ caſtifica: tua anima, animam meã ſanctifica: Tuo ſpiritu ſpiritum meum viuifica: Tua diuinitate, me totum in te transforma & agglutina: vt quocunque me vertero, ſemper te videam pro me crucifixum: & quicquid aſpexero, tuo ſanguine mihi appareat rubricatum: vt ſic totus in te tranſiens, nihil præter te valeam inuenire: nihil, niſi tua vulnera intueri. Hæc ſit mihi conſolatio, tecum (mi Domine) vulnerari, tecũ deſpici, tecum pati. Hæc intima ſit mihi afflictio, ſine te aliquid meditari, aut extra te conſolari: non quieſcat cor meum (Bone IESV) donec inueniat te centrum ſuum, vbi cubet, vbi requieſcat, vbi ſuum terminet appetitum.

*Modus dignè commu nicãdi.* Da mihi (IESV dulciſſime) ſic te panem viuũ qui de cælo deſcendiſti, manducare, vt totus manducer à te: & non tu in me, ſed ego in te tranſmuter, & viuam totus propter te; ſicque tu maneas in me & ego in te per mei corporis & animæ & ſpiritus transformationem: vt totus exeam ex me, in te: & nunquam redeam in me, ſed amittam me totum abſorptum in te, nec vnquam mihi pateat exitus à te.

*Poſtulatio meritorum omnium ſanctorum.*

DA mihi etiam (Benigniſſime IESV) omnia merita ac virtutes deuotiſſimæ virginis Mariæ matris tuæ, ſanctorumque huius diei, & ſpecialium patronorum meorum, omniumque ſanctorum, & animarum purgandarum.

Da



Da mihi omnia deſideria ſancta, omnemque deuotionem ac virtutes, & merita omnium amicorum tuorum & noſtrorum ſpecialium, qui adhuc in hoc mundo ſunt: Quos (ô pie Deus) hodie & deinceps facias quæſo tibi mecum in hoc ſacrificio aſſiſtere, mecum te offerre & ſumere, mecumque gratiæ tuæ participes abundanter fieri.

*Oblatio ſui ipſius.*

SVſcipe me etiam hodie in holocauſtum ſuauiſſimi odoris: in hoſtiam viuam, ſanctam, rationabilem, tibi placentem atque perfectam. Ecce enim cum hac ſacra oblatione corporis tui: in ea charitate qua pater te nobis dedit: & tu te ipſum Deo patri pro nobis in ara crucis obtuliſti: & per Spiritum ſanctum à fidelibus tuis adhùc quotidie in hoc miſſæ ſacrificio offerris, & te ipſum offers: in hac inquam charitate & deuotione ac intentione, offero tibi in æternum beneplacitum tuum, purè pro tua gloria, & Eccleſiæ tuæ ac totius ordinis noſtri integra reformatione, pace & ſalute animarumque purgandarum liberatione: offero, inquam tibi me ipſum totum, & quicquid ſum, poſſum & habeo, cum vniuerſa creatura: Ad relinquendum, ad agendum & ad patiendum, per auxilium gratiæ tuæ, quæcunque ſpiritus tuus à me exigere, aut ſuper me venire voluerit in tempore & æternitate, omnibus quibuſcunque tibi placuerit modis. *Reſignatio ſui ad quælibet aduerſa.*

Maximè autem reſigno me & offero ad

veram

veram abnegationem omnium ſenſualium & ſuperfluarum oblectationum in cibo, potu, ſomno, colloquio, rerumque poſſeſſione quibus affectus maculatur. Et ad perfectam mortificationem naturalium & inordinatarum paſſionum, amoris, deſiderij, ſpei & gaudij: odij, timoris, audaciæ, triſtitiæ & iræ: omniſque propriæ quæſitionis in donis tuis tam internis quam externis.

Offero etiam me ad quaſcunque conſulueris, vel immiſeris, aut ſuper me, meoſque venire permiſeris, cruces, contemptus, humiliationes & opprobria, penurias, pœnalitates & ſubiectiones: triſtitias, preſſuras cordis, cruciatus & morbos: bonorum direptiones, abſtinentias & captiuitates: cordis aridirates, internas derelictiones, & obnubilationes mentis ac ſenſuum: Damna, pericula & qualemcunque mortem: denique ad omnes pœnas præſentis vitæ pariter & futuræ, citra tamen tui amoris amiſſionem.

Offero me ad ſuſcipiendum omnia accidentia tam aduerſa, quàm proſpera, de paterna manu tua cum iugi laude, & gratiarum actione; cum humilitate & perfecta mei ipſius abnegatione: cum ferueuti obſecratione, plena confidentia & integra reſignatione.

Denique offero me tibi ad perpetuam cuſtodiam mei interioris & exterioris hominis: & ad implendum ſine vlla diſſimulatione vel mora in omnibus tuum beneplacitum, iuxta crucifixæ tuæ vitæ exemplar perfectiſſimum, & inſpirationes tuas promptiſſimè ſequendas: nihil aliud in his omnibus

bus



bus optans & expectans, quam vt optimum beneplacitum tuum ſemper ſit ſummum meum deſiderium ſine retractione cordis in tempore & æternitate, ad laudem & gloriam tuam.

*Profeſſionis renouatio.*

SPecialiter etiam cum multo gaudio gratias tibi ago, pro gratia illa ſingulari, qua me de ſæculari conuerſatione eduxiſti, & dediſti mihi in hoc religioſiſſimo ordine ſolemnem profeſſionem facere. Et nunc Domine Deus, ſi eam nec dum feciſſem, certè vellem nunc eam facere: & quanta poſſum deuotione illam nunc in præſentia diuinæ maieſtatis tuæ & coram Beatiſſima matre tua, B. Ioanne Baptiſta, S. Brunone, cæteríſq; patronis meis, totáque curia cæleſti, renouo, & nouo feruore tibi promitto ſtabilitatem, obedientiam & conuerſionem morum meorum: Diuini officij ſtrenuam & integram perſolutionem, mentalis orationis ſtudium: & ieiuniorum aliarúmque ordinis auſteritatum, obſeruantiam: paupertatem, celliæ & ſilentij ſtrictam cuſtodiam, & caſtitatem: labores obedientiæ, cordis puritatem, & continuum in charitate profectum.

*Imploratio diuini auxilij.*

VEruntamen quia hæc petij, & ad quæ me obtuli, & quæ promiſi meas vires prorſus excedunt, & ad ea me nimis inſuffi-

 cientem

cientem tepidum & infirmum agnoſco: ideò de omni mea voluntate & induſtria deſperans: ex abyſſo ignorantiæ, infirmitatis & indignitatis meæ, abyſſum ſapientiæ, potentiæ & bonitatis ac dignationis tuæ inuocans. Te amanter, fideliter, humiliter & confidenter obſecro (Ieſu bone) per amorem quo tu dignatus es pro nobis homo fieri, pati, mori & teipſum in hoc ſacramento nobis dare & relinquere: vt me, tuóſque & meos ſpeciales omnes, ad hæc prædicta, aliáque omnia tibi placita, per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum Angelicúmque miniſterium iugiter excites & moueas: illumines & dirigas: accendas & confortes: ſtabilias & perficias ſicut noſti magis expedire ad tuã gloriam, animarúmq; noſtrarum ſalutem, quoniam non deſideramus nobis viuere, ſed tibi, vtinam dignè & perfectè.

Ah non permittas nos ire in adinuentionibus noſtris vitioſis, ſed ſæpi vias noſtras ſpinis, & noſtras etiam rebelles ad te propitius conuerte & compelle voluntates, vt in omnibus ſequamur tuam voluntatem bonam, beneplacentem & perfectam: votaque tibi promiſſa & ſancta propoſita, amanter, fideliter integrè & perſeueranter reddamus. Cæteras neceſſitates noſtras, tibi notas, & omnes petitiones ſalutares, in hoc benigniſſimo tuo ad nos aduentu, clementer & liberaliter exaudi, & perfice omnia in nobis tuíſque & noſtris omnibus, iuxta tuam imperialem opulentiam, liberalitatem & magnificentiam, tuámque paternam





bonitatem, prouidentiam & diſpenſationem, ſicut ſcis, vis & potes, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

*SEQVITVR EXERCITIVM prædictum ante Miſſam & Communionem breuius comprahenſum, pro his quibus non vacat aliud prolixius legere.*

*Imploratio beatæ Mariæ virginis & matris Dei ante Miſſam & Communionem.*

O DOMINA mea ſancta Maria: ô mater Dei & virgo digniſſima: ô Angelorum & Sanctorum omnium Imperatrix glorioſiſſima: ô noſtra ſingularis mater & Aduocata poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima & benigniſſima: Multum deſidero ſub honore tuo, filij tui ſacrum corpus & ſanguinem hodie & deinceps offerre & ſumere: ſed quia ad hoc nimis ſum indignus & inſufficiens: per te, obſecro, acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis: vt per te nos ſuſcipiat, purget, illuminet & perficiat: qui per te datus & natus eſt nobis. Excuſet apud ipſum, tua puritas & integritas, culpam noſtræ impuritatis & corruptionis. Humilitas tua Deo grata, noſtræ veniam impetret ſuperbiæ & vanitati.

Copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum: & fæcunditas me glorioſa, fæcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, mediatrix noſtra, Aduocata noſtra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos repræſenta & commenda, tuo filio nos coniunge & incorpora, fac ô Benedicta, per gratiam quam inueniſti, per prærogatiuam, quam meruiſti: per miſericordiam quam peperiſti: vt qui te mediante dignatus eſt particeps fieri miſeriæ & infirmitatis noſtræ: te quoque intercedente participes nos faciat corporis & ſanguinis ſui, gratiarúmque & virtutum, paſſionum & meritorum ſuorum: tandémque gloriæ & beatitudinis ſuæ, IESVS CHRISTVS Filius tuus, Dominus noſter, Deus benedictus in ſæcula. Amen.

### *INVOCATIO ANGELORVM & omnium beatorum ſpirituum.*

O MICHAEL Eccleſiæ princeps. O Gabriel, cæleſtis paranymphe, ô Raphael medicina Dei. O Angele mî cuſtos & Patrone. O Archangele huius monaſterij & totius ordinis noſtri Archangeli. O Princeps huius Regni & Dominij ac Diœceſis. O omnes ac ſinguli beatorum ſpirituum ordines.





| | | |
|---|---|---|
| 1 Angeli. | 4 Poteſtates. | 7 Throni |
| 2 Archangeli. | 5 Virtutes. | 8 Cherubin |
| 3 Principatus. | 6 Dñationes. | 9 Et Seraphin. |

VT ſub veſtro honore digniſſimum Miſſæ ſacrificium offerre, & corporis & ſanguinis Domini ſacramentum deuotè ſuſcipere poſſimus: ſtate, obſecro, nobiſcum iuxta aram templi, mittite ignẽ de altari diuini cordis in corda noſtra: ſuſcipite incenſa orationum noſtrarum in aurea thuribula cordium veſtrorum, vt ſic per vos aſcendat fumus aromatum noſtrorum in conſpectu Dei. Eya ſemper & vbique, ſed maximè in hoc tanto myſterio nos purgate, illuminate & perficite; nos protegite, dirigite & honeſtate. Offerte etiam pro nobis, & nobis donate veſtrã humilitatem, puritatem & ſimplicitatem: veſtram charitatem, ſapientiam & ſtabilitatem: veſtram denique deuotionem, gratitudinem & feruorem, cæteráſque virtutes & perfectiones veſtras quibus ornati Deo placeamus, & gratum obſequium exhibeamus.

### *Inuitatio Sanctorum.*

O Sancti huius Diei N.N. quorum videlicet hodie in Eccleſia memoria recolitur, vel feſtiuitas agitur, quique tali die vitam beatam ingreſſi eſtis.

O Patroni mei ſpeciales B. Ioannes Baptiſta, B. Ioannes Euangeliſta, Ioſeph, Anna, Ioachim: Petre & Paule, Bruno, Benedicte,

Bernarde, Magdalena, Barbara & Genoueſa.

O ſancti huius feriæ. (Hîc ſingulis diebus inuita certum chorum & ordinem ſanctorum prout hîc ſunt deſcripti & deſignati.)

*Dominica.*

O Sancti Patriarchę ex quibus ſecundum carnem natus eſt Chriſtus, Adam, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Ioachim & Anna cum ſociis.

*Feria ſecunda.*

O Sãcti Prophetę, Sacerdoes, Duces & Reges cęteríq; veteris teſtamenti ſancti in cœlo iã glorificati. Moſes, Elia, Eſaia, Hieremia, Ezechiel, Daniel, Samuel Aaron, Onia, Ioſue, Dauid, Ezechia, Iob, Thobia, Matthatia: Iudith, Heſter & cæteri.

*Feria tertia.*

O Glorioſi Apoſtoli, Euangeliſtæ & diſcipuli Domini. Petre, Paule & Andrea: Iacobe, Ioannes & Thoma: Iacobe, Philippe, Bartholomæe: Matthæe, Simon & Thadæe, Matthia, Luca, Marce: Lazare & Martialis cum ſociis.

*Feria quarta.*

O Inuictiſſimi Martyres: Stephane, Clemens, Laurenti, Vincenti, Ignati, Dionyſi, Maurici, Georgi, Sebaſtiane, Coſma & Damiane cum cæteris.

*Feria quinta.*

O Sanctiſſimi & deuotiſſimi, Pontifices, Sacerdotes, & Confeſſores: Silueſter, Gregori, Hieronyme, Ambroſi. Auguſtine, Chryſoſtome, Martine, Hilari, Remigi, Baſili,





ſili, Hugo, Germane cum ſociis.

*Feria ſexta.*

O Religioſiſſimi Anachoritæ, Monachi & regulares omnes Paule, Antoni, Hilarion: Bruno, Benedicte, Bernarde: Franciſce, Dominice, Cęleſtine cũ ſociis & filiis veſtris.

*Sabbatho.*

O Electiſſimæ Chriſti ſponſæ virgines & cõtinentes, Barbara, Katharina, Vrſula: Agatha, Lucia, Agnes, Cæcilia: Anaſtaſia, Margareta, Genoueſa, Gertrudis, Methildis: Scholaſtica, Clara, Katharina Senenſis cum cæteris.

*Quod ſequitur quotidie dicendum eſt.*

O OMNES & ſinguli ſancti in cœlo Chriſto regnantes & epulantes: per illud ardentiſſimum charitatis incendium, quo toti ardetis in Deum, noſtram purgate immunditiam, illuminate ignorantiam, & tepiditatem accendite: Omnémque veſtram fidem reuerentiam, puritatem, charitatem & deuotionem, cæteráſque virtutes quibus Domino vnquam placuiſtis (maximè in ſumptione & oblatione huius ſacramenti & ſacrificij, & in die glorioſæ aſſumptionis veſtræ in cœlum) nobis donate; vt ſic ſub honore veſtro ſacroſanctum corpus & ſanguinem Domini noſtri, deuotè & fructuoſè ſumere & offerre poſſimus.

*Oratio ad Dominum Ieſum ante Miſſam & Communionem.*

O VNICE, fideliſſime & certiſſime amator, Domine IESV CHRISTE, Deus & homo perfectiſſime, in hoc altaris ſacramēto verè & realiter pręſentiſſime. Etſi ego viliſſimus terræ vermiculus, & peccator maximus verè ſim indignus ſacrum corpus tuum & ſanguinem offerre & ſumere: quia tamen tu vis & dignaris id à me fieri: Ideò non ex aliqua præſumptione, neque propria quæſitione; ſed ex ſola hac tua dignatione & voluntate (cui amanter obedire debeo & volo) neque ex affectu meo tepido & indeuoto: ſed ex affectu amantiſſimæ & deuotiſſimæ matris tuæ, beatorum Angelorum: ſanctorum huius diei & feriæ, Patronorúmque meorum ſpecialium & omnium glorificatorum: ex mea, tuorúmque & meorum, qui in hoc mundo ſunt, ſpecialium, omniúmque viuorum & animarum purgandarum parte, multùm deſidero ad honorem tuum & ſanctorum, noſtrámque & omnium ſalutem, ſacratiſſimum tuum corpus hodie & deinceps offerre & ſumere. Sed quia nimis indignus & imparatus ſum: Tu quæſo ſicut ſcis, vis & potes, me & cęteros communicare volentes, per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium, ad hoc, ſanctifica & purga ab omni inquinamento animæ & corporis, excita, præpara, exorna & adiuua, vt verè propter te, tuúmque amorem & beneplacitum, & ſecundum tuæ ſapientiæ & ſpiritus directionem & intentionem, ac per gratiæ tuæ auxilium: & tecum cooperantes, tuúmq; tractum ſequentes poſſimus ſuperdigniſſimum hoc ſacrificium & ſacramentum deuotè ac fructuosè offerre & ſumere, in vnione illius amoris & dulcedinis, gratitudinis & deuotionis, miſericordiæ & liberalitatis, quibus illud in cœna vltima inſtituiſti, ſumpſiſti, ſumendum Apoſtolis tuis dediſti, & à nobis in tui memoriam offerri & ſumi inſtituiſti, & ordinaſti. Ad ſacroſanctæ Trinitatis, tuæque humanitatis latriam ſupremam: Ad matris tuæ Hyperduliam & ſingularem venerationem: ad beatorum Angelorum, Sanctorúmque huius diei, & patronorum meorum ac omnium beatorum gloriam, meámque & tuorum ac meorum omnium totiúſque Eccleſiæ & vniuerſitatis ſalutem, iuxta memoriale iam factum, aut fieri per me ſolitum. (hoc dicens refer intentionem tuam ad oblationem generalem ſupra poſitam, quam ſi nondum feciſſes, & velles hîc facere; inde eam repetes & leges.)

*Specialis præparatio ad Communionem.*

SPECIALITER autem obſecro te (Paſtor bone & panis viue, IESV dulciſſime) da nobis hodie ſic carnem tuam manducare & ſanguinem tuum bibere: téque perfectum Deum & hominem in hoſpitium cordis noſtri ſic ſuſcipere ac retinere, vt fructum omnem ad quem hoc ſacramentum inſtituiſti, & quem in præcedentibus ſanctis tuis operatus es, in nobis etiam opereris: Et maximè vt iuxta verbum tuum, in te maneamus, & per te ac propter te viuamus & operemur.

2 Túque viciſſim in nobis maneas, viuas & liberè opereris qæcunque volueris.

3 Vt purges nos ab omnibus vitiis & immunditiis.

4 Vt ſanes nos à peccatorum noſtrorum vulneribus & reliquiis.

5 Vt præſerues nos à recidiuo peccati & tentationibus.

6 Vt terreas & reprimas hoſtes noſtros inuiſibiles & viſibiles, ne nobis noceant & præualeant.

7 Vt reſtaures perdita, & ſuppleas neglecta.

8 Vt illumines nos tui, tuæque voluntatis notitia.

9 Vt accendas tui amore, & zelo iuſtitiæ.

10 Vt fæcundes nos placitis tibi operibus & meritis.

1 Vt confirmes nos & ſtabilias in omni bono.

2 Vt robores & fructibus ſpiritus tui nos ſaties & reficias in aduerſis.

3 Vt potes nos & inebries aqua ſapientiæ ſalutaris, & vino feruentis amoris tui.

4 Vt impingues nos gratia deuotionis & alacritatis.

5 Vt ſopores nos & obdormire facias, per contemplationem.

6 Vt transformes nos in te crucifixum, humilem, pauperem & patientem.

7 Vt vnias nos tibi per indiſſolubile charitatis vinculum.

8 Vt inarres nos pignore gratię ſpecialis &





ſalutis.

9 Vt liberes nos à pręſentibus & imminentibus iracundiæ, tuæ flagellis & pœnis nociuis.

10 Vt redimas nos & præſerues à pœnis æternis.

11 Vt glorifices nos in æterna tecum beatitudine.

12 Cæteróſque huius ſacramenti effectus in nobis implere & efficaciter applicare digneris.

Sed quis tu, & quis ego, vt audeam te ſic ſumere, & tanta à te ſperare & petere?

Certè credo & confiteor, quia in hoc ſacramento verè & realiter præſens es perfectus Deus & homo perfectus: Dominus, Creator & gubernator vniuerſorum: quem adorant Dominationes, tremunt Poteſtates: cui etiam aſſiſtit cum ſumma reuerentia cœleſtis exercitus. Tu hîc ades Iudex meus æquiſſimus, ſapientiſſimus & potentiſſimus omnem deteſtans iniquitatem & immunditiam, quem qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, plurimáque & maxima damna & mala incurrit.

Ego autem totus ſum vilis, pauper, miſer: peccator, ingratus, infirmus: iniuſtus, intemperans, immundus, infidelis, inobediens & inutilis ſeruus tuus. Qui ex me nihil ſum, poſſum, aut habeo præter innumera peccata tibi ſoli cognita: propter quæ & propter defectum debitæ præparationis & puritatis, reuerentiæ & deuotionis, amoris & feruoris: verè agnoſco & confiteor, quia non ſum dignus vt intres ſub

tectum meum: imò digniſſimus, quem propter multiplicem inobedientiam meam in infernum demergas, aut tanquam tepidum euomas & immundum à te repellas.

1 Sed quoniam vis peccatorum conuerſionem & vitam.

2 Quoniam veniſti vocare peccatores ad pœnitentiam.

3 Et laborantes & oneratos ad refectionem & requiem.

4 Quia malè habentibus, tu Medicus es neceſſarius.

5 Quia delitiæ tuæ ſunt eſſe cum filiis hominum.

6 Quia inuitas & hortaris vt carnem tuam manducemus.

7 Quia hoc ſacramentum ſumere deuotè & offerre eſt tibi & ſanctis tuis honorificum.

8 Mihíque & omnibus viuis & defunctis valdè proficuum.

9 Quia pro multis orare,& ſacrificium hoc offerre teneor.

Ideò vt ego peccator conuertar, viuam & pœniteam.

Vt ego laborans & oneratus & ægrotus à te reficiar,ſaner & in te requieſcam.

Vt delitias in me poſſis habere: vt tuæ voluntati obediam: vt te & ſanctos honorem: mihíque & pro quibus orare teneor, ac omnibus viuis & defunctis gratiam & ſalutem impetrem.

Propter hæc,inquam, & alia inductiua omnia, ego, quamuis imparatus & indí-

gnus,



gnus: de tua tamen plenè confidens placabilitate,pietate, dulcedine, charitate, miſebilitate,pietate... ricordia & dignatione audeo cum publicanis & peccatoribus, cum infirmis & miſeris omnibus,ad te ſupereffluentem pietatis abyſſum accedere, tuumque corpus quia vis & ſicut vis,cum pia & humili fiducia ſumere: ſcio enim quia ex me inquinari non potes, ſed ſi vis,facilè vales de indigno & immundo me dignum & mundum facere. Nec dubito quin velis. Credo enim quia in hoc ſacramento ades & ad nos venis cum ſumma humilitate, patientia, amore, dulcedine, opulentia, charitate, gratiæ plenitudine & miſericordia: vnde licet vilis ſim & indignus: deſidero tamen & confidenter obſecro atque expecto; Tua humili dignatione, dignificari: Tua patientia, ad veram pœnitentiam adduci & à debitis abſolui: Tuo amore, inflammari & emolliri: Tua dulcedine, refici & ſatiari: Tua opulentia ditari; Tua gratia, impinguari: Tuaque infinita miſericordia ab omnibus peccatis & malis liberari.

Suſcipe ergo me, Domine IESV ſecundum eloquium tuum,& non confundas me ab hac expectatione mea. Et in ſacris vulneribus tuis & ſanguine ablue me & emunda ab omnibus immunditijs & negligentijs: Sana & præſerua, à peccatorum vulneribus & reliquijs. Da mihi omnes virtutes & iuſtitias, vitæ & paſſionis tuæ: & præpara tibi locum in anima mea, in quo te ipſum recipere & habitare digneris.

Veni igitur ſponſe dulciſſime, & cor

meum

meum tuis vulneribus ſaucia: mentem meam, tuo ſanguine inebria: corpore tuo, corpus meum caſtifica: animam meam, tua anima ſanctifica: ſpiritu tuo, ſpiritum meum viuifica: tua diuinitate, me totum in te abſorbe, transforma & agglutina. Da mihi etiam (benigniſſime IESV) omnia merita & virtutes deuotiſſimæ matris tuæ, ſanctorumque huius diei, & patronorum meorum ac omnium beatorum. Da mihi omnia deſideria omnemque deuotionem & virtutes amicorum tuorum & meorum ſpecialium, qui adhuc ſunt in mundo. Quos (ô pie Deus) hodie & deinceps fac mecum tibi aſſiſtere, mecum te offerre & ſumere, mecumque gratiæ tuæ participes fieri. Suſcipe me etiam hodie in holocauſtum perpetuum: Ecce enim cum hac ſacra oblatione corporis tui, in ea charitate, qua Deus pater te nobis dedit, & tu temetipſum in ara crucis pro nobis Deo patri obtuliſti: & per ſpiritum ſanctum à fidelibus tuis in hoc Miſſæ ſacrificio offerris & teipſum offers: offero etiam tibi inæternum beneplacitum tuum meipſum totum & quicquid poſſum & habeo, cum vniuerſa creatura, ad relinquendum, agendum & patiendum quicquid volueris in tempore & æternitate. Gratiaſque agens pro gratia profeſſionis Cartuſianæ mihi conceſſa: illam cum quanta poſſum deuotione nunc renouo, rurſuſque tibi promitto, ſtabilitatem, obedientiam, conuerſionem morum meorum, paupertatem, caſtitatem & omnem regularem obſeruantiam: diffidens prorſus de me, ſed in te

plenè



plenè confidens, & te amanter ac confidenter obſecrans, vt per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium, me ad prædicta & alia omnia tibi placita excites, dirigas, adiuues & perficias: cæteraſque petitiones & neceſſitates meas in hoc benigniſſimo aduetu tuo miſericorditer exaudias & impleas. Amen.

*Poſtquam præmiſſa exercitia ante miſſam vel communionem in priuato legeris, & mente potius quam voce percurreris: Quando debebis immediatè miſſam celebrare, vel communionem de manu ſacerdotis accipere, iuxta morem noſtri Cartuſiani ordinis dices proſtratus ſemel (Pater & Aue Maria) cum explicatione ſupra poſita ſi volueris, & licuerit. Et à proſtratione ſurgens ſignabis te cruce, dicens: In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, & caput modicè inclinabis.*

*Breuiſſima ante miſſam, vel communionem præparatio, pro his quibus non vacat diutiùs orare.*

O MARIA mater Dei noſtra, ô Michael & omnes Angeli beati. O ſancti huius Diei. O Patroni mei ſpeciales & omnes ſancti, vt ſub honore veſtro poſſimus corporis & ſanguinis Domini ſacrificiũ & ſacramentum offerre & ſumere, donate nobis omnem veſtram puritatem, charitatem, ſanctitatem

& deuo

& deuotionem, & magnificare atque exoratè Dominum nobiſcum.

O benigniſſime IESV in vnione illius charitatis, liberalitatis, gratitudinis, deuotionis & dignationis, qua tu in vltima cœna hoc ſacramentum inſtituiſti, ſumpſiſti, Apoſtolis tuis ſumendum dediſti, & voluiſti illud à fidelibus tuis vſque in finem ſeculi ſumi & offerri, Da nobis, & omnibus communicare volentibus, ſic purè, reuerenter, amanter & deuotè corpus tuum offerre & ſumere, vt fructum omnem, ad quem hoc ſacramentum inſtituiſti, & quem in precedentibus ſanctis deuotè communicantibus, operatus es, in nobis etiã opereris, ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtramque, & omnium pro quibus tenemur, aut intendimus orare ſalutem præſentem & perpetuam, iuxta memoriale per me fieri ſolitum. Amen. Pater noſter: Aue Maria.

*SEQVVNTVR QVAEDAM ſub ipſa Miſſæ celebratione Meditanda.*

## CAPITVLVM QVINTVM.

*ATQVE IN PRIMIS DVM ſacerdos celebraturus veſtes ſacerdotales induit fructuosè poteſt quæ ſequuntur mente, vel voce exercere ſi ad alia non obligetur. Ad quod expedit, vt dum induitur nullam horam canonicam dicat, ſed ſi quæ dicenda fuerit, eam perſoluat antequam induatur, vel poſtquam indutus fuerit.*

Igitur



*Igitur dum amictum, ſacerdos capiti ſuo ſuperimponit. & corpori ſuo circumligat, hæc poteſt meditari aut dicere.*

*Ad ſingula ſacerdotalia indumẽta deuota oratio.*

BENIGNISSIME IESV, Deus æterne, qui tegimen noſtræ humanitatis aſſumendo caput noſtrum factus es: per huius incarnationis tuæ myſterium & meritum, vitam & motum ſpiritualem nobis membris tuis influe. 1
2. Da nobis, carnis tuæ puritatem & integritatem. 2
3. Et animæ tuæ perfectionem & ſanctitatem: per amorem illum quo humanitatem tuam diuinitati tuæ perſonaliter vniuiſti & colligaſti atque inſeparabiliter agglutinaſti. 3

*Dum induit Albam.*

Benigniſſime IESV, da nobis tuæ vitæ & conuerſationis candorem & innocentiam: tuarumque virtutum viriditatem: & ruborem ac meritum tuarum paſſionum.

*Cingulum aſſumendo.*

Da nobis Benigniſſime IESV, tuam altiſſimam paupertatem, & benigniſſimam condeſcenſionem, tuamque ſobrietatem & abſtinentiam: atque mentis & corporis caſtitatem.

*Manipulum accipiendo.*

Da nobis tuum zelum feruentiſſimum, tuamque patientiam, fortitudinem & conſtantiam.

*Stolam collo & humeris imponendo.*

Da nobis tuam humilem & perſeuerantem obedientiam, cruciſque noſtræ deuo-

tam

tam poſt te baiulationem, in tuæ crucis venerationem.

*Caſulam induendo.*

Da nobis veſtem nuptialem, geminam ſcilicet Dei & proximi charitatem, quæ te de cælis ad terram & ad crucis mortem pro nobis attraxit.

Da nobis, inquam, prædicta omnia, vt his decenter ornati & veſtiti, in conſpectu tuo grati inueniamur, & placeat tibi ſacrificium noſtrum, Amen.

*Sic indutus præparando calicem, altare diſcooperiendo, & cætera diſponendo: ſemper aliquid deuotum corde, vel etiam ore dicito: puta hymnum aliquem: Aut potius deuotas inuitationes eius quem ſuſcepturus es, per certa eius nomina, dicens: Veni ad me ô talis & talis & tui amoris igne me totum purga, illumina, inflamma, excita: dirige, perfice, abſorbe, trãsforma, & vni.*

*Cæremonias in Miſſa ſeruandas, diligenter ex ordinario (vbi habentur) addiſce, & deuotè ac ſtudioſè obſerua. Hîc autem habes quædam pro maiori attentione & deuotione vtiliter exercenda & meditanda ſicut licuerit & libuerit.*

*Miſſam inchoaturus, quando ante confeſſionem te ſigno crucis conſignas dic.*

*Hanc ſub cõſignatione crucis attentionem poteris habere quoties te conſignabis.*

IN NOMINE, hoc eſt in virtute & ad honorem, PATRIS, filium dantis.

ET FILII, propter nos incarnati in vtero virginis.





ET SPIRITVS SANCTI, nos per crucem Chriſti ad reſurrectionis eius gloriam perducentis.

AMEN, hoc eſt, fiat & perficiatur dignè à nobis hoc ſacrificium per cor tuum, ô IESV benigniſſime.

*Breuis & deuota explicatio Confeſſionis quæ more Cartuſiano fit initio miſſæ altè & intelligibiliter.*

PONE DOMINE CVSTODIAM: timoris & amoris tui.

ORI MEO: interiori (hoc eſt) cordi, vt nihil illud intret tibi diſplicens.

ET OSTIVM CIRCVMSTANTIAE; & diſcretionis ac circumſpectionis: LABIIS MEIS: hoc eſt, memoriæ, intellectui & voluntati, quatenus ea ſola, quæ tu vis, ſapiam & eloquar.

CONFITEOR: & corde ac ore humiliter fateor.

DEO: iudici ac iuſtificatori meo.

ET BEATAE MARIAE: aduocatæ noſtræ ac mediatrici.

ET OMNIBVS: Angelis, & SANCTIS: interceſſoribus noſtris.

ET VOBIS FRATRES: quorum precibus iuuari ſpero.

QVIA PECCAVI NIMIS: per carnis concupiſcentiam.

MEA CVLPA: & cupiditate.

PER SVPERBIAM: præferendo voluntatem meam diuinæ voluntati.

COGITATIONE: I. interiori delectatione vel conſenſu.

LOCVTIONE: illicita & vitioſa.

OPERE: & exteriori perpetratione peccati.

ET OMISSIONE: iuſtitiæ & eorum ad quæ tenebar.

PRECOR VOS (ô B. Maria, Angeli ſancti & fratres mei) ORATE PRO ME: iuſtificando & ſanctificando.

*Dum à circumſtantibus reſpondetur (Miſereatur tui:) potes quod ſequitur cogitare, maximè in in miſſa conuentuali.*

OMnipotens & miſericors Deus, miſerere mei per interceſſionē B. Mariæ, Angelorum & ſanctorū, horumq; fratrum meorū & omnium fideliū: Et in ſanguine ac amore tuo, tuiſque miſerationibus dimitte omnia peccata mea: ET per meritum ac imitationem vitæ & paſſionis tuæ, perduc me ad tuam claram viſionem & beatificam fruitionem. Amen Ita quæſo fiat benigniſſime IESV, ſicut vis & potes.

*Dum circumſtantes dicunt (Confiteor) poteris (Maximè ſub miſſa conuentuali) hæc cogitare.*

EYa benigniſſime IESV, nos omnes ſanctifica, excita, conforta, cohibe, compone, ſtabili, reple, illumina, accende, & adiuua, vt verè propter te, ſecundum te, per te & tecum hoc ſacrificium dignè inchoemus, proſequamur & perficiamus, ad tuam & ſanctorum tuorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem.





*Deinde cum magno deſiderio ſalutis proximorum, tam aſtantium, quam cæterorum fidelium vbique in Eccleſia Catholica exiſtentium, & huic ſacrificio participantium: dic quod ſequitur.*

1 MISEREATVR VESTRI: abundanter:

2 OMNIPOTENS DEVS: cui proprium eſt miſereri & parcere.

3 PER INTERCESSIONEM: & merita

4 BEATAE MARIAE: aduocatæ noſtræ,

5 ET OMNIVM: Angelorum: & SANCTORVM:

6 ET: in ſuis vulneribus ac miſerationibus: DIMITTAT VOBIS,: quo ad culpam & pœnam: OMNIA PECCATA VESTRA:

7 ET: per ſuæ vitæ ac paſſionis merita & virtutes:

8 PERDVCAT ad vitam; & claram ſui viſionem:

9 Æternamque fruitionem.

AMEN: ita fiat ſicut amanter & confidenter petimus.

ADIVTORIVM NOSTRVM: ad dignè perficiendum hoc ſacrificium ſit & nobis donetur: IN NOMINE: & gratia & virtute: DOMINI: vnitrini Dei:

QVI FECIT COELVM ET TERRAM: & à quo cœleſtia & terreſtria auxilia ſunt ſperanda.

*Poſt hæc: iuxta Cartuſianum morem: dic ante altare (Pater noſter & Aue Maria) cum breui*

*applicatione ad membra crucifixi (vt docetur in libello pſalterij decachordi. Et in fine, Aue Maria: poſt hæc verba (Et benedictus fructus ventris tui) adde, ſi vis, quæ ſequuntur:*

IESVS CHRISTVS, pro nobis exte incarnatus, natus & ſanctiſſimè conuerſatus: crucifixus, tibi compaſſus & mortuus, ſuſcitatus, glorificatus & in hoc ſacramento nobis relictus. Sancta Maria mater Dei & virgo, Beati Angeli, Sancti huius diei, patroni mei & omnes electi beati, orate pro nobis peccatoribus, & magnificate Dominum nobiſcum, eique nobiſcum offerte ſacrificium.

*Et oſculando medium altaris dic.*

AMEN: ita quæſo fiat, Bone IESV, per ſuauiſſimum cor tuum quod eſt altaré aureum superſanctiſſimæ Trinitati gratiſſimum.

*Poſt hæc te ſigno crucis conſignans potes hæc dicere.*

AD hoc benedicat nos tua omnipotentia.
Inſtruat & dirigat tua ſapientia.
Inflammet tua charitas.
Stabiliat tua Trinitas.
Intrahat & vniat, tua dulcis vnitas.

*Dicens introitum potes ſub verſu (Gloria Patri) hæc meditari ſi meliora non habes.*

GLORIA: & gratiarum actio, PATRI: fidelium nobis danti.
ET FILIO: ſe pro nobis offerenti.
ET SPIRITVI SANCTO: ſacrificium iſtud inflammanti & pingue reddenti.

SICVT



SICVT ERAT IN PRINCIPIO: ab ipſa Trinitate, & ab Angelis & ſanctis iam in cælo beatis.
ET NVNC: à nobis qui hîc adhuc viuimus.
ET SEMPER: à fidelibus qui nos ſequuntur vſque in finem mundi.
ET IN SAECVLA SAECVLORVM: in æterna beatitudine ab omnibus beatis poſt finale iudicium.
AMEN: Ita fiat per cor tuum benigniſſime IESV.

*Sub Kyrie eleyſon (quod nouem vicibus repetitur) potes ſalutare membra crucifixi ordine & modo qui ſequitur,*

KYrie eleyſon. Domine IESV miſerere noſtri.

*Per cruciatum & meritum.*

1 PEdis tui dextri perforati.
2 Pedis tui ſiniſtri confixi.
3 Genuum tuorum ad orationem flexorum.
4 Lateris dextri, lancea perforati.
5 Cordis tui vulnerati.
6 Corporis tui flagellati.
7 Manus tuæ dextræ perforatæ.
8 Capitis tui ſpinis coronati.
9 Manus tuæ ſiniſtræ confixæ.

*Poſſes etiā hæc nouem Kyrie eleyſon, applicare nouē nominibus Dei aut nouē ordinibus angelorū vel ſanctorū: aut nouē vitiis, vel virtutibus: aut in miſſa de beata, feſtiuitatibus eiuſdē virginis:*

*prout*

*(prout in libello decachordi pſalterij plenius docetur, quod facilius exercere poteris ſub miſſa conuentuali quando lentè cantatur.*

*Sequitur breuis & deuota expoſitio Angelici cantici. (Gloria in excelſis) membris crucifixi applicata, ad quæ referendi ſunt numeri in margine notati.*

7 GLORIA: 1. Clara & amoroſa laus.
8 IN EXCELSIS: Angelis & ſanctis, in cælo glorioſis.
9 DEO: offeratur pro nobis, ſicut offerri iugiter credimus & gratulamur.
10 ET IN TERRA: ac vita hac mortali conferatur.
PAX: interna, fraterna, & externa.
HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS: Deum & proximum ſincerè amantibus.
1.2 LAVDAMVS TE: prædeſtinatorem & creatorem noſtrum.
3 BENEDICIMVS TE: conſeruatorem & gubernatorem omnium.
4.5 ADORAMVS TE. Ieſum redemptorem illuminatorem & paſtorem noſtrum pro nobis crucifixum.
7 GLORIFICAMVS TE: iam ſuper omnes cælos exaltatum & glorificatum.
8 GRATIAS AGIMVS TIBI: pro ſpiritus ſancti miſſione, eccleſiæque gubernatione, atque
9 PROPTER GLORIAM: & beatitudinē: TVAM MAGNAM: quam poſſides, ac nobis præparaſti ac promiſiſti.





1 DOMINE: Pater miſericordiarum.
2 DEVS: Pater futuri ſeculi.
3 REX COELESTIS: & perennis gloriæ,
4 DEVS: & Dominator mitiſſime,
5 PATER: ab æterno Filium generans.
6 OMNIPOTENS: Imperator cœli & terræ.
7 DOMINE: Redemptor & Iuſtificator.
8 FILI: Dei Patris coæterne & conſubſtantialis.
9 VNIGENITE: & prædilecte,
1 IESV: Saluator.
3 CHRISTE: Rex & Sacerdos.
4 DOMINE: amantiſſime.
5 DEVS: Emanuel.
6 AGNVS: Immaculatus. DEI: Patris munere & voluntate pro nobis immolatus.
8 FILIVS: Dei, PATRIS: ex eius ſubſtantia ab æterno genitus & prædilectus.
1 QVI: in vulneribus tuis & ſanguine, TOLLIS: deles & remittis,
2 PECCATA MVNDI: quo ad culpam:
3 MISERERE NOBIS: abſoluens nos ab omnibus peccatis.
4 QVI: per crucem tuam & obedientiam vſque ad mortem: TOLLIS: &
5 remittis: PECCATA MVNDI: quo ad pœnam eis debitam, quam ſufficientem in te pertuliſti.
6 MISERERE NOBIS: redimens & præ-

ſeruans nos ab æternis pœnis & iracundiæ tuæ flagellis.

7 QVI SEDES: Iudex & Rex omnium:

8 AD DEXTERAM: & gloriam: PATRIS: eidem in omni gloria & fœlicitate coæqualis.

9 MISERERE NOBIS: mittendo ad nos Spiritum tuum Septiformem, qui per gratiam perducat nos ad tuam gloriam.

1.2. QVONIAM TV SOLVS: es à teipſo & perfecte: SANCTVS: ſanctificans nos & omnes Sanctos.

4.5. TV SOLVS: es: DOMINVS: ſupremus, omnibus dominans & omnia gubernans.

8 TV SOLVS: es. ALTISSIMVS: in cœleſti gloria, omnes Sanctos glorificans.

7 IESV: ſaluans nos à peccatis.

8 CHRISTE: tua vnctione ſanans nos ab infirmitatibus.

9 CVM SANCTO SPIRITV: condilecto & coæterno amore, à Patre & à te procedente.

8 IN GLORIA: & mutua intuitione ac fruitione beatifica.

7 DEI PATRIS: opulentiſſimi & beatiſſimi.

10 AMEN: ita credo & confiteor, amanſque pro his omnibus tibi congratulor. O vnitrine Deus.





*Dicens Dominus vobiſcum, ſic cogita.*

10 DOMINVS: IESVS anima pro nobis contriſtatus vſque ad mortem.
VOBISCVM: ſit in corde veſtro ad exaudiendum preces veſtras.

8 ET CVM SPIRITV TVO: ſit per ſuum eleuatum ſpiritum, tuum ſpiritum viuificans & ad ſuam diuinitatem eleuans, vt in ſpiritu & veritate illum exores.

10 OREMVS: per cor Domini IESV, & ex eius affectu & deuotione.

*Sub concluſione orationis poteris hæc meditari.*

4 PER DOMINVM NOSTRVM: Redemptorem.

6 IESVM: Saluatorem.

7 CHRISTVM: Mediatorem.

8 FILIVM 9 TVVM: prædilectum, in cuius nomine nos exaudiendos promiſiſti.

7 QVI TECVM VIVIT: vita beata.

8 ET REGNAT: cœlum & terram liberè gubernans.

9 IN VNITATE SPIRITVS SANCTI: i. ſimul cum Spiritu ſancto, in quo illum nobis donaſti.

8 DEVS: verus & omnipotens.

7 PER OMNIA SAECVLA SAECVLORVM.: in æterna & ſecura beatitudine.

10 AMEN: ita quæſo fiat, ſicut amanter & confidenter per cor Domini IESV petimus.

*Si hanc huius concluſionis explicationem memoriæ commendaueris, & eius ſenſum in priuata meditatione guſtaueris: facilè eam mente concipies, quando eam dices aut audies: idque potiſſimum ſub officio conuentuali quando attractiùs profertur.*

*Repetendo (Oremus) ante ſecundam collectam potes ſic cogitare.*

10 OREMVS: perſeueranter & vnanimiter per cor IESV.

*Concluſionem orationum dic vt poſt primam orationem.*

*Poſt orationes, lege intelligibili & attenta voce Epiſtolam & quæ ſequuntur: Quibus dictis deferendo librum ad cornu altaris ſiniſtrum potes dicere ſubmiſſa voce aut ſola mente: (Veni ſancte Spiritus reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accende) aut quid ſimile & deuotum, vt mens tua ſemper occupetur: deinde poſito libro, ſtans in medio altaris iunctis manibus dic:*

10 DOMINVS. Ieſus: SIT IN CORDE





MEO: ſuo amore & deuotione illud ſuccendens.

8 ET IN LABIIS MEIS: ea purgans & aperiens.

9 VT RECTE: & fructuosè ac deuotè, PRONVNCIEM EVANGELIVM PACIS: per quod vera pax cum Deo nobis annunciatur & confertur.

*Deinde oſculando altare, dic:*

AMEN: Ita quæſo fiat per cor tuum bone IESV.

*Dum dicis ante Euangllium: (Dominus vobiſcum (ſic cogita.*

10 DOMINVS VOBISCVM ſit, & aperiat aures cordis veſtri, ad intelligendum retinendum & implendum Euangelium.

8 ET CVM SPIRITV TVO: ſic, illum illuſtrans & inflammans ſui Euangelij verbis.

SEQVENTIA SANCTI: nos ſanctificantis: EVANGELII: bona nuncianris: SECVNDVM: talem Euangeliſtam: GLORIA: clara & amoroſa laus ex huius Euangelij lectione à nobis reddatur: TIBI DOMINE IESV.

*Dum hoc reſpondetur à circumſtantibus, Sacerdos conuerſus ad altare ſe ſignans & inclinans, nihil quidem dicere tenetur: poteſt tamen mente, aut etiam ſubmiſſa voce dicere ſe ſignando.*

8 Gloria tibi ſit Pater. 10. Per Filium tuum incarnatum & nobis in doctorem à te datum. 7. In Spiritu 9. Sancto & amore quo illum nobis dediſti.

*Poteſt etiam à circumſtantibus reſponderi (Gloria) modo & ſenſu qui ſequitur.*

VT dum dicunt (Gloria) manum ad caput leuantes ſic intelligant: (GLORIA) ſit tibi Pater qui Filium dediſti: & dum dicunt (TIBI) manum ad vmbilicum dimittentes, ſic cogitent: Et tibi Fili incarnate. Et dum dicunt (DOMINE) manum à ſiniſtro humero ad dextrum ducentes, cogitent: Domine Spiritus ſancte, qui per crucis meritum ad gloriam nos transfers & perducis.

*Quem ſenſum poſſumus cogitare, quoties nos ſigno crucis conſignare debemus: quod ſignum modo hîc explicato facere ſemper debemus.*

*Perlecto Euangelio, oſculando marginem libri potes ſi vis, mente vel ſubmiſſa voce dicere.*

AMEN: laus tibi ſit CHRISTE IESV pro his Euangelij verbis, quæ credo, amplector & ſeruare deſidero, tibíque in laudem æternam offero.

*Breuis & deuota expoſitio Symboli, (Credo.)*

4 CREDO: i. corde & ore profiteor fidem quam habeo





6 IN VNVM: quoad eſſentiæ vnitatem
8 DEVM: in perſonis trinum.
7 PATREM: qui ab æterno ſe intelligendo filium ſuum genuit, & pluſquam paterna pietate nos amat.
8 OMNIPOTENTEM: qui poteſt nos tueri & in omnibus exaudire.
9 FACTOREM: i. Creatorem & formatorem: COELI empyrei & Angelicę naturę.
10 ET TERRAE: corporalis & corruptibilis creaturæ.
1 VISIBILIVM OMNIVM: creaturarum quæ ſenſibus humanis poſſunt percipi, in terra, in aquis, in aëre, in cœlis.
2 ET INVISIBILIVM: Angelicorum ſpirituum & animarum.
3 ET: credo, atque per eandem fidem & charitatem teneo
IN VNVM: vnicam perſonam habentem & conſtituentem
4 DOMINVM: Redemptorem à pœnis.
5 IESVM: Saluatorem à peccatis.
6 CHRISTVM: inuicti imperij Regem.
7 FILIVM: naturalem & coæternum.
8 DEI: Patris. 9. VNIGENITVM: vnicum ac prædilectum.
1 ET EX PATRE: ſeipſum ab æterno intelligente: NATVM: tanquam mentis & intelligentiæ ſuæ perfectiſſimum verbum & conceptum.
2 ANTE OMNIA SAECVLA: i. ab æterno, ſine principio temporis & ante omne tempus.
3 DEVM: omnipotentem & opulentiſſimum:

4 DE DEO: Patre, fonte omnis potentiæ & opulentiæ.
5 LVMEN: clariſſimum & glorioſiſſimum.
6 DE LVMINE: luminum, Patre, à quo habet vt ſit lumen.
8 DEVM: benigniſſimum: VERVM: fideliſſimum ac certiſſimum.
7 DE DEO: Patre: VERO: fonte benignitatis, veritatis & fidelitatis.
1 GENITVM: ex ſubſtantia Patris per modum naturæ intellectualis conſimilis.
2 NON FACTVM: ex aliqua extranea materia, neque creatum ex nihilo ſicut nos & cæteræ creaturæ.
3 CONSVBSTANTIALEM PATRI: hoc eſt, habentem eandem prorſus cum Patre ſubſtantiam & diuinitatem, quam Pater ipſum generando ab ęterno ei communicauit.
5 PER QVEM, Patris ſapientiam: 4 OMNIA à Patre potenter.
6 FACTA SVNT: & ſubſiſtunt in menſura, numero & pondere.
7 QVI, tantus ac talis: PROPTER NOS HOMINES, viliſſimos & ingratiſſimos.
8 ET PROPTER NOSTRAM SALVTEM: & redemptionem à peccatis, pœnis & miſeriis.
9 DESCENDIT DE COELIS: i. de æterna opulentia gloria & ſuauitate, non iſta amittendo, ſed contraria aſſumendo in terra.





1 ET INCARNATVS EST: i. carnem & humanam naturam paſſibilem aſſumpſit, & ſuæ diuinæ perſonę vniuit perſonaliter.
2 DE SPIRITV SANCTO: i. ex amore puriſſimo & perfectiſſimo, & benigniſſima operatione diuina, abſque virili ſemine.
3 EX MARIA: ab æterno prædilecta, præſeruata & gratia repleta.
4 VIRGINE: ante conceptum, in cõceptu, & poſt partũ, de cuius puriſſimo ſanguine corpus ſibi formauit & aſſũpſit Filius Dei.
5 ET HOMO: verus & perfectus: FACTVS EST: per aſſumptionem veri & integri corporis humani, & veræ animæ rationalis de nihilo creatæ, quod vtrũmq; in ſuã diuinã perſonã aſſumpſit & ſibi perſonaliter vniuit, ſic vt Dei Filius & homo vnus ſit Chriſtus vnicã habens perſonam.
6 CRVCIFIXVS ETIAM, & flagellatus ac ſpinis coronatus.
7 SVB PONTIO PILATO: qui ipſum ad hæc condemnauit.
8 PASSVS: generaliſſimam ignominioſiſſimam & acerbiſſimã paſſionẽ & mortem.
9 Et: aromatib⁹ cõditus in alieno ſepulchro.
7 SEPVLLTVS EST: deſcẽdítq; ſecũdum animam ad inferos & inde Patres eduxit.
1 ET RESVRREXIT: immortalis, impaſ-
2 ſibilis, ſplẽdidus & agilis: TERTIA DIE SECVNDVM SCRIPTVRAS: Prophetarum & Pſalmorum, quas apparens ſuis Apoſtolis aperuit.
3 ET ASCENDIT: cum iubilo Angelorũ occurrentium & animarum ſimul cum eo aſcendentium.

IN COELVM empyreum, beatorum locum, in eminentiorem eius partem.

7 SEDET: Iudex & Rex omnium pacatiſſimus.

AD DEXTERAM: & gloriam: PATRIS: æquali & eadem prorſus cum eo beatitudine fruens.

8 ET ITERVM: viſibiliter: VENTVRVS EST: & corporali præſentia in ea forma qua aſcendit, deſcenſurus eſt in nubibus: CVM GLORIA: & maieſtate Patris & Angelorum ipſum glorificantium.

9 IVDICARE: ſecundum ſingulorum merita: VIVOS: qui in ſuo aduentu vltimo adhuc ſuperſtites erunt.

10 ET MORTVOS: qui ante ſuum aduentum fuerint mortui.

Vel VIVOS: vita gratiæ, & electos ſuos quos ad ſe in aëra vocans, ad dextrã ſuam ſtatuet & glorificabit.

ET MORTVOS: in peccato mortali, quos in terra relinquet, & in ignem æternum remittet.

1 CVIVS REGNI: & pleni ſuper omnia dominij.

NON ERIT FINIS: ſed in æternum regnabitur.

2 ET: credo atque per charitatem teneo:

3 IN SPIRITVM SANCTVM: tertiam Trinitatis perſonam, nos ſpirituales & ſanctos facientem.

4 DOMINVM: omnium, omnibus ſimul cum Patre & Filio imperantem omniáque gubernantem.

5 ET VIVIFICANTEM: ac per Septifor-

mem



mem gratiam nos ad opera, vitæ æternæ meritoria mouentem.

7 QVI EX PATRE: Filium diligente.

8 FILIOQVE: ſimiliter Patrem amante ab æterno, 9 PROCEDIT: vtriuſque amor condilectus condiligens, & diuino amore nos inflammans.

1 QVI CVM PATRE: omnipotente: 2 ET FILIO: omnia ſciente. 3 SIMVL: & eadem fide, ſpe, charitate & obſequio: ADORATVR: & colitur.

4 ET CONGLORIFICATVR: i. eiuſdem gloriæ, opulentiæ & beatitudinis exiſtens, conſors & coæqualis eſſe agnoſcitur.

5 QVI LOCVTVS EST: & myſteria fidei noſtræ prænunciauit: PER PROPHETAS: veteris teſtamenti.

6 ET: credo certa fide eſſe: VNAM: habentem vnicam fidem, ſpem, charitatem, vnicumque Caput inuiſibile, quod eſt Chriſtus; & viſibile, quod eſt Romanus Pontifex Petri ſucceſſor legitimus.

7 SANCTAM: in ſanguine Chriſti & lauacro aquæ mundatam, ac firmam & inexpugnabilem.

8 CATHOLICAM: & vniuerſalem, quæ ſemper à mundi initio, & vbique terrarum, & communi omnium nationum ac generum hominum conſenſu extitit.

9 ET APOSTOLICAM: quæ per Apoſtolos & eorum legitimos ſucceſſores huculque ſemper gubernata fuit.

10 ECCLESIAM: i. fidelium omnium ad Chriſti fidem vocatorũ congregationem; quæ eſt corpus Chriſti, & columna veritatis.

1 CONFITEOR: & ſimul cũ prædictis corde credo, & ore profiteor eſſe: VNVM quod iterari non debet BAPTISMA: per aquam & ſpiritum nos regenerans, aliáque Eccleſiæ ſacramenta, inſtituta in remiſſionem peccatorum obtinendam.

3 ET EXPECTO cum certa ſpe & deſide-
4 rio ac diligenti præparatione RESVRRECTIONEM generalem MORTVORVM, in qua omnes cum ſuis corporibus reſurgent, ſed ſoli electi cum claritate, impaſſibilitate, ſubtilitate & agilitate, ac gloria.

ET VITAM: i. Claram SSS. Trinitatis & humanitatis Chriſti viſionem, fruitionem & laudem.

8 FVTVRI æterni & ſecuri. 9 Seculi: omni ſuauitate & beatitudine pleniſſimi.

10 AMEN: ita fiat & mihi eueniat ſicut verè credo & confidenter atque amanter expecto.

*Cum dicis, Dominus vobiſcum ante Offertorium, dic cum hac attentione.*

DOMINVS ſit. VOBISCVM: fidei & Euangelij veritatem & amorem in cordibus veſtris conſeruans.

ET CVM SPIRITV TVO: ipſum ad cœleſtia contemplanda & deſideranda





erigens & accendens. OREMVS Deum vt ad oblationem ſibi gratam faciendam nos excitet & adiuuet.

*Poſt lectum offertorium (more Carthuſiano) aquam calici infundens dic.*

DE LATERE: lancea perforato: DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EXIVIT SANGVIS & AQVA IN REMISSIONEM PECCATORVM.

*Deinde ſuper calicem patena coopertum fac ſignum crucis, dicens:*

IN NOMINE PATRIS filium dantis: ET FILII ſanguinem fundentis: ET SPIRITVS SANCTI: viuificantis & ſanctificãtis. AMEN, Ita credo & cõfiteor.

*Deinde extremitatem trium digitorum, quibus hoſtiam tractaturus es lauans, dic: (Lauabo inter inno: &c.) cum hac attentione.*

LAVABO, in hoc ſanguine & aqua de latere Domini effuſis, INTER INNOCENTES, i. in congregatione & communione fidelium, MANVS, & operationes meas. ET CIRCVNDABO, atque ornabo bonis virtutum exercitiis & deſideriis, ALTARE TVVM, quod eſt cor meum in quo vis tibi ſacrificium offerri, O DOMINE Adorande vt ſic ex te, ad cor meum intus loquente: AVDIAM VOCEM LAVDIS TVAE: i. intelligam qualiter te laudare debeam: ET poſtea

ENNARREM aliis, vel mecum gratus recolã: VNIVERSA MIRABILIA TVA:

*Hæc præſertim quibus dignatus es pro nobis.*

1 Incarnari.
2 Naſci.
3 Circuncidi.
4 Magis reuelari.
5 In tẽplo prçſẽtari.

6 In Ægyptũ fugere
7 Redire Nazareth
8 Feſta Colere.
9 Latere cũ matre.
10 Et ei Obedire.

1 Baptizari.
2 Ieiunare.
3 Tentari.
4 Vocare.
5 Docere.

6 Mira facere.
7 Iuſtificare.
8 Sanare.
9 Iniurias perferre.
10 Virtutũq; omniũ exẽpla relinquere.

1 Paſſionẽ & mortem ſubire.
2 Reſurgere.
3 Aſcendere.
4 Spiritum ſanctũ mittere.

5 Eccleſiã regere.
6 Et in ea B. Mariã & ſanctos omnes.
7 Vocare.
8 Iuſtificare.
9 Et glorificare.

Pro quibus omnibus ſit Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

*Hi vitæ & paſsionis articuli ſi fuerint memoriæ commendati, facile poterunt hîc à ſacerdote commemorari, interim dum manus abluit, tergit, & corporale diſponit. Veruntamen eatenus ab vnoquoque erunt aſſumendi, vel omittendi,*





*quatenus ſufficiet vt occupetur eius mens, nec tamẽ diutius immoretur, ne tædium adſtantibus fiat. Hæc enim ſunt voluntaria, non debita.*

*Poſt hæc ſumens calicem vt illum offeras, potes, ſi vis (neque enim teneris) dicere ſubmiſſa voce.*

QVid retribuam Domino, pro omnibus quç retribuit mihi? CALICEM hunc, SALVTARIS, oblationis faciendç: ACCIPIAM, deuotè, ET, vt hunc dignè offeram: NOMEN DEI INVOCABO.

*Deinde offerendo calicem, dic: In ſpiritu, &c.) cum ſequenti attentione.*

IN SPIRITV HVMILITATIS, ET IN ANIMO: vtinam verè contrito & reſignato: SVSCIPIAMVR A TE: ô Pater miſericordiarum, ſimul cum dilecto filio tuo ad omnia, tam aduerſa, quam proſpera: iuxta paterni cordis tui beneplacitum: ET SIC: deuotè: FIAT: & offeratur a nobis: SACRICIFIVM NOSTRVM VT A TE SVSCIPIATVR HODIE: In ſublime altare diuinæ tuæ maieſtatis: ET PLACEAT TIBI: ad honorẽ tuũ ô Domine Deus Creator, Redemptor & glorificator.

*Tunc crucis ſignum cum ipſo calice ſuper altare faciens dic,*

IN NOMINE PATRIS: qui filium dedit: ET FILII: qui ſeipſum obtulit: ET SPIRITVS SANCTI: qui nos ad hoc ſacrificium offerendũ præparat & ſanctificat. AMEN: fiat & offeratur à nobis hæc oblatio.

*Demittendo hoſtiam ſuper corporale, & patenam reponendo ſubtus corporale, ac calicem cooperiendo poteris (ſi vis) quod ſequitur mente aut voce ſubmiſſa dicere.*

BEnigniſſime Pater ſuſcipe IESVM dilectum Filium tuum,& omnia merita vitę & paſſionis eius, & omnium ſanctorum, & nos pariter cum eo, in holocauſtum ſuauiſſimum, Ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtramque & omnium ſalutem.

Eya & tu miſericordiſſime IESV, ſicut ſcis, vis & potes miſerere mei.

*Quando incenſum es oblaturus in miſſa Conuentuali Cartuſiano more, Dic.*

DIRIGATVR DOMINE vnitrine ORATIO & oblatio MEA SICVT INCENSVM ſuauiſſimi, IN CONSPECTV TVO.

*Faciendo crucis ſignum cum thuribulo ſuper totam oblationem, Dic:*

IN NOMINE PATRIS: filium dantis, ET FILII: ſeipſum offerentis, ET SPIRITVS SANCTI: ſacrificium hoc inflammantis.

*Deinde gyrando cum thuribulo totam oblationem, & nouem vicibus thuriſicando poteris dicere.*

AMEN: Clementiſſime, Pater ſuſcipe IESVM dilectum filium tuum, & nos cum eo ac per eum, 1 in Hoſtiam, 2 Victimam & 3 Decimas, 4 in Pacificum, 5 Primitias 6. Sacrificium: 7 In Munus, 8 Holocauſtum, 9 & Incenſum. Ad tuam & ſanctorum gloriam noſtramque & omnium ſalutem.

*Conuertens te ad aſtantes dic voce intelligibili.*

ORATE



ORATE FRATRES fideles omnes, corpore vel fide huic ſacrificio aſtantes, PRO ME PECCATORE ſanctificando, DOMINVM DEVM NOSTRVM: vt per me ſacrificium offerendum acceptet.

*Regyrando te ad altare, poteris dicere.*

O Mater Dei, ô Angeli, ô patroni, ô omnes ſancti, orate pro me & mecum.

*Tunc dic ſecretas, præmittens.*

OREMVS: omnes ſimul vnanimi fide & deuotione.

*Præfationis ante Canonem deuota Expoſitio.*

*Dicens, per omnia, hæc meditare, prout poteris.*

PER [7] OMNIA [8] SECVLA SECVLORVM: 1. in æterna ſecuritate, ſerenitate & ſuauitate (Vel) in æterna beatitudine.

12 DOMINVS VOBISCVM: ſit qui vos ſanctificet & viuificet.

3 ET CVM SPIRITV TVO: ipſum ad ſe eleuans & inflammans.

4 SVRSVM CORDA erigamus ad contemplanda Dei myſteria & beneficia.

5 HABEMVS: corda erecta, AD DOMINVM: bonorum omnium largitorem.

7 GRATIAS: deuotas: AGAMVS: non ſolum voce, ſed opere bono, DOMINO Redemptori, DEO: creatori, [9] NOSTROS glorificatori pro omnibus bonis quæ ab eo effluxerunt, fluunt & adhuc effluent in nos & in omnes creaturas.

10 DIGNVM: quia digniſſimus eſt Dominus. ET IVSTVM EST: quia & beneficẽtiſſim⁹.

12 VERE DIGNVM: I. honorificũ, nihil enim digni⁹ eſt, q̃ Deo laudes & gratias offerre.

3 ET

3 EC IVSTVM EST: quia debitum. 4 ÆQVVM. i. rationi conſonũ. 5. ET SALVTARE ad ſalutem vtile.
6 Nos: viliſſimos tua ſemper ope indigẽtes.
7 TIBI: benefactori liberaliſſimo.
8 SEMPER: ſine intermiſſione tam in aduerſis quam in proſperis. 9. ET VBIQVE in omni loco & opere.
10 GRATIAS AGERE: gratum amoris obſequium exhibendo.
1 DOMINE: Redemptor, 2. SANCTE ſanctificator:
3 PATER: qui vis. 4. OMNIPOTENS, qui potes nos ſaluare.
5 ÆTERNE: i. immortalis, q nunquã deficis.
6 DEVS: beatiſſime nos glorificans:
7 PER: dilectum filium tuum IESVM CHRISTVM Regem & ſacerdotem. 8. DOMINVM vniuerſorum. 9. NOSTRVM mediatorem & redemptorem.
10 PER QVEM tuę glorię ſplendorem & imaginem.
3 MAIESTATEM TVAM Regiã Principatus, & Archangeli LAVDANT, & ANGELI.
6 ADORANT ſuprema latria & ſubiectione, DOMINATIONES cœleſtes. 4. TREMVNT reuerentiali timore, POTESTATES Angelicæ dæmonum refrenatrices.
7 COELI. i. Throni in quibus Deus reſidet & iudicat.
5 COELORVMQVE VIRTVTES per quas miracula fiunt.
8 AC BEATA CHERVBIN & SERAPHIN: charitate ardentia. SOCIA i. comite exultatione: CONCELEBRANT





& lætantur ac vnanimiter prædicant.
10 CVM QVIBVS te laudãtibus. ET. i. etiam. NOSTRAS VOCES: & laudationes: VT ADMITTI: & acceptari, IVBEAS. DEPRECAMVR: per cor Domini IESV.
SVPPLICI: pia & humili CONFESSIONE, & laude DICENTES: per idẽ cor & ſpiritũ Ieſu.
7 SANCTVS ſol iuſtitiæ, in Thronis & iuſtis reſidens.
8 SANCTVS ſplendor, Cherubin & corde mundos illuminans.
9 SANCTVS Ardor, Seraphin & caſtas mentes inflammans.
6 DOMINVS Dñationũ, Imperator ſummus.
5 DEVS Virtutum.
4 SABAOTH Poteſtatum & cœleſtium exercituum.
1 PLENI Angeli, 2 SVNT atque Archangeli, &, 3 COELI principatus.
4 ET TERRA: i. militans adhuc in terris Eccleſia.
6 GLORIA TVA. i. clara cum laude tuæ diuinitatis notitia.
7 OSANNA ſalua nos (obſecro.)
IN EXCELSIS: cum Beatis Cherubin & Seraphin in cœlis.
BENEDICTVS: ſit, & omni laude & veneratione à nobis colatur IESVS à patre miſſus.
QVI VENIT ad nos per incarnationem, & nunc per huius ſacramenti conſecrationem & ſumptionem.
IN NOMINE DOMINI. i. exiſtens verus Dominus & redemptor per crucem ſuam ad reſurrectionis gloriam nos perducens.

OSANNA, ſalua nos obſecro: IN EXCELSIS, cũ ſanctis tuis in cœlo iã glorificatis.

*Quando iſta in conuentu dicuntur cum cantu. Ad primum (Oſanna in excelſis) potes commemorare omnes aut aliquos, Angelorum ordines obſecrãs ſaluari cũ Angelis Archãgelis, Principatibꝰ, Poteſtatibus, virtutibus, Dominationibus, Thronis, Cherubin & Seraphin. Cãtando etiam: Benedictus: potes Chriſti venientis nomina ſequentia, aut aliqua ex ipſis commemorare, ſic meditando. Benedictus qui venit, ad nos 1. Pater, 2. Iudex, 3. Rex. 4. Dominus. 5. Magiſter. 6. Paſtor. 7. Creditor. 8. Protector. 9. IESVS ſaluator. Et cantando ſecundum (Oſanna) potes mente commemorare, ordines ſanctorum vel virtutes eorum, ſic cogitando: Salua nos cum patriarchis & prophetis: cum Apoſtolis & diſcipulis, cum martyribus & ſacerdotibus: cum monachis & virginibus: vel, cum humilibus, pauperibus, manſuetis, obedientibus, lugentibus, Eſurientibus, miſericordibus, mundicordibus, pacificis & perſecutionem patientibus.*

*SEQVITVR BREVIS EXPOSITIO Canonis & eius applicatio ad articulos Dominicæ paſsionis, quam debebis in priuata meditatione ſæpius ruminare & conſiderare, vt in miſſæ celebratione poſtea, eius memor eſſe poſsis. Numeri autem qui ad marginem ponuntur, hic referuntur ad ✠ crucifixi membra, iuxta modum in pſalterio decachordo explicatum.*

## CAPITVLVM SEXTVM.





1 TE IGITVR quia benedictum hunc filium ad nos miſiſti:
2 O CLEMENTISSIME pœnas remittens.
3 PATER nos affectu pluſquam paterno diligens:
4 PER IESVM ſaluantem nos à peccatis
5 CHRISTVM: ſacerdotẽ & mediatorem noſtrum
6 FILIVM TVVM in quo ſemper tibi bene complacuiſti.
7 DOMINVM redẽptorẽ, NOSTRVM: pro nobis à Iuda venditum:
8 SVPPLICES I. Humiles & deuoti, ROGAMVS per vltimam: eius cœnam agni paſchalis:
9 ET PETIMVS: per deſiderium quo deſiderauit hoc vltimum paſcha cum diſcipulis manducare.
1 VTI ACCEPTA HABEAS: per ablutionem pedum Apoſtolorum à Chriſto factam, nos acceptando:
2 ET BENEDICAS eã benedictione qua filius tuus hæc in cœna benedixit & conſecrauit:
3 HAEC DONA panis & vini conſecrandi, à tua largitate nobis data quando filium pro nobis offerri voluiſti.
4 HAEC MVNERA à filio tuo in cœna tibi oblata:
5 HAEC SANCTA I. firma & perfecta: &
6 ILLIBATA I. pura & incruenta, SACRIFICIA: quæ à nobis idem filius tuus offerri præcepit in ſpiritu ſancto.

*In his tribus nota & aduerte, ac deuotè conſidera oblationem huius ſacrificij triplicẽ. 1. A patre, qui filium dedit & offerri voluit. 2. A filio qui ſeipſum patri obtulit. 3. A fidelibus qui in ſpiritu ſancto ſacrificium iſtud offerunt, non iam cruentum ac ſanguinolentum, ſed incruentum & illibatum: Ac ſanctum & firmum vſque in finem ſeculi permanſurum.*

*Quæ ſequuntur: applica & adiunge orationi efficaciſsimæ, quam Chriſtus fecit in fine ſermonis, poſt cœnam ad ſuos diſcipulos habiti, quando dixit: Pater clarifica, &c: Tunc enim pro vniuerſali ſua Eccleſia rogauit.*

6 IN PRIMIS QVAE: per eundem filium, TIBI: ad honorem tuũ quem ante omnia intendimus, OFFERIMVS: in ſacrificium: obſecrantes te ex affectu filij tui poſt ſermonem vltimum te orantis.

PRO ECCLESIA: & congregatione fidelium, TVA: à te vocata & iuſtificata, SANCTA: I. ſtabili & firma in perpetuum duratura, CATHOLICA: vniuerſali, vbique terrarum diffuſa.

7 QVAM PACIFICARE: pace interna per veram cum tua voluntate concordiam, fraterna, & pace externa, hoſtium ſublata formidine.

8 CVSTODIRE: ab omni peccato & hoſtium inſidiis ac violentiis.

9 ADVNARE: in vna fide & religione, & ſub vno viſibili capite, Chriſti ſũmo vicario.

10 ET



10 ET REGERE: per ſpiritum tuum Angelicumque miniſterium & bonos prælatos ſanctaſque leges: DIGNERIS TOTO ORBE TERRARVM vbicumque Chriſtiani inueniuntur.

1 VNA: I. ſimul, CVM FAMVLO: & Vicario, TVO PAPA NOSTRO: Romano, Petri ſucceſſore legitimo.

2 ET ANTISTITE: I. Prælato Eccleſiaſtico ſpeciali, ſeu diœceſano Epõ, NOSTRO:

3 ET REGE NOSTRO: ſupremum ſuper nos habente temporale Dominium.

4 ET OMNIBVS ORTHODOXIS: I. rectè & abſque errore credentibus.

5 ATQVE CATHOLICAE: ſemper, vbique & ab omnibus hominum generibus obſeruatæ.

6 ET APOSTOLICAE: ab Apoſtolis per traditionẽ & legitimã ſucceſſionẽ ad nos deriuatæ, FIDEI CVLTORIBVS: per charitatem & bona opera fidẽ ſuã cõprobantibus, eamque conſtanter defendentibus.

*Sequens (memento) fac cum Chriſto ter in horto Oliueti orante & ſanguinẽ ſudante: & caue in eo morã tædioſam facere, præſertim quando celebras in cõuentu, vel aliquo aut aliquibus præſentibus, quibus mora hæc eſſet tædio. Caue etiã ne cũ nimia imaginatione tibi repræſentes eos pro quibus vis orare, ne per hoc diſtraharis in hoc tanto ſacrificio, ſed potius initio huius. (Memento) excita te ad impetrandi, quod petis, fiduciã, per amoroſas obſecrationes. Deinde breuiter abſque imaginatione recole perſonas vel cauſas pro quibus tu vis ſpecialiter orare & miſſæ ſa-*

*crificium*

*criſiciũ applicare, iuxta ſequentẽ formulã, quam
ante miſſam in priuata tua meditatione exer-
cebis, donec eam promptè & expeditè meditari
poſsis, aut quando non vacat in miſſa eam ſine
mora tædioſa recolere: Et interim ſub (Memen-
to) in miſſa referes breuiter tuã intentionem, ad
(Memento) ante miſſam factum. Poteris etiam
ſequentes obſecrationes iuxta tuam deuotionem
breuiare, aliquot tantum ex illis ſumens, aut
etiam ex toto illas omittere.*

MEMENTO Domine famulorum
famulatumq; tuarũ: ô Pater be-
nigniſſime, diues in oẽs qui inuo-
cant nomen tuũ: Per tuã cũ filio
& ſpiritu ſancto ſummã & inſeparabilẽ vni-
tatẽ: mutuã intuitionem & laudẽ: dilectio-
nẽ & fruitionẽ: cõmunicationẽ & omnimo-
dã beatitudinẽ: per tuã erga nos nimiã cha-
ritatẽ: Per filij tui incarnationẽ, vitã, Paſſio-
nẽ & mortẽ: per huius ſacrificij & ſacramen-
ti inſtitutionẽ & virtutẽ: per omnia quæ filiꝰ
tuus aſſũpſit, fecit & pertulit pro noſtra ſa-
lute. Per beatiſſimæ matris eius immacula-
tã cõceptionẽ, cõpaſſionẽ & glorificationẽ.
Per Angelorũ miniſteria & merita. Per pa-
tronorũ meorũ, ſanctorũ huius diei & om-
nium electorũ tuorũ preces & ſuffragia: Ad
tuam laudẽ & gloriam memento mei in pri-
mis miſerrimi & indigentiſſimi, & fac me
huius tãti ſacrificij & ſacramẽti condignum
miniſtrũ, fidelem diſpenſatorẽ, & deuotum
ſuſceptorem: Aufer à me quicquid tibi di-
ſplicet, infunde quicquid placet, & fac me-
cum in omnibus ſecundum gratiſſimam





tuam voluntatem. Fac etiam me dignum
quem tu pro aliis orantem exaudias.

Memento igitur huius perſonæ, vel huius
negotij. N. N.

*Hîc recole illum, vel illos, aut cauſam pro qua tene-
ris, vel intendis ſpecialiùs Miſſæ valorem appli-
care: conſequenter autem potes per modum ſuf-
fragij pro alijs orare, non in eo gradu cum his,
quibus Miſſa eſt ſpecialiter applicanda, ſed poſt
eos, & abſque diminutione valoris & fructus
Miſſæ illis debiti: prout diuina potentia, ſapientia
& bonitas infinita poteſt, ſcit, & vult.*

*Subiunge ergo quod ſequitur.*

MEmento etiam huius domus, & totius
ordinis noſtri. Memento huius ciuita-
tis, vel diœceſis & regni. Memento meorum
ſpecialium, 1 Parentum, 2. Patrum ſpiritua-
lium: 3. Prælatorum: 4. Commiſſorum:
5. Confratrum ordinis. 6. Confœderatorum:
7. Fundatorum & benefactorum: 8. Com-
mendatorum: 9. A nobis quouis modo læſo-
rum, 10. vel qui nos læſerunt aut oderunt: &
omnium ac ſingulorum pro quibus tu nos
vis, aut tenemur, vel intendimus orare iuxta
ſingulorum gradum, meritũ & deuotionem
noſtrámque ad eos obligationem vel inten-
tionem: & maximè iuxta ſapientiſſimam tuæ
benigniſſimæ voluntatis diſpenſationem &
ordinationem. O Pater, me, & omnes illos,
omniáque noſtra interiora, & exteriora, &
omnes neceſſitates & petitiones noſtras tibi
commendo & plenè reſigno, in ea perfe-
ctiſſima reſignatione & commẽdatione, quæ
Filius tuus ſe totum pro nobis tibi obtulit ac

reſignauit quando in horto te orans ſanguinem ſudauit. Abba Pater omnia tibi poſſibilia ſunt, ſicut ergò ſcis expedire ad maiorem tuum honorem & noſtrarũ animarum ſalutem, ſicut vis, & ſicut potes miſerere & meměto noſtri, & omnium circunſtantium.

*Vt abſque nimia mora & diſtractione poſſis ſpeciales tuos in miſſa recolere, habeto in aliquo libro deſcripta eorum nomina per ordinem quæ aliquando leges, in Miſſæ autem memento non recites particularia eorum nomina (exceptis his pro quibus velles ſpecialiùs ex certa cauſa tunc orare) ſed referes intentionem tuam ad eos qui ſunt in tuo memoriali deſcripti, & generaliter tantum dices (Memento parentum, Patrum &c. vt hîc habetur.*

*Aliud (Memento) breuius, quando non vacat aut non libet prolixiùs facere.*

MEmento Domine famulorum famularúmque tuarum ô benigniſſimè Pater diues in omnes qui inuocant te, memento mei in primis, & fac me huius ſacrificij condignum miniſtrum, diſpenſatorem & ſuſceptorem. Memento huius N. vel illorum, aut huius negocij pro quo, vel pro quibus hæc Miſſa debet ſpecialius applicari.

Memento etiam omnium ac ſingulorum, pro quibus tu vis, aut tenemur, vel intendimus ſpecialiùs orare, & ſicut ſcis expedire ad tuũ honorẽ & animarũ ſalutem, ſicut etiã vis & ſicut potes omnes noſtras neceſſitates & petitiones clemẽter exaudi, per agoniã, orationem & ſudorem ſanguineum & integram reſignationem Filij tui in horto Olіueti:





1 Et ſimiliter MEMENTO & miſerere: OMNIVM CIRCVNSTANTIVM. i. eorum qui corpore aut fide & deſiderio huic Miſſæ ſacrificio præſentes ſunt.
2 QVORVM FIDES: ergate & hoc tantum myſterium, TIBI COGNITA EST: per approbationem.
3 ET NOTA: atq; accepta eſt, DEVOTIO. i. humilis, pius erga te, tuũq; beneplacitũ affectus
4 PRO QVIBVS TIBI: i. ad honorem tuum, OFFERIMVS: per cor Filij tui.
5 VEL QVI TIBI OFFERVNT: Miſſam celebrando, vel ei per deſiderium communicando, HOC SACRIFICIVM LAVDIS: quo ſummè laudaris & honoraris.
6 PRO SE SVISQVE OMNIBVS: ſpecialibus pro quibus orare tenẽtur vel intẽdunt:
7 PRO REDEMPTIONE ANIMARVM SVARVM: à culpa & pœna nociua.
8 PRO SPE: impetrandæ à te, SALVTIS: ſpiritualis & æternæ.
9 ET INCOLVMITATIS SVAE: corporalis & temporalis.
10 TIBI: à quo eſt omne bonum, REDDVNT: & referunt tanquam à te accepta, VOTA SVA: i. deſideria ſancta & ſacrificia ac bona opera voluntariè tibi ablata.
1 ÆTERNO DEO: qui omnia potes & ſemper manes.
2 VIVO: amanti & volenti exaudire.
3 ET VERO: veraciter promittenti nos exaudire in nomine Filij tui petentes.
4 COMMVNICANTES: i. per communionem participantes & noſtram deuotionem adiungentes, fidei & deuotioni ac me-

ritis Sanctorum.

5 ET MEMORIAM VENERANTES: i. cum laude & veneratione recolentes ſanctitatem ac gloriam.

6 IN PRIMIS: & excellentiori ſuper alios ſanctos hyperduliæ cultu, GLORIOSAE: & venerandæ.

7 SEMPER VIRGINIS: ante partum, in partu & poſt partum.

8 MARIAE: gladio doloris in paſſione Filii transfixæ.

9 GENITRICIS DEI: qui nos creauit.

10 ET DOMINI NOSTRI: qui nos redemit à pœnis.

11 IESV: qui ſaluat à peccatis.

12 CHRISTI: Regis & Sacerdotis.

1 SED ET: venerantes cultu duliæ memoriam.

2 BEATORVM APOSTOLORVM.

3 ET MARTYRVM TVORVM.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 4 | Petri. | 9 | Iacobi, | 10 | Iacobi. |
| 5 | Pauli. | 8 | Ioannis | 11 | Philippi. |
| 6 | Andreæ. | 9 | Thomæ. | 12 | Bartholomæi. |
| 1 | Matthæi. | 4 | Lini. | 7 | Sixti. |
| 2 | Simonis. | 5 | Cleti. | 8 | Cornelij. |
| 3 | Et Thaddæi. | 6 | Clementis. | 9 | Cypriani. |
| 1 | Laurentij. | 3 | Ioannis & Pauli. | 4 | Coſmæ. |
| 2 | Griſogoni. | | | 5 | & Damiani. |

6 ET OMNIVM SANCTORVM: Angelorum & hominum tecum iam glorificatorum.

7 QVORVM MERITIS: i. bonis operibus





& paſſionibus.

8 PRECIBVSQVE: quas pro nobis iugiter ex charitate apud te fundunt, CONCEDAS: miſericorditer.

9 VT IN OMNIBVS: locis & temporibus & operibus PROTECTIONIS TVAE: potentiſſimæ MVNIAMVR AVXILIO: contra omnia peccata & mala nociua.

10 PER EVNDEM CHRISTVM: in horto agonizantem & orantem.

11 DOMINVM: Redemptorem.

12 NOSTRVM: pro nobis ſe totum reſignantem & ſanguinem ſudantem.

1 HANC IGITVR OBLATIONEM: vnitam oblationi qua Filius tuus ſpontè hoſtibus ipſum capturis occurrit.

2 SERVITVTIS NOSTRAE: quam in recognitionem tui ſupremi ſuper nos dominij offerimus tanquam ſacerdotes, tui ſerui & miniſtri.

3 SED ET CVNCTAE FAMILIAE TVAE: i. omniū fidelium tuorum pro quibus offertur.

4 QVAESVMVS DOMINE: Pater, VT: per benignam ſuſceptionem proditorij oſculi à Filio tuo, PLACATVS: nobis, ACCIPIAS: & gratam habeas.

5 DIESQVE NOSTROS: temporales & ſpirituales, IN TVA: tibi placita, quam tu ſolus potes dare & conſeruare, PACE: interna & externa, DISPONAS: & rationabiliter ordines per charitatem Filij tui, hoſtes ſuos proſternentis, & diſcipulos illæſos abire iubentis.

6 ATQVE AB AETERNA DAMNA-

TIONE NOS ERIPI: & præſeruari per Filij tui horrendam captionem & ligationem.
7 ET IN ELECTORVM TVORVM: angelorum & hominum beatorum.
IVBEAS GREGE NVMERARI: per Chriſtum, à diſcipulis fugientibus derelictum in manibus hoſtium.
8 PER CHRISTVM: ad Annam tractum.
9 DOMINVM NOSTRVM: pro nobis alapa percuſſum.
10 QVAM OBLATIONEM: Filij tui ad Caypham tracti:
TV DEVS: Pater, IN OMNIBVS: nobis & fidelibus cunctis. QVAESVMVS.
1 BENEDICTAM: qua benedicamur, per accuſationes falſas & maledictiones quas Chriſtus in domo Cayphæ pertulit.
2 ASCRIPTAM: qua aſcribamur in libro vitæ: per Chriſtum à Petro negatum.
3 RATAM: qua in bono ſtabiles efficiamur: per Chriſti tractionem ad Pilatum.
4 RATIONABILEM: per quam rationabiles & diſcreti efficiamur: per Chriſtum ab Herode pro ſtulto habitum.
5 ACCEPTABILEMQVE: per quam tibi reddamur accepti & grati: per Chriſtum Barrabæ poſtpoſitum & ad crucem poſtulatum, FACERE DIGNERIS:
6 VT NOBIS: i. ad noſtram ſalutem, CORPVS: flagellatum & vndique vulneratum.
7 ET SANGVIS: qui de coronato ſpinis





Chriſti capite fluxit.
8 FIAT: per tranſubſtantiationem panis & vini.
9 DILECTISSIMI: à te, FILII TVI: quem talem confitemur.
10 DOMINI: Redemptoris.
11 DEI NOSTRI: Creatoris.
12 IESV: Saluatoris, CHRISTI: Regis, populo monſtrati & pro Rege recuſati.
1 QVI PRIDIE QVAM PATERETVR: lotis Apoſtolorum pedibus (quod per digitorum extenſionem, quæ hîc fit, poteſt intelligi.)
2 ACCEPIT PANEM: verum & triticeum azymum.
3 IN SANTAS: i. puras ab omni vitio.
ET VENERABILES: veneratione dignas propter vnionem cum diuinitate. MANVS SVAS.
4 ET ELEVATIS OCVLIS: corporis & mentis,
5 IN COELVM AD TE DEVM: omnis boni fontem.
6 PATREM SVVM: benigniſſimũ, OMNIPOTENTEM: cui nihil eſt impoſſibile.
7 TIBI GRATIAS AGENS: pro fructu huius Sacramenti & ſacrificij.
8 BENEDIXIT: & benedicendo in corpus ſuum tranſubſtantiauit & conuertit.
9 FREGIT: & diuiſit ſpecies panis ſine ſubiecto relictas, nõ autẽ ipſum corpus, quod totũ ſub qualibet particula ſpecierũ remanet.
10 DEDITQVE: amore liberaliſſimo, DISCIPVLIS SVIS.
1 DICENS, ACCIPITE: ſacramentaliter

ipſum ſacramentum ſuſcipiendo.
2 ET MANDVCATE: ſpiritualiter rem & fructum ſacramenti per viuam fidem & charitatem percipiendo EX HOC; pane benedicto & in corpus meum conuerſo. OMNES: fideles rationis capaces.
3 HOC: quod ſub ſpecie panis facta conſecratione continetur.
4 EST: realiter & ſubſtantialiter, non figuratiue.
5 ENIM: quia dixi & volui, ſeu virtute verbi conſecrationis.
6 CORPVS: humanum de virgine aſſumptum & natum.
7 MEVM: meæ diuinitati perſonaliter vnitum.

*Hoc dicto, firma fide credens ſub ſpecie panis iam non eſſe ſubſtantiam panis, ſed verum Chriſti corpus ſuæ animæ & diuinitati inſeparabiliter coniunctum, inclinando te deuotiſſimè ipſum adora dicens mentaliter potius, quàm vocaliter, hoc quod ſequitur, vel aliud ſimile.*

AVe benigniſſime IESV Deus & homo perfectiſſime, dignare nos omnes ſanctificare, tibi vnire & tecum Deo Patri cooſferre.

*Deinde eleuando Hoſtiam, offer Deo Patri Filium ſuum crucifixum & in cruce eleuatum, ſic mentaliter dicens.*

EYa & tu Pater benigniſſime ſuſcipe IESVM dilectiſſimum Filium tuum, in quo





tibi ſemper bene complacuiſti, & nos gratificaſti. Suſcipe inquam illum pro nobis crucifixum & in cruce pendentem verè humilem, pauperem, mitem, amantem, obedientem, lugentem, eſurientem, miſericordem, mundicordem, pacificum, & vndique afflictum: pro inimicis orantem: latronis miſerantem, matri compatientem, eámq; commendàntem, derelictum, ſitientem, fel guſtantem, conſummantem, & cum lachrymis in manus tuas ſpiritum commendantem ac morientem. Nunc autem tecum cõſedentem & pro nobis interpellantem. Exaudi Domine, placare Domine: ne moreris propter hunc dilectum Filium tuum nobis omnibus viuis & defunctis optatam miſericordiam & gratiam impartiri ſicut ſcis expedire ad tuum honorem & noſtram ſalutem.

*Hanc oblationem ſic breuiùs facere poteris.*

EYa & tu benigniſſime Pater ſuſcipe IESVM dilectum Filium in cruce confixum & exaltatum, vndique afflictum, omni virtute ornatum, & ſe totum ac nos ſecũ in tuas manus cõmendantem, & pro nobis nũc in dextera tua interpellãtem, atq; propter eũ, noſtri miſerere ſicut ſcis expedire ad tuũ honorẽ noſtrãq; ſalutẽ & ſicut vis & potes.

*Deinde deponendo Hoſtiam ſuper corporale & te deuotiſſimè inclinando, dic mentaliter.*

EYa & tu bone IESV, ſuſcipe nos & in te trãsforma, faciẽs nos verè humiles, pauperes, mites, amantes, obediẽtes, lugẽtes, eſuriẽtes, miſericordes, mundicordes, pacificos & quamcunque volueris crucem propter te ferentes.

*Vel breuiùs dic.*

EYa & tu bone IESV ſuſcipe nos, & ad amorem & imitationem tui nos efficaciter excita & in te transforma.

*Sequitur conſecratio Calicis.*

1 SIMILI MODO: eleuatis in cœlum oculis ad te Patrem ſuam.
2 POSTQVAM COENATVM EST: i. Agno paſchali iam comeſto & legali cœna iam perfecta.
3 ACCIPIENS ET HVNC: i. hũc in ſpecie ſimilem.
4 PRAECLARVM: i. clarificatum & nos nobilitantem.
5 CALICEM: inebriantem, vinum cum aqua continentem.
7 IN SANCTAS AC VENERBILES MANVS SVAS.
8 ITEM TIBI GRATIAS AGENS: pro fructu futuro huius Sacramenti.
9 BENEDIXIT: & vini ſubſtantiam in ſuum ſanguinem conuertit.
10 DEDITQVE: cordiali amore, DISCIPVLIS SVIS:
1 DICENS, ACCIPITE: ſacramẽtaliter.
2 ET BIBITE: ſpiritualiter, EX EO: ſanguine meo OMNES: fideles huius Sacramenti capaces.
3 HIC: ſub ſpecie vini præſens & adorãdus:
4 EST: ſubſtantialiter & veraciter.
5 ENIM: virtute verbi mei, quia ita dixi & feci.
6 CALIX: inebrians.
6 SANGVINIS: veri ſanctificantis.





8 MEI: meæ diuinitati coniuncti & deificantis.
9 NOVI: innouantis & vetuſtatem peccati tollentis.
10 ET ÆTERNI: æternam vitam conferentis.
11 TESTAMENTI: pacificantis & pactum ac fædus humanæ reconciliationis confirmantis.
12 MYSTERIVM: & ſecretum, FIDEI: illuminantes credentes: ſola fide, non autem humana ratione compræhendendum.
7 QVI PRO VOBIS: Sacerdotibus huius Sacramenti miniſtris.
8 ET PRO MVLTIS: aliis ſcilicet fidelibus, actu vel deſiderio huic ſacramento communicantibus.
9 EFFVNDETVR: vtiliter, copiosè & liberaliter.
10 IN REMISSIONEM PECCATORVM: quo ad culpam & pœnam.

*Hoc dicto, te deuotè inclinando, adora Chriſtum Deum & hominem, ſub hac vini ſpecie iam verè contentum, dicens mentaliter.*

EYa bone IESV, Deus & homo perfectè, in hoc pretioſo ſanguine tuo nos ablue, ſana, iuſtifica: Illumina, inflamma, perfice: abſorbe, transforma, vni & clemẽter exaudi.

*Vel dic breuius.*

EYa bone IESV, in hoc tuo ſanguine nos ablue, gratifica & in te transforma.

*Deinde eleuando calicem dic.*

HAEC: quæ nunc feci, QVOTIESCVNQVE FECERITIS: i. quotieſcunque panem in corpus meum, & vinum in ſanguinem conſecraueritis & ſumpſeritis.

IN MEI: paſſionſque & charitatis meæ, MEMORIAM: & venerationem, FACIETIS.

*Deinde poteritis, ſi vacat & libet, deponendo calicem mentaliter dicere.*

EYa bone IESV, offer Deo Patri hoc memoriale tuæ paſſionis, reſurrectionis & omnium quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute.

*Te profundè inclinando adde.*

ET per ſuauiſſimum cor & Spiritum tuum, ignoſce & ſupple quicquid minùs reuerenter ago. Ac doce me te reuereri ac diligere in ſpiritu & veritate.

*Deinde erectus, manibus expanſis, proſequere canonis verba, dicens.*

10 VNDE: quia Filius tuus iuſſit, hæc in ſui memoriam fieri, ET MEMORES DOMINE: Pater.

1 NOS TVI SERVI: & ſacerdotes, huius ſacrificij miniſtri.

2 SED ET PLEBS TVA: Chriſtiana, SANCTA: ad ſanctitatem vocata & in Chriſti ſanguine ſanctificata.





3 EIVSDEM CHRISTI: ſummi ſacerdotis & regis.

4 FILII TVI: dilectiſſimi & vnici.

5 DOMINI: redemptoris.

6 DEI NOSTRI: glorificatoris.

7 TAM BEATAE: nos beatificantis, PASSIONIS: quam in cruce pendens ſuſtinuit:

8 NEC NON ET AB INFERIS (Ad quos ſecundum animam deſcendit patres liberaturus) RESVRRECTIONIS: nos innouantis.

9 SED ET IN CAELOS GLORIOSAE ASCENSIONIS: Ad ſpem gloriæ nos eleuantis.

10 OFFERIMVS: per cor eius deuotiſſimum & doloroſiſſimum.

8 PRAECLARAE MAIESTATI TVAE: diuinæ.

7 DE TVIS DONIS: ab æterno per prædeſtinationem præparatis.

9 ET DATIS in plenitudine temporis exhibitis.

1 Offerimus, inquam, eundem dilectiſſimum filium tuum in cruce predentem.

2 HOSTIAM PVRAM ab omni peccato nos, purgantem, per vulnera pedum.

7 HOSTIAM SANCTAM: omni ſanctitate & iuſtitia nos exornantem, per vulnus manus dextræ.

9 HOSTIAM IMMACVLATAM: immaculatos nos cuſtodientem, à peccati recidiuo nos præſeruando: per vulnus ſiniſtræ manus.

6 PANEM SANCTVM VITAE AETERNAE. i. corpus ſuum vndique vulneratum ad vitam æternam nos enutriens & perducens.

ET CALICEM: i. ſanguinem ſuum vndique fluentem, SALVTIS PERPETVAE. i. ad

æternam tuæ diuinitatis viſionem (in qua eſt ſalus noſtra, nos ſuo merito erigentem.

7 SVPERA QVAE: ſacrificia per nos oblata, PROPITIO: prorſus pio & miſericordi.

8 AC SERENO .i. tranquillo & nobis placato. VVLTV RESPICERE DIGNERIS, per faciem Chriſti conſputam & deformatam.

9 ET ACCEPTA HABERE: quo ad offerentium deuotionem & miniſterium: ex ſe enim ſemper eſt tibi acceptiſſima hæc hoſtia filij tui.

10 SICVT ACCEPTA HABERE DIGNATVS ES.

1 MVNERA, deuotiſſima, PVERI TVI: innocentis.

2 IVSTI: in omni iuſtitia & virtute perfecti.

3 ABEL: iniuſtè occiſi. Et Chriſti IESV filij tui per ipſum præfigurati & à Iudæis occiſi.

4 ET SACRIFICIVM: ſummæ charitatis & obedientiæ.

5 PATRIARCHAE NOSTRI: cuius fidem & obedientiam imitari volumus.

6 ABRAHAE: vnicum filium ſuum immolantis: & in hoc figurantis tuam (ô Pater æterne) nimiam erga nos charitatem qua filium tuum pro nobis in mortem tradidiſti: Et matris eius obedientiam qua filium ſuum in cruce pendentem tibi obtulit multo deuotiùs, quam Abraham filium ſuum Iſaac.

7 ET panis & vini ſacrificium, QVOD TIBI: in gratiarum actionem, OBTVLIT SVMMVS SACERDOS TVVS MELCHISE-





CHISEDEH: rex iuſtitiæ, figurans Chriſtum noſtrum ſummum ſacerdotem & regem, corporis & ſanguinis ſui ſacrificium ſub ſpeciebus panis & vini tibi in cœna, & adhuc quotidie in miſſa offerentem.

8 SANCTVM .i. ſancitum, ratum & vſque in ſeculi finem permanſurum: SACRIFICIVM.

9 ET IMMACVLATAM: ac cruentum, HOSTIAM: ab omni macula nos emundantem.

*Sub his tribus ſacrificiis, Abel, Abrahæ & Melchiſedech, potius debes attendere ad vera ſacrificia, quæ præfigurabant, quam ad ipſam figuram: longè enim maioris meriti & efficaciæ ſunt ſacrificia corporis & ſanguinis Chriſti, in miſſa oblata, quam fuerint illa figuratiua. Igitur in muneribus Abel, cogita Chriſti ſeipſum offerentis innocentiam, iuſtitiam & mortem immeritam. In ſacrificio Abrahæ Dei patris, proprio filio non parcentis, charitatem. Et B. Mariæ matris, eundem filium ſuum in cruce offerentis, obedientiam & deuotionem. In ſacrificio Melchiſedech attende charitatem & deuotionem Chriſti in cæna & Miſſa hoc ſacrificium ſub ſpeciebus vini & panis offerentis, & offerri per ſacerdotes iubentis: Et deſideria, vt ſacrificium quod offers, eorum virtute ac merito acceptetur à Deo patre.*

*Cancellatis brachiis & inclinatus, dic.*

10 SVPPLICES .i. humiles & deuoti, te rogamus: per crucifixi filij tui cor doloribus plenum (quod poteſt ſignari per brachiorum in modum crucis cancellationem.)

1 OMNIPOTENS: qui potes quæcunque vis.
2 DEVS: miſericors qui vis nos exaudire.
3 IVBE: & fac, HAEC: noſtræ deuotionis & ſeruitutis obſequia ac deſideria ſancta, quæ ſimul cum hoc corpore & ſanguine filij tui offerimus. PERFERRI PER MANVS. i charitatem & miniſterium. SANCTI ANGELI: mei cuſtodis cæterorumque hîc aſſiſtentium beatorum ſpirituum.
4 IN SVBLIME ALTARE TVVM. i. in cor amantiſſimum & obedientiſſimum filij tui, quod eſt verum noſtræ reconciliationis altare: Et per illud.
8 IN CONSPECTVM: & acceptationem, DIVINAE MAIESTATI TVAE: quatenꝰ tu Deus illa acceptes & grata habeas, ſic.
10 VT QVOTQVOT EX HAC ALTARIS: in quo miſſa hæc celebratur, PARTICIPATIONE: & communione per fidem charitatem.
6 SACRO SANCTVM FILII TVI CORPVS: in cruce diſtentum & vndique afflictum.

ET SANGVINEM: & vulneribus eius tanquam ex fontibus fluentem, SVMPSERIMVS: ſacramentaliter, vel ſpiritualiter, paſſionibus & triſtitiis filij tui per fidem, charitatem & imitationem communicando.
8 OMNI BENEDICTIONE CAELESTI. i. copioſa donorum cæleſtium largitione.
9 ET GRATIA: quam ſua erga nos compaſſione & ſuſcepta pro peccatis noſtris contritione promeruit, REPLEAMVR.
10 PER EVNDEM CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM: ex nimia charitate pro nobis à te in tantis pœnis & triſtitiis derelictum.





AMEN: per cordis eius orationes & oblationes.

*Sequitur memento pro defunctis.*

MEMENTO ETIAM: ſicut pro viuis rogauimus. FAMVLORVM FAMVLARVMQVE TVARVM: ex hac vita defunctorum.

*Hic poſſes, (ſi vacaret & abſque nimia mora id fieret debet enim hoc memento eſſe breuiùs altero, quod pro viuis factum eſt) repetere obſecrationes in altero memento poſitas: aut illis omiſſis dic mentaliter quod ſequitur.*

O Pater, diues in omnes qui inuocant nomen tuũ, per omnes filij tui in cruce pendentis orationes, lachrymas, cruciatus, triſtitias & ſanguinis effuſiones, memento in primis huius vel horum pro quibus teneor vel intendo miſſam hanc particulariùs applicare, & da illis omnem huius ſacrificij fructum qui illis debetur.

Memento etiam iuxta infinitæ tuæ bonitatis & miſericordiæ abundantiam, tuorum & meorum ſpecialium, parentum, patrum, prælatorum commiſſorum, confratrum, confederatorum, fundatorum, benefactorum, commendatorum, & omnium ac ſingulorum pro quibus tu vis, aut tenemur, vel intendimus orare.

1 QVI NOS PRAECESSERVNT. i. de hoc mundo ante nos ad aliam vitam tranſierunt. 2 CVM SIGNO: & charactere, FIDEI: in Baptiſmo collato (nam pro

defunctis non Baptizatis non licet errare.)
3 ET DORMIVNT IN SOMNO PACIS: quantum ad corpus ſine dolore quieſcentes, & eius reſurrectionem expectantes,
4 IPSIS: ſpecialiùs per me commemoratis, DOMINE Pater.
5 ET OMNIBVS IN CHRISTO. i in fide & charitate Chriſti defunctis, & quo ad corpus, QVIESCENTIBVS.
7 LOCVM REFRIGERII: & æternæ ſecuritatis.
8 LVCIS. i. claræ tuæ viſionis.
9 ET PACIS. i. tranquillæ tuæ fruitionis.
10. VT INDVLGEAS: & clementer concedas: DEPRECAMVR: merito dolorum internorum cordis Chriſti: Et.
7 PER EVNDEM CHRISTVM: vndique cruentatum.
8 DOMINVM NOSTRVM: pro nobis diffamatum & deformatum.
9 AMEN, ita fiat per eius clauos & captiuitatem.
1 NOBIS QVOQVE: filiis tuis prodigis ad te reuertentibus.
2 PECCATORIBVS: peccata noſtra confitentibus & defluentibus.
3 FAMVLIS TVIS: filij tui paſſione & ſanguine redemptis.
4 DE MVLTITVDINE MISERATIONVM: & gratiarum, TVARVM: multis aliis peccatoribus à te impenſarum & à nobis etiam iam expertarum SPERANTIBVS: veniam gratiam & gloriam.
5 PARTEM ALIQVAM: nobis congruam tuæ beatitudinis.





6 ET SOCIETATEM: ac communionem perfectam ac efficacem.
DONARE DIGNERIS: per gratiam tuam ad hoc nos dignificando.
7 CVM TVIS SANCTIS: à te ſanctificatis.
8 APOSTOLIS. 9 ET MARTYRIBVS.
1 CVM IOANNE: Baptiſta à Deo miſſo & Apoſtolo & martyre. 3 STEPHANO: prothomartyre.
4 MATHIA. 5 BARNABA: ad Apoſtolatum vocatis & electis. 6 IGNATIO: S. Ioãnis Euangeliſtæ diſcipulo, epõ & martyre.
7 ALEXANDRO: Papa & martyre.
8 MARCELLINO: Papa & martyre.
9 PETRO: eius diacono & martyre.
1 FAELICITATE: ſepties in ſeptem filiis ſuis martyre.
2 PERPETVA. 3 AGATHA.
4 LVCIA. 5 AGNE.
6 COECILIA.
7 ANASTASIA.
8 ET CVM OMNIBVS SANCTIS TVIS: tecum iam glorificatis.
9 INTRA QVORVM NOS CONSORTIVM: & ſocietatem, ac gloriæ tuæ communem participationem.
10 NON AESTIMATOR: & ponderator noſtri, MERITI: propter quod tanto cõſortio nos peccatores indignos agnoſcimus.
11 SED veniæ. i. remiſſionis culpæ & pœnæ: QVAESVMVS LARGITOR. 12 ADMITTE: miſericorditer.
8 PER CHRISTVM DOMINVM NOSTRVM: pro nobis inter duos latrones crucifixum & deputatum.

1 PER QVEM HAEC OMNIA: corporis & ſanguinis eius ſacramenta.
2 DOMINE: pater ſancte.
3 SEMPER BONA: in ſe, licet indignè ſumentibus ſint nociua, CREAS: per tranſubſtantiationem & per gratiæ infuſionem bona & proficua nobis facis.
4 SANCTIFICAS: per ea nos à peccatis ſanctificando & ſanando per corpus Chriſti vndique vulneratum.
5 VIVIFICAS: vitam gratiæ nobis conferendo, merito animæ Chriſti contriſtatæ.
6 BENEDICIS: omni benedictione cœleſti nos replendo virtute diuinitatis eius corpori vnitæ
7 ET PRAESTAS: liberaliter, NOBIS.

*Hic dum diſcooperis calicem, & te inclinas, ac hoſtiam inter digitos accipis, potes mentaliter addere quod ſequitur, vel aliqua ex ſequentibus Euchariſtiæ nominibus.*

IN propitiationem, viaticum & coronam gloriæ:
In Euchariſtiam, manna, & cibum:
In redemptionem, medicinam & communionem.
In robur vitæ, lumen ſcientiæ, & pignus ſalutis æternæ.
Pro quibus non poſſumus dignè tibi gratias agere. Sed.
PER IPSVM: ſacerdotem & mediatorem noſtrum verum Deum & hominem.
6 ET CVM IPSO: tibi: conſubſtantiali & coæqualî Deo.





8 ET IN IPSO: dilectiſſimo filio tuo, ſplendore gloriæ tuæ,
7 EST TIBI DEO PATRI OMNIPOTENTI: bonorum omnium largitori.
9 IN VNITATE SPIRITVS SANCTI. i. ſimul cum ſpiritu ſancto tibi & filio conſubſtantiali & coæquali.
10 OMNIS HONOR: pro infinitis tuis virtutibus & perfectionibus. 8 ET GLORIA: pro tuis beneficiis & beatitudine tua.
7 PER OMNIA SECVLA SECVLORVM: in æterna ſecuritate, ſerenitate & ſuauitate.
AMEN: Ita eſſe credo & congratulor.
4 OREMVS: cum Chriſto ſeptem verba in cruce proferente & orante, Oremus, inquam, illud quod propter noſtram indignitatẽ nũquam præſumerem⁹ dicere, ſed quod.
5 PRAECEPTIS SALVTARIBVS: filij tui, MONITI.
6 ET DIVINA: eius, INSTITVTIONE FORMATI: & edocti, AVDEMVS DICERE.
7 PATER: omnium ex quo eſt omnis paternitas.
8 NOSTER: ſpeciali affectu nos diligens, & à nobis dilectus & veneratus.
9 QVI ES IN COELIS: & in beatis tecum regnantibus fons totius beatitudinis.
7 SANCTIFICETVR. i. purè perfectè & ſtabiliter agnoſcatur, adoretur, ametur & glorificetur, à nobis, NOMEN TVVM: paternum per verbum filij tui: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.
8 ADVENIAT: nobis: REGNVM TVVM: glorioſum in paradiſo, per verbum: Hodie mecum eris in paradiſo.

9 FIAT & impleatur ex amore: VOLVNTAS TVA. i. quidquid iubes, aut conſulis, SICVT IN COELO. i. in Chriſto dicente: Conſummatum eſt, ita, ET IN TERRA. i. in nobis qui adhùc in terra degimus.
9 PANEM NOSTRVM, i. corpus tui, filij: QVOTIDIANVM: quo quotidie ſuſtentari indigemus & quicquid ad vitam noſtram nobis eſt neceſſarium, DA NOBIS HODIE, dignè & cum ſpirituali eſurie manducare per verbum: Sitio.
4 ET per verbum: Pater ignoce illis quia neſciunt quid faciunt: DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. i. peccata noſtra.
5 SICVT ET NOS: tui filij imitatione, DIMITTIMVS: offenſas, DEBITORIBVS NOSTRIS: qui nos læſerunt pro illis ſimiliter orantes: Pater ignoſce illis.
3 ET: per verbum: Deus meus vt quid me dereliquiſti: NE NOS INDVCAS: & ſuccumbere permittas, IN TENTATIONEM: ſic vt te rurſum offendamus.
1 SED: per verbum: mulier ecce filius tuus: LIBERA NOS A MALO: pœnæ nociuæ, quod propter peccata incurrimus aut incurrere meremur.
2 AMEN: ita vt orauimus, futurum ſperamus & confidimus, per verbum: Ecce mater tua.





3 LIBERA NOS QVAESVMVS: per filium tuum in cruce agonizantem, DOMINE: Pater clementiſſime.
4 AB OMNIBVS MALIS PRAETERITIS: dando de commiſſis peccatis plenam indulgentiam.
5 PRAESENTIBVS: dando contra tentationes & tribulationes præſentes conſtantiam & victoriam, atque opportunam liberationem.
6 ET FVTVRIS: præſeruando nos à recidiuo peccati & pœnis animæ nociuis.
7 ET INTERCEDENTE BEATA: i. cumulo omnium bonorum repleta.
8 ET GLORIOSA: i. ab omnibus ſanctis & fidelibus honorata.
9 SEMPER VIRGINE: mente & corpore immaculata.
10 DEI: filij tui propter nos homi-nis facti: GENITRICE, 11 MARIA,: in eius paſſione gladio doloris tranfixa.
12 ET BEATIS APOSTOLIS TVIS.
8 PETRO: Apoſtolorum vertice in crucem eleuato.
10 ET PAVLO: capite minuto, & ſtigmata Domini portante.
7 ATQVE ANDREA: crucem cum gaudio amplectente.
9 CVM OMNIBVS SANCTIS: per crucem Chriſti ſaluatis.
1 DA PROPITIVS: per expiationem filij tui in cruce.

2 PACEM IN DIEBVS NOSTRIS: internam, fraternam & externam.

VT OPE MISERICORDIAE TVAE ADIVTI: per lateris & cordis eius tranſfixionem.

ET A PECCATO SIMVS SEMPER LIBERI: per ſanguiné & aquã ex eodẽ latere effluxã.

ET AB OMNI PERTVRBATIONE: mentis tranquillitatem & pacem impediente, SECVRI: per B. Mariæ compaſſionem & conſtantem ſub cruce perſeuerantiam.

7 PER EVNDEM DOMINVM NOSTRVM: redemptorem.

8 IESVM: ſaluantem à peccatis.

9 CHRISTVM: Regem, ſacerdotem & mediatorem.

10 FILIVM TVVM: dilectiſſimum, in quo nos tibi gratificaſti, de cruce depoſitum, planctum & ſepultum (quod ſignatur in deſcenſu hoſtiæ ſuper patenam.)

1 QVI TECVM VIVIT: vita beata.

2 ET REGNAT: habens omnem poteſtatem & imperium in cælo & in terra.

3 DEVS: potentiſſimus, ſapientiſſimus & benigniſſimus deſcendens ad inferos, reſurgens, & viuens.

*Hoc cogitare potes dum demittis ſecundam particulam hoſtiæ ſuper patenam.*

4 IN VNITATE SPIRITVS SANCTI. i. ſimul cum ſpiritu ſancto.

8. PER OMNIA SECVLA SECVLORVM: in æterna beatitudine & gloria.

10 AMEN: ita fiat ſicut petimus & ſperamus.





4 PAX DOMINI: interna per veram cum diuina voluntate concordiam.

SIT SEMPER: æterna in cœleſti regno.

VOBISCVM: per fraternam concordiam: per Chriſtum ter Diſcipulis pacem optantem, & donantem.

AGNVS DEI: humilis & innocens.

2 QVI: per tuam paupertatem, TOLLIS PECCATA MVNDI: cupidi.

3 MISERERE NOBIS: per tuam manſuetudinem.

4 AGNVS DEI: amans & obediens.

5 QVI: per tuas lachrimas & orationes, TOLLIS PECCATA MVNDI.

6 MISERERE NOBIS: per tuam eſuriam & fortem conſtantiam.

7 AGNVS DEI: miſericors & iuſtus:

8 QVI: per ſenſuum tuorum continentiam, & cordis munditiem, TOLLIS PECCATA MVNDI:

9 DONA NOBIS PACEM: per tuam pacificam vitam.

*Licet iuxta morem noſtrum Cartuſianum vnicum Agnus Dei dicamus ante communionem, reliqua duo reſeruantes poſt eam, hîc tamen tria Agnus Dei ſimul ſunt poſita, & beatitudinibus viæ applicata, vt ſic meliùs eorum applicatio videatur.*

*Sequitur Oratio, quam ſolam ex debito, iuxta vſum noſtrum Cartuſianum vocaliter dicimus ante communionem, vt liberiùs mentali orationi & aſpirationi in ipſa communione vacemus.*

*Huic autem orationi multa addidimus ad exeitandam deuotionem, quæ memoriæ commendata*

*breuiter voce vel mente poſſunt commemorari, ab eo qui id poteſt facere abſque nimia mora, & difficultate. Qui autem tardiori eſt ingenio, aut hæc omittat, aut aliqua tãtum ex his, quantùm ſua deuotio exigit, ſumat. Præmittuntur autem varia Dei amabilia nomina ſimul, vel per ferias dicenda.*

*Quotidie.*

O Præſentiſſime, intentiſſime & poromptiſſime.

*Feria ſecunda.*

O Miſericordiſſime, patientiſſime & beneuolentiſſime.

O placabiliſſime, clementiſſime & beneficentiſſime. *Feria tertia.*

O Amabiliſſime, Amantiſſime, & dilectiſſime.

O Piiſſime, compatientiſſime, & dulciſſime.

*Feria quarta,*

O Eſurientiſſime, fortiſſime, & cõſtantiſſime.

*Feria quinta.*

O Opulentiſſime, liberaliſſime & magnificentiſſime.

*Feria ſexta.*

O Potentiſſime, ſapientiſſime, & ſanctiſſime.

*Sabbatho.*

O Benigniſſime, Fideliſſime & certiſſime. *Dominica.*

O Proxime, inſeparabiliſſime, & charitate pleniſſime.

*Quotidie.*

AMator, Domine IESV CHRISTE Fili Dei viui, & ſemper virginis Mariæ,





Deus & homo perfectiſſime.

*Sequuntur alia beneficiorum Dei nomina ſimul commemoranda, aut per ferias, prout ſequitur.*

*Dominica.*

Noſter prædeſtinator.

*Feria ſecunda.*

Creator & Conſeruator.

*Feria tertia.*

Regenerator & Illuminator:

*Feria quarta.*

Nutritor & Prouiſor.

*Feria quinta.*

Veniæ Largitor & iuſtificator.

*Feria ſexta.*

Vocator & ſuſceptor.

*Sabbatho.*

Specialis dotator & glorificator.

QVI EX VOLVNTATE PATRIS & nimia charitate, COOPERANTE, & ſuo amore cor tuum humanum inflammante, SPIRITV SANCTO, PER PIISSIMAM: ex ſumma pietate à te ſuſceptam, MORTEM TVAM VNIVERSVM MVNDVM: in te credentem. VIVIFICASTI: vita gratiæ. Et te in hoc altaris ſacramẽto verè & realiter præſentem nobis in omnem deſiderabilem vſum & fructum reliquiſti. NE QVAESO vilem, pauperem, miſerum: peccatorem, ingratum, infirmum, iniuſtum, intemperantem, immundum: infidelem, inobedientem & omni beneficio tuo indigniſſimum, de tua miſericordia & pluſquam paterna benignitate plenè confidentem: & à te purgari & ſanari, illuminari & dirigi, inflãmari & perfici tibiq; de cætero



BIBLIOTECA UNIV...

ſideliùs obedire,& ex amore ſeruire deſide rantem, . . te ac per te proponentem tuóſque & meos ſpeciales omnes.

*Sequuntur obſecrationes, quas potes addere, ſi abſque nimia mora vales eas aut aliquas earum mente, vel etiam voce commemorare.*

PEr tuam cum Patre & Spiritu ſancto inſeparabilem vnitatem, intuitionem, fruitionem, cõmunicationem & beatitudinem: per tuam erga nos nimiam charitatẽ & omnem eius effectum: Per hoc ſacrum corpus tuum & ſanguinem, & animam ac diuinitatem hîc verè præſentem: & huius ſacramenti ac ſacrificij inſtitutionem, venerationem & virtutem omnem: per omnia quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: per matris tuæ dolorem & amorem omnem ac meritum: per omnium beatorum ſpirituum preces ac miniſteria: per patronorum meorũ & ſanctorum huius diei, omniúmque electorum tuorum ſuffragia & merita. Ad laudem & gloriam tuam, ſicut ſcis, vis & potes: LIBERA AB OMNIBVS MALIS PRAETERITIS, PRAESENTIBVS ET FVTVRIS: munda & præſerua ab omnibus, quæ tibi in nobis diſplicent, vitiis & defectibus: ET FAC NOS TVIS SEMPER OBEDIRE MANDATIS: & conſiliis: ET A TE IN PERPETVVM NVNQVAM SEPARARI PERMITTAS: ſed per ſeptiformem Spiritum tuum & Angelicum miniſterium in omnibus ſemper nos exites, dirigas & perficias, ſicut expedit ad tuum honorem, & animarum ſalutem: SALVATOR MVNDI QVI CVM EODEM PATRE ET SPIRITV SAN-





CTO VIVIS ET REGNAS DEVS, PER OMNIA SECVLA SECVLORVM. Amen.

*Dicta oratione præmiſſa ſumpturus Chriſti corpus, hæc quæ ſequuntur, aut aliqua ex ipſis, poteris fructuosè mente reuoluere.*

O Supereuerendiſſime, ſuperamandiſſime & ſupercolendiſſime IESV: etſi verè indignus ſum ſub cuius tectum intres: quia tamen dignaris & vis vt te ſumam, ideò non ex aliqua præſumptione, ſed ex hac ſola tua dignatione & voluntate: neque ex affectu meo tepido, ſed ex affectu & deuotione Matris tuæ, beatorum Angelorum, Patronorum meorum, ſanctorum huius diei & omnium electorum tuorum: ex mea, tuorúmque & meorum ſpecialium & omniũ fidelium parte: per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum te cum Patre & Spiritu ſancto trinum & vnum Deum adoro & reuereor, laudo & glorifico, amans tibi congratulor, gratiáſque agens, me totum tibi offero in omne beneplacitum tuum ad omnia tàm aduerſa, quàm proſpera, obſecrans te.

*Sequuntur nomina Chriſti, quæ ad actuandam tuam fidem & deuotionem excitandam, potes mente cõmemorare, aut aliqua ex illis, per ferias.*

*Dominica.* O Pater, Frater & Sanctificator.

*Feria 2.* { O Iudex, Aduocate, & Iuſtificator.
O Rex, Princeps & Rector meorum.

*Feria 3.* { O Domine, Emanuel, Amice.
O Præceptor, Magiſter & Legifer.

*Feria quarta.* { O paſtor, Dux & Viſitator.

*Feria quinta.* { O Creditor, Fideiuſſor & Retributor.

*Feria ſexta.* { O Protector, Cuſtos & Medice.

*Sabbatho.* { O Liberator, IESV Saluator & pacificator.

*Quotidie.*

IN vnione illius amoris, quo tu Deus pro nobis dignatus es homo fieri, pati & mori, & te in hoc Sacramento relinquere, & à nobis manducari. Et quo tu dediſti matri tuæ & patronis meis, ac Sanctis huius diei & omnibus electis tuis tam deuotè & fructuosè hoc Sacramentum ſumere. Ex eorum fide & deuotione, da mihi & tuis ac meis ſpecialibus ſic nunc reuerẽter & amanter te ſumere, vt omnem fructum, ad quem hoc ſacramentum ordinaſti, & quem in prædictis ſanctis operatus es, etiam in nobis operari digneris: & maximè vt iuxta tuum promiſſum in te maneamus, viuamus & operemur: imò verò, vt tu in nobis maneas, viuas & liberè opereris omnia quæ ab æterno facere diſpoſuiſti, iuxta ſupremum tuum beneplacitum. Et præſertim, vt patrem tuum pro nobis honores, iram eius auertas, gratiam & amicitiam illius nobis reſtituas: nóſque illumines, iuſtifices, ſanctifices: liberes, confortes, redimas & glorifices: ac dones te ſecurè poſſidere & adorare





rare: te clarè videre & laudare: te perfectè amare & frui, tibíque ex amore perfectiſſimè obedire. Atque vtinam nos tui amoris igne afficias, ſuccendas, repleas, ſaties, potes, inebries, abſorbeas, transformes & vnias vt tuum gaudium in nobis impleatur.

*Sumpturus calicem & dum ebibis ſanguinem, hæc aut aliqua ex his cogita.*

QVod vt fiat in nobis de ſuauiſſimo corde tuo & vulneribus tuis haurire, & ſimul cum hoc pretioſo ſanguine tuo largiter ſuſcipere ſpiritum tuum Septiformem: Spiritum ſapientiæ & intellectus: conſilij & fortitudinis: ſcientiæ & pietatis, timoris & amoris tui, qui faciat nos te ſolum in omnibus, & omnia in te ſolo, téque ſuper omnia amare toto corde, tota mente, tota anima, & ex omnibus viribus noſtris, & ex amore tibi in omnibus perfectiſſimè obedire.

*Dum primam & ſecundam ablutionem accipis & manus lauas, ac corporale (quando opus eſt) plicas, potes pro virtutibus Chriſti imitandis orare, eas, ſi vis, per ferias diſtinguens prout ſequitur.*

FAc etiam benigniſſime IESV tui amore & imitatione ſumptíque Sacramenti merito & virtute nos verè:

*Dominica.* { Humiles, reuerentes, timoratos, taciturnos, verecundos & modeſtos.

*Feria ſecunda.* { Pauperes ſpiritu, ſobrios, caſtos: auſteros, patientes, mites, pios, benignos.

| | |
|---|---|
| *Feria tertia.* | Amantes Deum, beneuolos in omnes, & intentione rectos: abnegatos, reuerentes, & obedientes: lugentes, cõpatientes & ſine intermiſſione orantes. |
| *Feria quarta.* | Eſurietes, ſtrenuos, vigilãtes: diligentes, deuotos & feruentes: zelãtes, ſeueros, benignos & diſcretos: generoſos, confidẽtes & magnanimos: fortes, conſtantes & perſeuerantes. |
| *Feria quinta.* | Miſericordes, veraces & innocentes: iuſtos, gratos liberales & magnificos. |
| *Feria ſexta.* | Temperantes, ſenſuum continentes, mundi-cordes, ſpiritu eleuatos, & contemplationis ſtudioſos. |
| *Sabbatho.* | Prudentes, Sapientes & Eloquentes, Simplices, pudicos, pacatos & pacificos. |

*Si hæc tibi non ſufficiunt ad occupandam mentem, poteris quotidie addere quod ſequitur.*

FAc inſuper nos tui amore quamcunque volueris perſecutionem & crucem ſuſcipere, & tolerare, cum laude & gratiarum actione: cum humilitate & abegatione: cum obſecratione, confidentia & reſignatione: cum charitate, gaudio & pace: cum patientia, longanimitate & manſuetudine: cum bonitate & benignitate: cum fide, fidelitate & modeſtia: cum continentia & caſtitate: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia & oris ſapientia: cum ſimplicitate & finali perſeuerantia: ſic vt tuis paſſionibus communi-





cantes earum fructum renouemus, & percipiamus:

*Hæc quæ prolixa videntur, ſi fuerint memoriæ commendata, breui tempore poſſunt ab eo, qui eſt acrioris ingenij, mentaliter dici. Qui verò tardiore ſunt ingenio & paucioribus indigent vt mentem occupent: dicta oratione ante communionem, prout in Miſſali habetur, abſque aliqua additione, ſic breuius communionem ſumendo poterunt occupari, hæc quæ ſequuntur mentaliter dicendo.*

O Superreuerendiſſime IESV, etſi verè indignus ſum vt intres ſub tectum meum, quia tamen dignaris & vis, de tua ſola miſericordia & dignatione cõfiſus, te nunc ſumo ex affectu & deuotione matris tuæ & patronorum meorum ſanctorúmque huius diei & omnium electorum: obſecrans te vt omnem fructum ad quem hoc Sacramentum inſtituiſti, & quem in prædictis Sanctis tuis es operatus: in me etiam tuíſq; & meis ſpecialibus operari digneris: & maximè, vt iuxta verbum tuum, in te maneamus, viuamus & operemur, & tu in nobis maneas, viuas & liberè opereris quicquid ab æterno facere diſpoſuiſti iuſta ſupremum beneplacitum tuum ad tuam gloriam & animarum noſtrarum ſalutem præſentem & perpetuam.

*Calicem verò ſumpturus, & dum ſacrum ſanguinem bibis, dic mentaliter.*

DA etiam mihi bone IESV, de ſuauiſſimo corde tuo & vulneribus tuis ſimul cum hoc pretioſo ſanguine tuo haurire &

largiter ſuſcipere: ſpiritum ſapientiæ & intellectus: conſilij & fortitudinis: ſcientiæ & pietatis: timoris & amoris tui, qui nos in omnibus moueat, dirigat & perficiat iuxta ſupremum beneplacitum tuum.

*Dum ablutiones ſumis & manus lauas & tergis hæc etiam poſſunt mentaliter addi.*

FAc nos etiam bone IESV, tui amore & imitatione verè humiles, pauperes, mites, amantes, obedientes, lugentes, & eſurientes: miſericordes, mundicordes, pacificos: & quamcunque volueris crucem libenter patientes.

*Lecta poſtcommunione, ad Dominus vobiſcum: quod ante complendam dicitur, ſic cogita.*

DOMINVS VOBISCVM: ſit, vobiſque benedicat ſicut aſcenſurus in cœlum diſcipulis benedixit.

ET CVM SPIRITV TVO: ſit, vt in ſpiritu & veritate illum exores.

OREMVS: Chriſtum aſcendentem, ne relinquat nos orphanos.

PER DOMINVM NOSTRVM, &c. Aſcendentem, ſedentem in dextera tua, & pro nobis interpellantem.

OREMVS: cum Apoſtolis, poſt Chriſti Aſcenſionem vnanimiter in oratione perſeuerantibus.

PER DOMINVM NOSTRVM, &c. Spiritum ſanctum in Diſcipulos mittentem.

DOMINVS VOBISCVM: ſit, & Septi-

formi



formi gratia Spiritus ſancti vos repleat, & oblati ſacrificij, ſumptique ſacramenti, aliorúmque ſacramentorum fructum vobis communicet & conſeruet.

ET CVM SPIRITV TVO: maneat, ipſum purgans, illuminans, inflammans & & perficiens,

ITE: & de virtute in virtutem cum ſanctis proficite.

MISSA EST: per nos ad Patrem hoſtia placationis, & præmiſſa eſt glorificatio Beatæ Mariæ & aliorum ſanctorum.

DEO GRATIAS: agamus, ipſum adorando, glorificando, amando, & gratum obſequium ei impendendo.

vel: BENEDICAMVS DOMINO: pro Miſſa ad eum placationis hoſtia, & omni huius ſacrificij fructu:

vel: Pro fœlici Beatæ Mariæ & aliorum ſanctorum ex hoc mundo tranſitu ad cœlum:

DEO GRATIAS: pro collata iam ſanctis gloria, & nobis (ſi in fide & charitate perſeuerauerimus) præparata

vel: REQVIESCANT: animæ defunctorum, pro quibus ſacrificium, hoc eſt oblatum, IN PACE: & refrigerio æterno, per B: Mariæ & omnium Sanctorum fœlicem tranſitum.

AMEN: per gloriam & beatitudinē iam ſanctis collatam, eorúmque preces & merita.

OREMVS: pro acceptione ſacrificij oblati

PLACEAT TIBI: ad honorem tuum: SANCTA TRINITAS PATER, FILIVS ET SPIRITVS SANCTVS

 vnus

vnus in eſſentia Deus OBSEQVIVM SERVITVTIS NOTRAE: in recognitionem tui ſupremi dominij oblatum: ET PRAESTA: miſericorditer, vt HOC SACRIFICIVM LAVDIS, quo ſummè laudaris & honoraris, QVOD: ego Sacerdos verè, INDIGNVS: quantum eſt ex me, IN CONSPECTV DIVINAE MAIESTATIS TVAE OBTVLI, TIBI SIT PLACENS: & honorificum, MIHIQVE ET OMNIBVS PRO QVIBVS ILLVD OBTVLI, SIT TE MISERANTE, & diſponente, PROPITIABILE IN VITAM AETERNAM. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Signando te † potes dicere.*

8 Ad hoc Benedicat te nos tua omnipotentia.
10 Inſtruat nos tua Satientia.
7 Inflammet tua charitas.
9 Stabiliat nos tua Trinitas.
10 Intrahat & vniat nos ſibi tua dulcis vnitas.

*Poſt hæc, ſi ex debito nihiil aliud dicere teneris, fructuoſè potes dicere Euangelium (In principio erat verbum) & Pſalmum) laudate Dominum omnes gentes.) Item: (Magnificat) Benedictus Dominus Deus Iſrael) & Nunc dimittis, aut mentaliter cum Deo, quem ſuſcepiſti, occupari interim dum exuis te ſacris veſtibus.*

*Sequitur breuis gratiarum actio, quæ ſtatim poſt*





*miſſam, vel communionem poteſt commodè dici.*

## CAPIT. SEPTIMVM.

1 SVPERBENIGNISSIME IESV, in ea charitate qua tu hoc ſacramentum inſtituiſti, & ad illud me admittere dignatus es, obſecro te, IGNOSCE quod cum minus decenti præparatione, puritate & humilitate ad hoc tantum myſterium acceſſimus.
2 Omnem irreuerentiam, diſtractionem, negligentiam & culpam in huius ſacrificij oblatione & ſacramenti communione, à nobis commiſſam, DELE & remitte.
3 SVPPLE defectum amoris, deſiderij, deuotionis & feruoris, quem habere debueramus & non habuimus.
4 SVSCIPE in cor tuum vniuerſum noſtræ ſeruitutis obſequium, & adiungens tuæ deuotioni illud gratifica & perfice.
5 OFFER illud ſic vnitum Deo patri per idem cor tuum ad eius, omniumque Sanctorum gloriam & honorem.
6 REFER nobis, & pro quibus hoc ſacrificium obtulimus, vel communicauimus, & orauimus omnem eius fructum & gratiam optatam.
7 GRATIAS DEO PATRI AGE, & nos tecum eidem gratias agere facito, pro tam ſalutari ſacrificio & ſacramento.
8 CVSTODI nos, & da vt ſollicitè præcaueamus ne per vllum peccatum, aut negligentiam vel extrouerſionem nimiam te offendamus, & fructum huius ſacramenti in nobis impediamus.

9 EXCITA dirige, conforta & conſerua nos in omni bono opere, & placitis tibi exercitationibus.

10 DONA nobis in te firmam fidem: humilem timorem, & certam confidentiam.

11 FAC vt te, Diligamus, & mandata tua cuſtodiamus: fratres noſtros ſic amemus, ſicut tu dilexiſti nos, & inter preſſuras huius mundi, in te pacem habeamus.

12 SANCTIFICA nos in veritate: SERVA, ab omni malo, & vni, nos tecum & cum patre tuo, Atque tandem glorifica.

Denique cor noſtrum abſtractum ab omni creatura, integra voluntate in cor tuum ſuſcipe: Ablue, ſana, viuifica: purga, illumina, perfice: Abſorbe, transforma & vni: atque cum forti, ſapienti, dulci & benigno amore illud coapta, ad te ſemper magis ac magis ſuſcipiendum & retinendum: vt tu in nobis manens, fortiter, ſapienter, dulciter, benignè & liberè opereris omnia quæ ab æterno facere diſpoſuiſti, tam in agendo quam in patiendo, & dimittendo, iuxta ſupremum beneplacitum tuum: Et habeas ſemper cor noſtrum, linguam & cætera membra munda, & apta ad infundendum & effundendum qualicunque hora, & quibuſcunque tibi placuerit: omneſque cordis noſtri petitiones ſalubriter exaudire digneris: in amore illo quo tu dignatus es pro nobis incarnari, pati, mori: & te in hoc ſacramento nobis relinquere, atque à nobis ſumi & offerri: propter nomen tuum (IESV Bone) & dulciſſimæ Mariæ matris tuæ: quod nunc & in-





æternum ſit benedictum & cordibus noſtris impreſſum vt non quæ noſtra ſunt, ſed quæ tua ſemper quæramus. Amen.

*Hic ſubiunges orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam cum ſua (ſi volueris) expoſitione, prout ſupra habetur in exercitio nocturno.*

*Sequuntur tres deuotæ orationes, quarum vnam poſt communionem (quando vacabit) poteris mentaliter legere, die ſibi aſsignato aut pro vt volueris: neque enim ſunt adeo neceſſariæ, quin poſsint ſine damno omitti licet ſint valdè deuotæ & ex Margarita Euangelica libello deſumptæ.*

*Oratio prima quam feria ſecunda & quinta legere poteris.*

O Dulciſsime Domine, IESV Chriſte, Deus meus & Dominus meus, ex toto corde meo rogo, & obſecro te, per virtutem & præſentiam diuinitatis tuæ in me: & per merita ſpiritus animæ, & corporis & ſanguinis tui: quæ nunc gratiæ tuæ dono ſuſcepi immuta & transforma in te, ſpiritum, animam, carnem & ſanguinem meum. O ſancte Deus, ſanctifica me nunc ad honorem & gloriam tuam. O fortiſſime Deus, euince nunc infirmitatem & inſtabilitatem meam. O ſapientiſſime Deus, euince nunc ignorantiam, indiſcretionem & inſipientiam meam multam, & magnam. O Benigniſſime Deus, euince nunc malitiam & concupiſcentiam meam. O fideliſſime Deus, euince nunc infidelitatem & in-

obedientiam meam. O Immortalis Deus, iam poſthac digneris viuere in me, tuque in me & per me loqui, audire, ambulare & perficere quicquid volueris ſecundum acceptiſſimam voluntatem tuam: ita vt nihil ſit in me quod tuum non ſit. Oculi mei, tui ſint oculi, vt per eos videre: Aures meæ, ſint tuæ aures, vt per eas audire: Lingua mea ſit tua lingua, vt per eam loqui: Et omnia membra mea, ſint tua mēbra, vt per ea, quicquid tibi placuerit, operari poſſis. Obſecro etiam te, vt cor meum, ſit cor tuum, quatenùs videlicet ipſius deſideria ad honorem tuum dirigere digneris: vtque caput meum tuū ſic caput, ſanctiſſimamq; Trinitatē in capite meo, ſicut in capite tuo operari facias: ita vt mea memoria tua ſit: teipſum per teipſum recolendo: Et intellectus meus, tuus ſit intellectus: teipſum per teipſum intelligendo: Et voluntas mea, tua ſit voluntas. nihil per gratiam tuam volendo, quam quod tu vis: vt ſic vnus ſpiritus cum tua diuinitate & vnum corpus cum tua humanitate eſſe poſſim. Atque iſtud in omnibus tam viuis, quam defunctis (præſertim tuis & meis ſpecialibus) prodeſſe facias: ac ſi hoc ipſimet per ſeipſos perfectiſſimè exercuiſſent. Idque ad hoc, vt per merita tui vulnerati corporis, animæ doloroſæ, & gaudioſi ſpiritus tui: benedicta diuinitas tua delectetur habitare in corpore noſtro: ſedere in anima noſtra: & requieſcere in ſpiritu noſtro: quatenus ſic in nobis & in omnibus viuis ac defunctis pacem & gaudium habere poſſis. Amen.





*Oratio ſecunda, legenda die Dominica & feria tertia ac ſexta.*

O Dulciſſime IESV, qui te exaltatum à terra omnia ad te tracturum dixiſti: virtute diuiniſſimi ſacramenti & oblati ſacrificij, trahe me nunc ad te ex omni proprietate voluntatis meæ, in vnam tecum voluntatem. Trahe me ad te, ex omni amore & adhæſione creaturarum, & ex omni cura neceſſitatum corporalium in affectum extremæ paupertatis. Trahe me ad te ex corporeis imaginibus & formis, in nuditatem ſpiritus: Trahe me poſt te, ex omni propria quæſitione & requieſcentia in donis ſpiritualibus, in deipaſſiuam paupertatem & libertatem ſpiritus. Trahe me totum ex meipſo & omni priuato amore, in ſponſalem vnionem & indiuiduam amicitiā tuam. Trahe me ad te, in ſcholam Spiritus ſancti replens me omnibus donis eius mihi pro tua gloria, & animarum ſalute neceſſariis. Obſecro etiam te (dulciſſime Domine IESV Chriſte) digneris nunc & vſque inæternum mecum in anima mea per gratiam tuam manere. Quod vt fiat, conforta me tua virtute: illumina me tua ſapientia: accende me tua charitate ardentiſſima, quatenus ea quæ ſequuntur (ſine quibus in tua vnione nemo diu poteſt perſiſtere) diligenter valeam cuſtodire. Da igitur & fac, vt meum interiorem & exteriorem hominem perpetua vigilantia cuſtodiā: quatenus tibi interiùs, & hominibus exteriùs, ſimplici obedientia propter te & ſecundum te

me ſemper ſubijciam: peccata omnia, parua & magna ſummo odio proſequar & fugiam: tuum beneplacitum in omnibus purè intendam, quæram, videam, & abſque diſſimulatione impleam: voluntatem propriam & omnem priuatum amorem ad meipſum & ad creaturas, nec non concupiſcentias & vitia vniuerſa (præſertim inhæſiua) toto corde abnegem & mortificem. Imprime mihi tuam crucifixam imaginem: vt te nobiliſſimo cibo & hoſpite contentus, terrena omnia vt ſtercora faſtidiam: Et in interiori homine continuè incluſus & introuerſus, cunctis animæ meæ viribus in te leuatis & defixis tecumque vnitis, habitem: tibique ſoli vacans & intendens maneam. Cor ab euagatione, linguam à verbis inutilibus & cæteros ſenſus & membra mea ab omnibus inordinatis motibus, excurſibus & exceſſibus refrenem & in puritate cuſtodiam: in tuis vulneribus nidificem: & te crucifixum, patientem & morientem induam. In ſanctis meditationibus, orationibus & laudibus tuis, charitatiſque ſiue obedientiæ operibus, totum tempus & vires meas, purè pro tua gloria & Eccleſiæ tuæ ſalute, continuè proficiens, conſumam: ſicque tuæ in me operationi nunquam reſiſtam, ſed perfectè locum dem: vt tu pacem & gaudium in me, ſicut vis, habere valeas. Eadem peto pro tuis & meis ſpecialibus tibi notis. Amen.

*Oratio tertia, feria quarta & ſabbato legenda poſt communionem.*

O nobi



O Nobilis inhabitator animæ meæ, ſine quo nullum bonum perficere, nullumque malum deuitare valeo: Ideò ad imaginem tuam me creaſti, teque mecum inſeparabiliter vniuiſti: & ad me in ſacramento venire dignatus es, mecumque vis manere: vt me libenter adiuues. Eſque omnipotens in anima mea, vt me confortes: & omni ſapiens vt me illumines: & omni amans, vt me in amorem transformes. Rogo propterea bonitatem tuam (Domine Deus meus) adiuua me, vt quæcunque placita ſunt tibi, perficere: quæ vero diſplicent, diligentiùs valeam præcauere: quatenùs te in me habitare, meque pro tuo beneplacito vti delectet. O Benedicte Deus pater cœleſtis, qui es, & manere vis in mea memoria: Rogo paternam fidelitatem tuam, vt per ſapientiam filij tui, & per amorem Spirituſſancti adiuues me: vt nihil aliud, quam quod tu vis, recolere ac in memoria mea retinere poſſim. O fili Dei altiſſimi, qui es, & manere vis in meo intellectu. Adiuua me per potentiam patris, & amorem Spiritus ſancti: vt nihil aliud, quam quod tu vis diſcere, cognoſcere & intelligere poſſim. O Benigniſſime Spiritus ſancte Deus: qui es, & manere vis in libera mea voluntate: Adiuua me per potentiam patris, filiique ſapientiam & merita: vt nihil aliud, niſi quod tu vis, eligere: Amare, deſiderare, loqui, facere dimittere, & pati valeam.

O Pater, ô fili, ô Spirituſſancte qui es trinus in perſonis, & vnus in eſſentia, inſeparabilis, æternus ac verus Deus: Rogo

ineffabi

ineffabilem bonitatem tuam: vt ſic me vnire & in gratia tua conſeruare digneris: quatenùs nihil me vnquàm à gratia & dilectione tua retrahere valeat, ſed vt in eis viuere ac mori poſſim. O Pater in manus tuas commendo ſpiritum, animam & corpus meum.

Rogo etiam te, Bone IESV, per merita humani gaudioſi ſpiritus tui: vt lucere facias diuinitatem tuam per ſpiritum meum, ipſumque efficias ab omni creatura abſtractum, & liberè ſupra cunctas viciſſitudines rerum temporalium in te eleuatum: tranquillum, hilarem & liberum: tibique memoria ſtabili, claro intellectu & voluntate feruenti, tibi vnita, omnique creaturæ ſubiecta, ſemper adhærentem: quatenùs diuinitatem tuam in ipſo quieſcere delectet.

Rogo etiam te, Dulcis IESV, per merita ſanctæ ac doloroſæ animæ tuæ: vt eandem diuinitatem deorſum radiare facias in animam meam: ipſamque reddas totaliter ſanctam: vitiis mortuam, ſua & aliorum peccata plangentem: in omnibus viribus ſuis benè ordinatam: introuerſam, pacificam, hilarem: tibi ſubiectam, & ignitis deſideriis ad te ſuſpirantem.

Rogo inſuper, Bone IESV, per merita transfixi cordis tui, & vulnerati puriſſimique corporis tui: vt tranſtadiare facias eandem diuinitatem tuam per cor & corpus meum: reddaſque cor meum dulce, pauper & humile, te ſolum quærens puriſſimè. Corpuſque meum facias ſobrium, caſtum, patiens, ad obſequium tuum & omnium hominum paratum,



ratum, pacatum & lætum: cum refrenatione quinque ſenſuum, in quibus ſentire merear amorem & dolorem tuum in omni deſpectione, penuria & pœnalitate quatenus tu de ecteris in ſpiritu meo ad gloriam tuam quieſcere: in anima mea, ad honorem tuum ſedere: & in corde ac corpore meo, tanquam in regio tabernaculo habitare ad delitias tuas: & me vti iuxta voluntatem, deſiderium & intentionem tuam ita liberè, ſicut dum in te adhuc eram increatus: quatenùs in me recreari, & pacem & gaudium habere queas.

Vtque hoc poſſis liberiùs: tu, obſecro, tabernaculum iſtud corporis mei, cum omni exercitu cœleſti circumuallare digneris: qui iſtud cuſtodiat, ne quid fortè committam quod maieſtati tuæ diſpliceat: lumenque tuum in me obfuſcet & pacem perturbet.

O Benedicte Deus, cum ſis, & manere velis in me: rogo te per ſanctiſſimæ humanitatis tuæ merita, vt diuinitatem tuam in me, & per me radiare facias: omneſque meos hoſtes viſibiles & inuiſibiles, qui me ſeducere, & à gratia tua abducere poſſent, procul à me repellas. Equidem non inimicus, ſed planè amicus tuus eſſe deſidero: petens humiliter, vt omnium eorum quibus gratiam tuam & amicitiam vnquam perdidi, veram cognitionem & contritionem, puram & integram confeſſionem: & perfectam emendationem mihi largiri digneris: quatenùs in gratia viuere, ſimul ac mori poſſim.

Suppliciter etiam te rogo (Dulcis IESV, paſtor bone) vt per merita gaudioſi ſpiritus tui.

tui, doloroſæ animæ tuæ, & vulnerati corporis tui (quæ per gratiam tuam nunc ſuſcepi) indulgeas mihi quicquid peccando inte deliqui: & pœnam omnem quam hîc vel in futuro merui pro peccatis meis ſuſtinere, penitus exoluas: ſed & ſacris virtutibus tuis me exornes: tamque mundum & acceptum facias, vt te in me habitare delectet pro omni triſtitia, quam pro me ex amore ſuſtinuiſti: idque pro qualicunque gratitudine, quod me creare, redimere, & cibare dignatus es.

Cæterum, cum meipſo aliquid charius dare non poſſim: me ipſum do totum immenſæ bonitati tuæ: humiliter obſecrans te, qui mecum es, & mecum manere vis: vt voto tuo ſatisfaciens, mecum maneas cum amore & gratia tua: mecum cœnes: & me facias hominem ſecundum cor tuum: in quo benedicta diuinitas tua, velut in aureo throno tuo commoretur ad gloriam tuam.

Obſecro etiam te, vt cuncta quæ mihi facienda incumbunt, tu in me, & per me operari digneris: & perficere intùs & exteriùs omnia opera illa: ſicut per ſanctiſſimam humanitatem operatus es: in tam perfecto ſcilicet, amore, in tam profunda humilitate: in tam deiformi intentione: ſimplici obedientia: longanimi patientia: Ad tantam quoque laudem & gloriam infinitæ diuinitatis tuæ: & omnium ſalutem: quibus cuncta opera tua perficiebas.

Ita quæſo operare & renoua in me nunc omnia opera tua ſecundum acceptiſſimam voluntatem & beneplacitum tuum: & dirige

omnes



omnes cogitationes, verba & opera mea in viam & imitationem ſanctiſſimæ vitæ & paſſionis tuæ: imprimens me in crucifixam imaginem tuam: & includens ac abſcondens me in intimis tuis: in quæ tam profunde me immergas & abſorbeas, vt mei ipſius & omnium rerum obliuiſcar: liber ab omnibus rebus infimis permaneam: in amoroſis amplexibus tuis ſuauiter requieſcam: internam & externam operationem tuam ſuſtineam: nec vnquam me inde vel in proſperis, vel in aduerſis extrouertam.

Quod vt meliùs poſſim: me quæſo tibi alliges, fortiſſimo vinculo amoris illius, qui tres perſonas in vnitate diuinæ eſſentiæ colligat: teque in humanitate aſſumpta fortiter vinxit, ad patiendum pro ſalute noſtra. Amen.

*Sequitur exercitium gratiarum actionis poſt communionem ex B. Gertrude ſumptum, quod in cellam reuerſus mentaliter legere poteris antequam B. Mariam & ſanctos ad gratias agendum tecum inuites.*

O BONE IESV, in ea charitate qua ad me venire dignatus es: obſecro te da mihi ſuauiſſimum cor tuum, vnicæ diuinitatis gazophilatium digniſſimum, omnis boni contentiuum: & ſemper venerandę Trinitatis organū dulciſſimum, per quod te laudem iugiter: & de quo velut Cypho aureo, diuino nectare pleno, B. Mariæ matri tuæ,

& ſan

& ſanctis omnibus fœlicitatis poculum propinem, quo fœliciter inebrientur.

Eya igitur, tu in primis pro immenſis tuis beneficiis ex amore eidem matri tuæ & omnibus ſanctis: ſed & mihi ac vniuerſitati collatis: temetipſum digneris per cor tuum laudare, benedicere & glorificare, tali ac tanta laude, ſicut te decet, ſicut tibi placet, & ſicut tu laudari maximè delectaris. Propter quod etiam ex affectu tuæ matris & totius vniuerſitatis dico quod ſequitur.

Benedicat te, Deus meus, dulcedo mea ſancta, diuinitatis tuæ gloria: qua implere & inhabitare dignatus es nouem menſibus caſta Mariæ virginis viſcera.

Benedicat te diuinitatis tuæ virtus altiſſima: quæ ſe inclinauit ad virgineæ vallis humilia.

Benedicat te artificioſiſſima omnipotentia tua, Deus altiſſime: qua indidiſti virgineæ roſæ tantam virtutem, ſpeciem & decorem, quantam tu ipſe potuiſti concupiſcere.

Benedicat te tua admirabilis ſapientia: cuius copioſa effecit gratia, vt omnis vita Mariæ, & corpus ſimul & anima, fieret tuæ dignitati congrua.

Benedicat te amor tuus fortis, ſapiens & dulciſſimus: qui effecit vt tu, virginitatis flos & ſponſus, fieres filius virginis.

Benedicat te exinanitio tuæ maieſtatis: quæ mihi acquiſiuit theſauros æternæ hæreditatis.

Benedicat te aſſumptio noſtræ humanitatis: quæ me vocauit ad conſortium tuæ diuinitatis.





Benedicat te exilium, quod triginta tribus annis perpeſſus es pro me: vt animam meam quæ perierat, reduceres ad fontem vitæ æternæ.

Benedicant te omnes tuæ humanitatis labores, dolores & ſudores: quibus ſanctificaſti omnes meas anguſtias, preſſuras & dolores.

Benedicat te experientia meæ miſeriæ: vnde tu factus es mihi Pater multæ miſericordiæ, & Deus infinitæ clementiæ.

Benedicat te dilectio tua copioſa: per quã tu ipſe factus es animæ meæ redemptio prætioſa.

Benedicant te omnes & ſingulæ tui prætioſiſſimi ſanguinis guttæ; quibus viuificaſti animam meam, & tam carè redemiſti me.

Benedicat te amaritudo tuæ pretioſiſſimæ mortis: quam tibi pro me intulit amor fortis: cuius iure non confundor mihi vſurpare de te, quicquid mihi in meritis deeſt ex me: & preſumere ac ſcire, quod verè de me eſt tibi curæ: cum tu ſcis meus: & ego tuus ſim propriæ acquiſitionis iure.

Benedicat te pro me, tua triumphalis gloria: per quam tu in carne mea ad dexteram Dei Patris ſedes Deus benedictus in ſæcula.

Benedicat te, tui ipſius claritas, honor & virtus, qua mirabiliter repletur, & paſcitur omnis cœleſtis exercitus. Amen.

*Aliud exercitium Iubilationis, ex eadem B. Gertrude, poſt Communionem, quando licuerit*

*exercendum maximè diebus feſtis.*

OBSECRO etiam te (ô dulciſſime amator Domine IESV CHRISTE) vt tu cum prædilecta Genitrice tua ſemper virgine Maria,& cum omni militia cœleſti:tibimetipſi offeras hoſtiam iubilationis,infeſtiua hilaritate iucundiſsimi amoris tui. Et tu dulciſſimus Cytharœda,primus pſallas in organo tuæ diuinitatis,& Cythara tuæ humanitatis.

Eya ergo iubilet tibi pro me (Deus vitæ meæ) tuæ imperialis Trinitatis diuinitas,eſſentialis vnitas, perſonalis proprietas,dulcis ſocietas:mutua & intima familiaritas.

Iubilet tibi tuę incomprehenſibilis dignitatis ſublimitas; glorioſa & perfecta fœlicitas. Incontaminabilis puritas & fontalis ſanctitas.

Iubilet tibi tua incommutabilis æternitas: infallibilis veritas,& inæſtimabilis charitas.

Iubilet tibi tua æterna ſecuritas,mira ſerenitas, & plena ſuauitas.

Iubilet tibi humanitatis tuæ caro mundiſſima in qua tu emundaſti me,factus os ex oſſibus meis,& caro de carne mea.

Iubilet tibi anima tua præclariſſima: pretioſiſſimum pignus quo mea redempta eſt nima.

Iubilet tibi mellifluum & Deificatum tum cor: in quod lancea mihi viam fecit: vt intrans inibi pauſet meum cor.

Iubilet tibi hoc cor dulciſsimum,incola-





tus mei vnicum refugium: quod tam piè de me ſemper eſt ſolicitum: nec vnquam quieſcit in ſiti poſt me: donec me perpetuò recipiat ad ſe.

Iubilet tibi pro me glorioſiſſimæ virginis matris tuę Mariæ digniſſimum cor & anima: quam tibi in matrem elegiſti,pro meæ ſalutis indigentia: vt mihi ſemper pateat materna eius clementia.

Iubilet tibi tua fideliſſima,quæ tibi de me eſt cura: in qua tu mihi prouidiſti talem ac tantam aduocatam, per quam tuam facillimè poſſum inuenire gratiam: & in qua fiducialiter mihi credo ſeruari tuam miſericordiam.

Iubilet tibi hoc admirabile tabernaculum gloriæ tuæ,quod ſolum dignè tibi miniſtrauit in ſancta habitatione, per quod tu tibi ipſi optimè potes ſupplere pro me, modum laudis & gloriæ,quæ tibi debetur ex me:

Iubilẽt tibi pro me ſeptẽ ſpiritus glorioſi: qui tibi aſtant ante conſpectum throni tui.

Iubilẽt tibi infinita caſtra ſanctorum Angelorum,quos tu mittis in miniſterium,propter acquiſitionis tuæ genus electum.

Iubilent tibi viginti quatuor ſeniores: cum omnibus Patriarchis & Prophetis, qui cum depoſitione coronarum ſuarum procidunt ante thronum tuũ: in Cytharis tibi reddentes infinitas laudes & gratiarũ actiones.

Iubilent tibi ſancta quatuor pennata animalia,quorum viſcera ſunt die ac nocte laudem tuam eructantia.

Iubilet tibi amiciſſimorum fratrum tuorum Apoſtolorum dignitas:quorũ ſuffragiis

Eccleſiam tuam mirabiliter ſuſtentas.

Iubilet tibi victorioſa Martyrum turba: quorum ſtola pretioſiſſimo ſanguine tuo eſt purpurata.

Iubilet tibi Confeſſorum agmen perfectiſſimum: quorum ſpiritum tu tranſtuliſti in admirabile lumen tuum.

Iubilet tibi omnis ſancta & immaculata Virginitas: quam vna tecum ornat vnius niueæ puritatis claritas.

Iubilet tibi pro me hoc nouum canticum: quod reſonat in ore earum, quando quocunque ieris, ſequuntur te, IESV bone, Rex & ſponſe virginum.

Iubilet tibi pro me, medulla diuinitatis tuæ: adeps dulcedinis quo ſaturatur & impinguatur Hieruſalem cœleſtis: in diuini vultus tui ſplendore.

Iubilet tibi omnis electorum tuorũ exercitus pars tuæ hæreditatis, & peculiaris populus: quia ipſi tecum, & tu cum eis inæternum es eorum Deus.

Iubilent tibi omnia cœli ſydera, quæ tibi lucēt cum lætitia: & ad imperium tuum vocata, ſemper tibi aſſunt parata.

Iubilent tibi vniuerſa mirabilia opera tua: quæcunque cæli, terræ & abyſſi circumplectitur circunferentia: & laudem tibi dicant illam perpetuam: quæ à te exiens, in te ſuam refluit originem.

Iubilet ibi cor meum & anima: cum tota carnis & ſpiritus mei ſubſtantia: ex totius vniuerſitatis efficacia.

Tibi ergo, ex quo omnia, per quem omnia, in quo & propter quem omnia: & qui es





ſuper omnia: tibi inquam ſoli ſit omnis honor & gloria in ſecula. Amen.

*Sequuntur exercitia prolixiora poſt ſacram Communionem. Ad B. Mariam, ad Angelos & Sanctos, & primò, ad Beatam Mariam.*

O DOMINA mea ſancta Maria: ô Mater Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI ſuperdigniſſima, ô Virgo ſemper puriſſima, humillima & manſuetiſſima. O Angelorum Imperatrix glorioſiſſima: ô Sanctorum omnium Regina ſanctiſſima. O noſtra ſingularis mater & aduocata: poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima & benigniſſima. O Mater beatitudinum, & digniſſimum ſpiritus ſancti ſacrarium. O ſuperſanctiſſimæ Trinitatis nobiliſſimum triclinium & candidiſſimum lilium. O filia Patris, Mater filij, ſponſa ſpiritus ſancti: ô ſpeculum Angelorum, gaudium ſanctorum & gloria virginum: ô Regina cæli, porta paradiſi, Domina mundi: O ſpes veniæ, vena miſericordiæ, mater gratiæ: O refugium peccatorum, Aduocata pauperum, laus iuſtorum: Eya non ex affectu meo (quia vere indignus ſum & immundus) ſed ex affectu omnium tibi deuotorum Angelorum, & ſanctorum, & animarum purgandarum: Ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium & omnium fidelium viuorum parte: tibi in primis offero digniſſimum & prædulciſſimum cor filij tui: ex quo omne bonum in te & in omnes ſanctos effluxit: ef-

fluit & effluet ſine fine. Accipe ergo in gratiarum actionem pro tuis erga nos beneficiis. Accipe in ſupplementum bonorũ omiſſorum, & in emendationem illorum quæ cõmiſimus mala in tuo ſeruitio: accipe denique in augmentum gloriæ tuæ, & cum iubilo cordis amplectere eum, qui ab æterno te in matrem ſibi prælegit & dilexit ac exaltauit ſuper omnem puram creaturam: accipe eum qui te ab omni peccato præſeruauit, & omni gratia & benedictione repleuit: accipe quẽ tu de Spiritu ſancto, Virgo concepiſti: ſine labore in vtero geſtaſti: & ſine pudore & ſorde peperiſti: accipe quem virgineo vbere lactaſti: in templo deuotiſſimè obtuliſti: & in Ægyptum deportaſti: accipe eum, qui tecum cohabitans, tibi obediuit, ſuarúmque prædicationum & miraculorum conſciam & gaudentem fecit. Accipe eum qui te paſſionum ſuarum & meritorum conſortem noſtræque ſalutis cooperatricẽ eſſe voluit. Accipe eum qui te in ſua Reſurrectione, Aſcenſione & Spiritus ſancti miſſione mirabiliter lætificauit: Accipe eum, qui te poſt ſuam aſcenſionem, in exemplar totius ſanctitatis, & omnium fidelium conſolationem, in hoc mundo dereliquit. Accipe eum, qui abſque dolore te ex hac vita ad ſuam gloriam vocauit; & reſuſcitatam in corpore & anima ſuper omnes Angelorum ordines exaltauit. Accipe denique eum, qui te nobis dedit in ſingularem matrem & Aduocatam: atque tot & tanta beneficia per te nobis hactenus contulit & conferre non ceſſat. Suſcipe etiam oblatum à nobis ſacrificium & cætera





tera noſtræ ſeruitutis obſequia: quæ ſimul cum corde & per cor eiuſdem dilectiſſimi Filij tui tibi offerimus & commendamus: grati in te refundentes & tuis meritis ac precibus aſcribentes, ſi quid benè & deuotè egimus; & obſecrantes, vt quicquid neglegimus, ſuppleas: quicquid irreuerenter aut malè egimus, emendes & corrigas: ſi quid verò boni fecimus, per te Deo fiat placitum & conſeruetur. Obſecro etiam te vt tu pro nobis & nobiſcum laudes, benedicas & glorifices Dominum Deum ſuper inenarrabili dono & ſacramento eius: Et ſicut deſideramus oblatum laudis ſacrificium, tibi ſpecialiter cedere in augmentum gaudij & honoris: Sic obſecro, fac illud nobis & omnibus, pro quibus oblatum eſt, cedere ad omnimodam ſalutem & gloriam. Supplico inſuper, vt per virtutem oblati ſacrificij & ſumpti ſacramenti, me & omnes ſpeciales meos (præſertim afflictos, infirmos, tentatos, miſeros & mihi ſingularius commiſſos & commendatos) ex hac hora vſque in ſempiternum in maternam tuam curam & cuſtodiam; in gratiam & amorem, & in tutelam ac patrocinium cordis tui ſuſcipias: faciáſque nos in illorum ſemper eſſe numero, quos ſingulari gratia in corde habes dilectos & impignoratos: quos iugiter foues, protegis, & in omnibus iuxta beneplacitum Filij tui dirigis, honeſtas & perficis, & qui te viciſſim ſingulariter amant, colunt, imitantur, tibíque in ſpiritu & veritate fideliter ſeruiunt.

Purga & præſerua nos tua interceſſione ab

omnibus vitiis, his maximè quibus infeſtamur: orna nos tuis virtutibus, præſertim tua humilitate, caſtitate, ſobrietate, charitate, obedientia & manſuetudine. Impetra nobis Spiritu ſancti illuminationem & directionem in omnibus, votorúmque & propoſitorum noſtrorum fidelem & integram obſeruantiam; & omnium petitionum noſtrarum exauditionum, ſicut expedit ad maiorem Dei honorem animarúmque ſalutem. Ora etiam pro tentatis, lapſis, infirmis, captiuis, afflictis & in quocunque periculo conſtitutis atque pro animabus purgandis. Et hanc domum, Prouinciam & ordinem noſtrum, Regnúmque & diœceſim ſic rege & cuſtodi, vt cultus Dei & animarum ſalus, pax, puritas & ſanitas hîc ſemper vigeat, creſcat, & conſeruetur. Fac vt per tui Filij paſſionem & mortem, hîc perfectè ab omni culpa & pœna purgemur: in Filij tui & tuo ſeruitio ſemper proficiamus, & perſeueremus vſque in finem: & nunc & ſemper & maximè in hora mortis ſecurum & facilem acceſſum habeamus ad ſuauiſsimum cor Filij tui: vt inde omnem gratiam & gloriam haurire: & per illud nunc & in æterna fœlicitate tecum & cum omnibus ſanctis vnitrinum Deum laudare, benedicere, & glorificare poſsimus. Amen.

*Ad Angelos poſt Communionem.*

O MICHAEL glorioſiſsime Princeps totius Eccleſiæ, mi Pater & ſpecialis Patrone, Dux cœleſtium exercituum: debellator malorum ſpirituum: ſuſceptor ani-





marum: Eccleſiæ, poſt Chriſtum, Rector & Protector admirabilis: Cultor, Zelator & amator Virginitatis, fideliſque Cuſtos, Director, & Adiutor virginum & continentium.

O Gabriel deuotiſsime Archangele, ſponſi cæleſtis & B. Virginis paranymphe.

O Raphael medicina Dei, Dux & comes itinerantium & peregrinantium fideliſſime.

O Angele mî Cuſtos, & cæteri Angeli meorum ſpecialium cuſtodes.

O Archangele huius Monaſterij. O Archangele ordinis noſtri. O Princeps huius regni & Dominij.

O omnes & ſinguli beatorum ſpirituum Ordines.

1 Angeli. 4 Poteſtates. 7 Throni
2 Archangeli. 5 Virtutes. 8 Cherubin
3 Principatus. 6 Dñationes. 9 Et Seraphin.

ACcipite in gratiarum actionem pro veſtris erga nos beneficiis; & in ſupplementum ac emẽdationem deffectuũ noſtrorum in veſtri cultu: accipite in augmentum gaudij & glorię veſtrę, eum qui vos ab æterno prędeſtinauit & dilexit, nobiliſsimè creauit: potentiſsimè præſeruauit: magnificentiſſimè glorificauit: miſericordiſſimè in noſtræ ſalutis miniſterium deputauit: veſtráſq; ruinas de nobis in ſanguine ſuo reparauit: & per vos tot tantáq; beneficia nobis hactenus cõtulit, & adhuc quotidie conferre non ceſſat: ſuſcipite etiam vniuerſum ſeruitutis noſtræ

obſequium, & illud veſtris laudibus & exercitiis adiungentes; ſupplete, emendate, perficite, offerte: & pro nobis Dominum ſuper tanto ſacramento & dono eius laudate & glorificate: atque ſicut deſideramus oblatum ſacrificium vobis cedere ad gloriam, gaudium & iubilationem: ſic facite, vt nobis, & omnibus pro quibus eſt oblatum proficiat ad omnimodam ſalutem. Obſecro etiam vos per virtutem oblati ſacrificij & ſumpti ſacramenti: me & meos ſpeciales in veſtram ſingularem tutelam & curam ſuſcipite: purgate, illuminate, perficite: excitate, dirigite, adiuuate: protegite, ſtabilite, caſtificate: & impetrate votorum & propoſitorum noſtrorum fidelem & integram obſeruantiam: & omnium petitionũ exauditionem, ſicut fuerit ad maiorem Dei gloriam, & animarum ſalutem: communicate etiam nobis gaudiũ veſtrum, quo in Domino gaudetis: & nunc & ſemper, & maximè in hora mortis noſtræ, nos ad cor Domini IESV introducite: vt inde omnem gratiam haurire, & per illud vobiſcum Deum vnitrinum laudare poſſimus in æternum. Specialiter autem O.N.

*Hic ſpecialiter ad aliquem, vel aliquos ordines, Angelorum conuertere, prout ſunt hîc ſingulis ferijs aſſignati.*

*Dominica die, ad Angelos.*

O ANGELI noſtri cuſtodes ſingulares: accipite eum, cuius amore & præcepto, piè & paternè in omnibus nobis aſſiſtitis &





ſuccurritis; nos purgatis, illuminatis, perficitis: & in his, quæ ad ſalutem noſtram conducunt, vigilanter, ſolicitè & indefeſſe nobis miniſtratis. Eya per eum qui vos tales fecit: per eam, quæ in vobis relucet, & vbique nobis aſſiſtit, diuinam pietatem & paternam prouidentiam (cuius faciem ſemper videtis) obſecro vos impetrate nobis veſtræ cuſtodiæ ſalutarem effectum: diuinæ prouidentiæ iugem reſpectum & plenam confidentiam: humilem, reuerentem, ſimplicem, fidelem & integram obedientiam: & deuotam proximis miniſtrationẽ: quatenus veſtro exemplo, in Eccleſia Deo humiliter, deuotè & fideliter miniſtremus: & propter vnum Deum, aliis ex charitate ſeruiamus, maximè autem infirmis, tentatis & afflictis: ea quæ nouerimus, licet parua, aliis piè annunciemus: & ad Deum alios trahamus & dirigamus. Amen per virtutem ſuſcepti ſacramenti, & ſuauiſſimum cor Domini noſtri IESV CHRISTI: quod velut cyphum aureum diuino nectare plenum vobis propino & deuotus offero, vnde dulciter reficiamini. Ad quod etiam ſupplico nunc & ſemper, & maximè in hora mortis; fœliciter introduci.

*Feria ſecunda ad Archangelos & Principatus.*

O Archangeli glorioſi: accipite eum, qui vos fecit conſiliorum ſuorũ quę ad fidẽ vel cõmune bonum ſpectant conſcios & reuelatores: Sacerdotũ & Eccleſiæ Prælatorũ

rectores & conſultores: ſuperiorum proprie-tatibus communicantes; & inferioribus Angelis ſine elatione præſidentes. Eya per eum qui tales fecit vos: per eam, quæ in vobis relucet diuinam lucem, artem & exemplar: incerta & oculta diuinæ ſapientiæ arcana nobis manifeſtate: conſiliorum Chriſti ſemitas nos ſcire & obſeruare facite: & vt eas aliis diſcretè reuelemus, donate: in communione ſanctorum nos confirmate, & adiuuate, vt oratione & deuotione Deo familiarius intendamus: ſacris altaribus & diuinis ſacramentis cum digna reuerentia communicemus: pro Eccleſia & prælatis Eccleſiaſticis, ac ſacerdotibus & Clericis deuotè exoremus: & nos totos pro communi bono impendamus Sed & vos, veſtro digniſsimo officio & & miniſterio, procurate nobis idoneos Paſtores & deuotos Sacerdotes: eóſque in omnibus dirigite, protegite, honeſtate & perficite ad Dei gloriam & animarum ſalutem.

*Ad Principatus:*

ET vos cæleſtes Principatus, accipite eũ qui vos aliis ſpiritibus præfecit, vt quæ agenda ſunt ipſis diſponatis: qui ad explenda diuina miniſteria priores vos & principes conſtituit: qui per vos iura regnorum decernit, diſponit, & ea quibus vult pro ſuo arbitrio tribuit, aut tollit: potentes de ſede deponens, & humiles exaltans: Accipite primum principium & exemplar: quod ſemper imitamini, & ad ipſum omnia dirigitis & reducitis: accipite





primum principium in quo viuimus, mouemur & ſumus: & quod attingit à fine vſque ad finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuaque ad finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: quod etiam in vobis ſpecialiter relucet & præſidet: & impetrate ac facite, vt & nos primum principium exemplariter imitemur, ab eo dirigamur, & ad illud alios dirigamus: facite etiam, ſic nos in bonis ſtudiis & virtutibus proficere & excellere, atque in Dei ſeruitio priores & alacriores eſſe: vt electis quoque fratribus (ſi ad hoc Deus nos vocet & trahat obedientia) meritò principari & fructuosè præeſſe poſſimus, animarum lucris, die ac nocte vigilantes, vt cæleſtis regni gloriam tandem vobiſcum poſſideamus.

Orate etiam & vigilate pro Regis noſtri & principum huius regni, cæterorumque regum & principum Chriſtianorum ſancta directione, cuſtodia, pace, vnitate & plena reformatione. Amen. per virtutem ſumpti ſacramenti, & ſuauiſsimum cor Domini IESV, quod vobis (ô Principatus & Archangeli) deuotus offero & propino in veſtri gaudij & gloriæ augmẽtum: ad quod etiam ſupplico per vos, nunc & in hora mortis fœliciter introduci.

*Feria 3. ad Poteſtates & Virtutes.*

O Poteſtates cœleſtes, aduerſariarum poteſtatum refrenatrices: ô fortiſſimi pugnatores, & magnifici ſemper triumphatores: Accipite eum cuius crucis potentiam vbique attingentem ſumma cum dilectione & gaudio contemplamini & cum ea, ac per eam, dæmonum ac hominũ impiorum

violentiam ac temeritatem, impetum & malignum conatum quando, & ſicut opus eſt ad electorum ſalutem reprimitis:

O ordinatæ à Deo Poteſtates, gladium Dei portantes ad vindictam malorum, & laudem bonorum, quæ ordinem & dignitatem cuſtoditis & alios ordinatis: per illam æternam & incommutabilem poteſtatem, quæ in vobis relucet, & ſpecialiter præſidet: cui etiam cum omni reuerentia, tremore, humilitate & amore vos ſubiicitis: obſecro vos pugnate pro nobis: humanam noſtram fragilitatem roborate: in omni tentatione, ne in eam malè inducamur, nos protegite: hoſtes noſtros inuiſibiles & viſibiles reprimite & fugate: & facite vt & nos vobiſcum Deum reuereamur, tremamur, & ſub omnipotenti manu eius ſemper humiliemur, Ad ipſum ſemper tanquam ad aſylum & refugium tutiſſimum ſecurè recurramus, & facilem acceſſum habeamus: eique cum plena confidentia nos totos & omnia committamus & reſignemus. Ordinem & dignitatem noſtri ſtatus & vocationis cuſtodiamus, & alios ordinemus: virtute orationis & acceptæ poteſtatis, dæmones & vitia de cordibus noſtris & proximorum eijciamus, hoſtem, cum omnibus quæ ſuggerit, contemnamus, & de eo magnificè ſemper triumphemus. Orate etiam & pugnate pro noſtris ducibus & militibus ac exercitibus Chriſtianis, vt ſemper fœliciter de hoſtibus Eccleſiæ triumphent.





*Ad Virtutes.*

ET vos Virtutes cœleſtes: Accipite diuinam & incommutabilem ac omnipotentem virtutem: quæ in vobis ſpecialiter relucet & præſidet: ac per vos tanquam per operarios ſtrenuos ſigna, miracula ac magnifica opera, quando & ſicut vult ad noſtram ſalutem operatur: eorumque cauſas vobis manifeſtat: virilemque & inconcuſſam fortitudinem vobis donat: per quam ſine vlla tarditate & reſiſtentia, difficultate vel timore, ardua quæque aggredimini & perficitis. Eya per eum qui tales fecit vos, nos liberaliter & efficaciter excitate, dirigite & adiuuate ad boni operationem: fortemque & diſcretam in omni virtute exercitationem: Signorum ſpiritualium exhibitionem: & diuinorum operum magnificentiam. Amen per ſuauiſſimum Cor Domini IESV, quod vobis (ô poteſtates & virtutes propino & offero in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ. Et per vos ad illud nunc & in hora mortis introduci ſupplico.

*Feria quarta Ad Dominationes.*

O Dominationes cœleſtes: Accipite eam quæ in vobis relucet ac præſidet, diuinam maieſtatem, omnibus pro ſuo arbitrio, liberè & potenter imperantem, omnia ſibi ad nutum ſubiecta poſſidentem, & in omnibus ſemper & vbique ſui beneplaciti voluntatem implentem: Cui ſemper preſentes aſſiſtitis: eiuſque tranquilliſſimum & pleniſſimum ſuper om-

nia Dominum, cum ſummo gaudio, pace & ſecuritate contemplamini: ac per illud Angelis inferioribus, quæ debeant miniſteria implere, potenter imperatis. Accipite eum, qui vos ab omni ſeruitute liberos fecit: nullius ſeruitio egentes: ab omni hoſte ſecuros & inuincibiles: per quem nunquam vanè, ſed ordinatè, deiformiter & vtiliter dominamini: liberaliter ſeueri eſtis: nec prodigi, nec auari, nec rigoroſi, nec remiſſi. Eya per eum qui tales vos fecit, veſtras has perfectiones nobis communicate: & hoc in nobis perficite, vt diuinæ maieſtati, ſemper & vbique preſenti, nos reuerenter cum omni ſubiectione inclinemus: & pro eius gloria omnem hominem, ad eius imaginem factum reuereamur & amemus: Nos ipſos etiam, quantum poſſumus, Deo conformemus: carnem ſpiritui ſubijciamus: animum ad cæleſtia transferamus: ſicque perfectè vitiis & animo noſtro dominemur, vt ipſo iure munditiæ inter homines Dij vocari poſſimus: nec vnquam ſubditis, ſi quos habuerimus, vanè ac ſuperbè, ſed ordinatè, deiformiter & vtiliter dominemur: nec ſimus prodigi aut auari, nec rigoroſi aut remiſſi, ſed liberaliter ſeueri & benigni. Amen, per ſuauiſſimum cor Domini IESV, quod vobis deuotus propino & offero in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc & in hora mortis introduci ſupplico.

*Feria 5. ad Thronos.*

O Throni cæleſtes pacatiſſimi & firmiſſimi: accipite eum, qui in vobis





tanquam æquitas ſedet: & vos in ſe ſuauiter & ſtabiliter requieſcere facit: Accipite eum qui vos fecit ſibi familiariſſimos, eum circundantes, eiuſque conſilia de omnibus audientes. Accipite eum qui vos fecit altiſſimos in diuinorum contemplatione: vniſſimos per intellectus & affectus concordiam, capaciſſimos & paratiſſimos ſemper ad ſuſcipiendum Deum & gratioſam eius influentiam: liberaliſſimos ad communicandum alijs diuinam gratiam: Accipite eum qui tanta diuinitatis gratia vos repleuit, vt in vobis velut æquitas ſedeat: & per vos iudicia ſua decernat, atque tanquam de conſiſtorio inferiores angelos & homines doceat dignitatum & officiorum ſuorum moderamen & gubernationem iuxta diuinum beneplacitum, ad Dei honorem & vniuerſitatis ſalutem ordinare. Eya per eum qui tales vos fecit: per eam, quæ in vobis ſedet & omnia iudicat, diuinam æquitatem, magiſtram vnctionem & pacem imperturbabilem: prædictas proprietates veſtras nobis communicate: & facite vt nos ſolliciti & peruigili cura noſmetipſos diſcutiamus & diiudicemus: Diuino timori ſemper inhæreamus: Dei præſentiam ſemper & vbique ſentiamus: meditationi & lectioni ſedulò vacemus: mentis tranquillitatem poſſideamus: Deo noſtro quietiſſimam in nobis habitationem & manſionem ſemper exhibeamus: vt verè Thronus & ſedes Dei eſſe poſſimus: ſintque delitiæ Domino IESV eſſe nobiſcum: in nobis habitare & per nos aliorum: præſertim nobis cõmiſſo-

rum, facta diſcretè examinare: & cuncta rectè diſcernere & ordinare. Amen, per ſuauiſſimum cor Domini IESV quod vobis deuotus propino & offero in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc & in hora mortis introduci ſupplico.

*Feria 6. Ad Cherubin.*

O Cherubin, ſpiritus illuminatiſſimi: Accipite diuinam veritatem & pulchritudinem, quam in ipſo fonte viciniùs contemplamini, eiuſque lumen pleniùs in vobis ſuſcipitis: Accipite eum qui vos ſapientiæ & intellectus plenitudine præ cæteris oblectat, & facit deiformiter omnia videre: pulchritudinem ordinis omnium rerum cum gaudio intueri: ad Deum omnia ordinare & referre: Exemplar & formam ſecundum Deum agendi alijs exhibere: ſuſceptumque lumen cognitionis liberaliter & prudenter alijs refundere. Eya per eam, quæ in vobis relucet & reſidet diuinam veritatem, omnia nudè intuentem: profunda cordium ſcrutantem, & omnem hominem illuminantem: obſecro vos impetrate nobis claram de Deo & diuinis intelligentiam: Dei & proximi dilectionem in qua plenitudo legis conſiſtit: ſapientiæ ſalutaris aquam & refectionem: quatenus ſcientia & cognitione eminentes, Deum reuelata facie contemplemur & in eius claritatem transformemur: Atque ea, quæ ex ipſo fonte ſapientiæ hauſerimus: deuotè in ipſum refundamus per aliorum inſtru-





ctionem & illuminationem ſalutarem. Amen. Per ſuauiſſimum cor Domini IESV, quod vobis deuotus propino & offero in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc, & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Sabbato Ad Seraphin.*

O Seraphin ſpiritus ignitiſſimi: Accipite eum, ex cuius propinquitate, incomparabili arderis amore: & quò ſubtiliùs claritatem diuinitatis eius aſpicitis, eò validiùs in eius amore flammeſcitis, & alios accenditis: Eya per illam, quæ vos ſic inflammat diuinam & igniſtam charitatem, omnia, quæ fecit amantem: facite (obſecro) vt & nos ſuperna contemplationis facibus accenſi, in ſolo conditoris noſtri deſiderio anhelemus: nihil iam in hoc mundo cupiamus: terrena quæque abijciamus: cuncta temporalia mente tranſcendamus: & ſolo æternitatis amore paſcamur. Amemus & ardeamus: & in ipſo ardore noſtro ſuauiter requieſcamus, loquendo etiam alios accendamus, & quos verbo tetigerimus, ardere protinus in Dei amore faciamus: cor noſtrum in ignem verſum luceat & vrat: intuentium oculos ad ſuperna illuminans: & eos in fletibus compungendo, vitiorum rubiginem, purgans: facite etiam, vt nos toto corde tota mente, tota anima & omnibus viribus Deum diligamus, eique, qui ignis eſt æternus,

nos totos immitamus, quatenus ipſi ſimillimi facti non noſtro, ſed diuino amore ipſum amemus, & omnia propter ipſum, & in ipſo, ac per ipſum, etiam inimicos: ſic vt ab eius amore nihil nos poſſit ſeparare, imò nec impedire: ſed quò magis inimici noſtri in nos inſurrexerint, eò validiùs in amore conualeſcamus: fœliciter in nobis ardentes & alios ſuccendentes: Ita, vt ſi poſſemus, libenter omnes alios homines faceremus in Dei amore perfectos. Aliorum vitia vt propria, defleamus: non noſtram, ſed Dei gloriam in omnibus intendamus, diligamus & quæramus: eique, tandem fœliciter vniri, & in ipſum beatificè transformari poſſimus. Amen. per ſuauiſſimum cor Domini IESV, quod vobis deuotus propino & offero in augmentum veſtri gaudij & gloriæ: & ad illud per vos nunc, & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico: vt inde omnem gratiam & benedictionem haurire largiter: & per illud vnitrinum Deum vobiſcum nunc & in æternum dignè laudare & glorificare poſſimus.

*Quotidie ad Sanctos diei.*

EYa & vos Sancti huius Diei quorum memoria hoc die ſpecialiùs in Eccleſia recolitur: vel qui hodierna die, cælum intraſtis: Accipite eum per quem deuicta morte de hoſtibus triumphaſtis: & ad cuius nuptias & cœnam fœliciter introduci meruiſtis: vbi nunc & in æternum, in Deum abſorpti iubilatis, & laudes ac gratiarũ actiones ſine fine concinitis. Eya veſtris meritis & precibus impetrare, vt & nos ex veſtri imitatione, pro Dei amore hîc perfectè nos abnegemus, & reſignemus: crucem noſtram alacriter quotidie tollamus: Chriſtum Dominum in virtutibus ſequamur, & ſtatim poſt mortem vobiſcum triumphemus: Et per cor Domini IESV (quod vobis propino & offero in augmentum gloriæ veſtræ) vnitrinum Deum ſine fine laudemus & glorificemus. Amen.





*Dominica Die. Ad Patriarchas.*

O Omnes & ſinguli Patriarchæ: Adam, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid: Ioachim, Anna cum ſocijs: Accipite eum, qui ex veſtro ſemine humanam noſtram naturam aſſumere dignatus eſt; quem vos ardentiſſimè deſideraſtis: in quem fideliter credidiſtis: quem tanto tempore longanimiter expectaſtis: Cui etiam per charitatem fortiter, iuſtè, temperanter & prudenter adhæſiſtis & facite vt & nos in ipſum credamus: ipſum deſideremus & longanimiter expectemus, atque poſt ipſum toto corde die noctuque ſuſpiremus: eique per charitatem fortiter, iuſtè, temperanter & prudenter adhæreamus.

*Feria ſecunda. Ad prophetas, Sacerdotes, Reges & Iudices.*

O Prophetæ ſanctiſſimi, Moſes, Dauid, Helia: Eſaia, Hieremia, Daniel cum ſocijs: Accipite eum quem præuidiſtis & præ-

nunciaſtis: eiuſque ſecreta conſilia & myſteria audiſtis & fideliter ac diſcretè reuelaſtis: Et facite nos ſcientiam ſalutis ab eo audire, & alijs prudenter & fructuosè annuntiare.

Et vos ſacerdotes ſacri: Samuel, Phinees, Onia cum cæteris: Accipite eum quem ſub figuris adoraſtis & in ſacrificiis ſpiritualiter intellectum obtuliſtis, & impetrate, vt nos in hoc veritatis ſacramento, ipſum, non iam in figura & vmbra, ſed in ſpiritu & veritate adoremus & deuotè offeramus.

Et vos ſancti Reges & Iudices: Dauid, Ioſue, Ezechia cum cæteris: Accipite eum cuius virtute, de hoſtibus triumphaſtis, & qui vos de temporali regno ad cœleſte & æternum perduxit, ac impetrate nobis, ac regibus & ducibus noſtris de hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus triumphum: Et vt Dominus Deus ſolus in nobis regnet: noſque totos pro ſuo beneplacito regat & poſſideat. Amen, per cor eius quod vobis in augmentum gaudij propino, & ad illum per vos introduci, nunc & in hora mortis, ſupplico.

*Feria tertia Ad Apoſtolos, Euangeliſtas & Diſcipulos Domini.*

O Glorioſi Apoſtoli, Euangeliſtæ & diſcipuli Domini: Petre, Paule, Andræa, Iacobe, Ioannes, Thoma: Iacobe, Philippe, Bartholomæe: Mathæe, Simon, Thaddæe: Mathia, Barnaba, Luca, Marce, Lazare, Martialis





tialis cum cæteris: Accipite eum qui vos elegit de mundó, & Eccleſiæ ſuæ fecit primos paſtores, patres & doctores: Accipite eum qui vos non ſeruos ſed amicos ſuos vocare dignatus eſt: quem etiam ardentiſſimè amaſtis: cuius verba deuotiſſimè audiſtis, & diligenter conſeruaſtis: cui intentationibus fideliſſimè adhæſiſtis & ſemper obtéperaſtis, ac multitudines populorũ fideliter ad eũ conuertiſtis & adduxiſtis. Et impetrate, vt & nos ipſum ſuper omnia intimis medullis cordis, totaque mente & anima ac ex omnibus viribus diligamus: eius verba deuotè audiamus & conſeruemus fideliter ei vſque in finem adhæreamus & obediamus, álioſque ad eum trahamus. Donate etiam nobis omne gaudium quod cũ eodem dulciſſimo IESV Domino noſtro, familiariter conſeruando, habuiſtis, & maximè quando ab ipſo de morte ad vitam æternam vocati eſtis. Amen, per ſuauiſſimum cor eiuſdem Domini IESV, quod vobis in augmentum gaudij propino & offero: & ad illud per vos nunc & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Feria quarta Ad Sanctos Martyres.*

O Fortiſſimi & inuictiſſimi Martyres Chriſti milites: Stephane, Clemens, Sixte, Corneli, Cypriane, Laurenti, Vincenti, Ignati, Dionyſi: Fabiane, Sebaſtiane, Mauriti: Coſma Damiane, Georgi cum cæteris: Accipite eum pro cuius amore patientiſſimè, & conſtantiſſimè

tormenta ſuſtinuiſtis: corpora veſtra morti tradidiſtis, & ſanguinem veſtrum fudiſtis. Et facite vt & nos aduerſa omnia pro nomine & amore eius fortiter & conſtanter toleremus, omneſque vires noſtras in eius ſeruitio ſtrenuè expendamus: Donate etiam nobis omne gaudium, ꝙ in ſuppliciis & torm͠etis veſtris ex eius amore habuiſtis. Am͠e, per ſuauiſſimum cor eius: quod vobis propino & offero in augmentum gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Feria 5. Ad ſanctos Pontifices & Sacerdotes.*

O Sanctiſſimi & lucidiſſimi pontifices & ſacerdotes: Sylueſter, Gregori, Hieronyme: Martine, Nicolae, Hilari: Remigi, Ambroſi, Auguſtine: Hugo, Anſelme, Chryſoſtome, Baſili, Ioannes, Claudi: Honorate, Germane cum cæteris. Accipite eum, quem toties deuotiſſimè obtuliſtis, ſumpſiſtis, diſtribuiſtis, laudaſtis, exoraſtis, ac verbo ac opere coram hominibus confeſſi eſtis: alioſque illuminaſtis & ad ipſum traxiſtis: Et impetrate vt & nos deuotè ac fructuosè ipſum in hoc ſacramento offeramus, ſumamus, diſtribuamus, exoremus, laudemus, confiteamur & glorificemus, alioſque verbo & exemplo illuminemus & ad ipſum adducamus. Donate etiam nobis omne gaudium quod in ſanctis operibus, ſacrificiis, prædicationibus & miſericordiæ operibus habuiſtis. Amen, per ſuauiſſimum cor eius, quod vobis deuotus propino & offero in





in augmentum gloriæ veſtræ, & ad illud per vos nunc & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Feria 6. ad ſanctos Anachoritas & Religioſos.*

O Religioſiſſimi & deuotiſſimi Patres Anachoritæ: Paule, Antoni, Hilarion: Pachomi, Apolloni, Onophri: Arſeni, Machari, Ioannes: Abraham, Barlaam, Ioſaphat: cum ſociis.

O Sanctiſsimi Religioſorum & Monachorum inſtitutores, Patres, Abbates & Cuſtodes: Benedicte, Bruno, Bernarde: Baſili, Auguſtine, Hieronyme: Franciſce, Dominice, Cœleſtine: Franciſce de Paula, Ioannes Columbine, Norberte, Romualde cum cæteris, ac cum omnibus & ſingulis Filiis ac imitatoribus veſtris: accipite eum pro cuius amorē omnia reliquiſtis: regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contempſiſtis: parentes, patriam, amicos & animas veſtras in hoc mundo ſalubriter odio habuiſtis: eíq; ſoli vacare & quam dulcis eſt, guſtare ſtuduiſtis: cui etiam vota veſtra fideliter reddidiſtis: Eya veſtris meritis & precibus impetrate, & vt nos, veſtri imitatione, pro eius amore omnibus perfectè abrenunciemus, m͠udum cum ſuis concupiſcentiis conculcemus: parentes, amicos, & nos ipſos ſancto odio proſequamur. Ipſi ſoli vacare, placere, & ſuauitatem eius guſtare ſtudeamus: & vota ſibi promiſſa ac ſancta propoſita, fideliter & integrè reddamus, veræque religionis perfectionem

attingamus: Donate etiam nobis omne gaudium quod in obſeruantia regularis diſciplinæ, & rigore religionis habuiſtis. Amen. Per ſuauiſſimum cor Domini IESV, quod vobis deuotus propino & offero in augmentum gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Sabbatho ad ſanctas virgines & continentes.*

O Sacratiſſimæ Virgines & Continentes ſpōſæ Chriſti prælectę: Barbara, Catharina, Vrſula: Agatha, Agnes, Lucia: Cæcilia, Anaſtaſia, Blandina: Margareta, Appollonia, Eugenia: cum cæteris virginibus & Martyribus.

O Genoueſa, Gertrudis, Methildis, Katharina Senenſis, Scolaſtica, Clara, Opportuna, Euphaxia, Euſtochium cum cæteris Virginibus.

O Anna, Magdalena, Brigitta: Paula, Elizabeth, Radegundis & cæteræ continentes.

Accipite eum cui virginitatem vouiſtis, aut continentiam ſeruaſtis: quem ſponſaliter amaſtis, eíque fœlici vnione ſemper adhæſiſtis. Et impetrate vt & nos in vera mentis & corporis, caſtitate & puritate ipſi ſeruiamus: eíque tanquam ſponſo placere, vniri & adhærere ſtudeamus. Donate etiam nobis omne gaudium, quod ſpeciali prærogatiua in Chriſto ſponſo veſtro poſſidetis: iucundiſſima quadā delitioſitate præ cæteris fruentes eo, qui ſingulari ſuauitatis ſapore





vos influit. Amen per ſuauiſſimum cor eius, quod vobis propino & deuotus offero in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ: & ad illud per vos nunc & in hora mortis fœliciter introduci ſupplico.

*Quotidie ad ſingulares Patronos & omnes Sanctos.*

O Mei ſingulares Patroni amantiſſimi & obſeruandiſſimi Ioānes Baptiſta, Ioannes Euangeliſta, Ioſeph, Ioachim & Anna: Petre & Paule, Bruno, Benedicte, Bernarde, Hieronyme, Franciſce: Magdalena, Barbara, Genoueſa.

O Sancti huius diei: ô omnes & ſinguli ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes & Reges: Apoſtoli, Euangeliſtæ, Diſcipuli & Martyres: Pontifices, Sacerdotes, Anachoritæ, & Religioſi: Virgines & Continentes & omnes cum Chriſto iam glorioſe regnantes. Accipite in gratiarum actionem pro veſtris erga nos beneficiis: & ſuppletionem defectuum ac emendationem malorum in veſtri ſeruitio & veneratione per nos commiſſorum: accipite in augmentum gaudij & gloriæ veſtræ eum, qui ab æterno vos dilexit: prædeſtinauit, creauit, gubernauit: regenerauit, inſtruxit, nutriuit; iuſtificauit, vocauit, dotauit; attraxit, vniuit, inhabitauit & tandem glorificauit: ſuſcipite etiam oblatum à nobis ſacrificiū, & vniuerſum ſeruitutis noſtræ obſequium, & veſtris continuis laudibus & feruentiſſimis orationibus illud adiungentes, ſupplete

quod neglexímus: emendate quod malè egimus:perficite,quod imperfectè fecimus. Etſi quid boni actum eſt,illud cum veſtris meritis Deo offerte : & pro nobis ac nobiſcum Deo gratias agite pro inenarrabili dono & ſacramento omníque fructu eius: Et ſicut deſideramus illud cedere in augmentũ gloriæ veſtræ: ſic facite vt nobis & omnibus pro quibus tenemur & intendimus orare, proficiat ad omnimodam ſalutem. Obſecro etiã vos vt ad honorem tanti ſacramenti, me, & omnes ſpeciales meos,ex hac hora vſque in ſempiternum inter deuotos veſtros aſcribatis; purgetis,illuminetis,perficiatis;protegatis,dirigatis,adiuuetis:& impetretis omnium petitionum noſtrarum facilem exauditionem, prout ad maiorem Dei honorem, & animarum noſtrarum ſalutem expedierit: iuxta ſupremum diuini cordis beneplacitum: ad quod nunc & ſemper, & maximè in hora mortis,per vos fœliciter introduci ſupplicamus,vt per illud vnitrinum Deum vobiſcum adorare, glorificare, & benedicere in æternum poſſimus. Amen.

*Quotidie ad Dominum Ieſum.*

O VNICE,fideliſſime & certiſsime amator, Domine IESV CHRISTE Fili Dei & piiſſimæ ſemper virginis Mariæ,Deus & homo perfectiſſime. O præſentiſſime & Reuerendiſſime: intentiſſime & ſapientiſſime:promptiſſime & potentiſſime:amantiſſime & beneficentiſſime: ſuperamandiſſime





& ſupercolendiſſime Deus: Non ex affectu meo. (quia nimis tepidus & indignus ſum) ſed ex affectu gratiſſimæ,amantiſſimæ & deuotiſſimę matris tuæ,beatorum Angelorum, Patronorum meorum,ſanctorum huius diei & feriæ,omniúmque tecum iam glorificatorum:Ex mea,tuorũq; & meorum ſpecialium in hoc mundo degentium,& animarum purgandarum, ac totius vniuerſitatis parte tibi reoffero ſuauiſſimum cor tuum: & per illud te cum Patre & Spiritu ſancto trinum in perſonis & vnum in eſſentia Deum ac Dominum vniuerſorum: adoro & reuereor,laudo & glorifico:amans tibi congratulor:gratiáſque agens me totum in omne beneplacitum tuum & gratiſſimum tibi obſequium offero:pro omni bono quod es,quod habes, & quod operaris, pro omnibus nominibus & perfectionibus tuis. Pro omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute. Pro omnibus donis & beneficiis quæ tu glorioſiſſimæ matri tuæ, beatis Angelis, Patronis meis, ſanctis huius diei & feriæ, & omnibus glorificatis: Sed & mihi tuíſque & meis ſpecialibus, ac omni creaturæ vnquam contuliſti & adhuc es collaturus. Specialiter autem gratias ago tibi pro eo quod ab æterno, nos prænoſcens & omnẽ noſtrã ndignitatẽ prçuidens,nihilominùs nos amaſti:& tuæ beatitudinis participes facere decreuiſti ac prædeſtinaſti; atque propter eà nos ad imaginem & ſimilitudinem tuã,eiuſdem gloriæ tuæ capaces creaſti:cælũ inſuper & terrã,& omnia quæ in eis ſunt:ſed & ipſos Angelicos ſpiritus in noſtræ

ſalutis miniſterium & vſum benignè deputaſti & ordinaſti: & nos tibi ingratos, infideles & inobedientes non damnaſti: ſed vt ab ęternis pœnis, quas iuſtè merebamur nos redimeres: & ad tuam gratiam & gloriam nos repatares: Tu ipſe Deus noſter dignatus es verus homo fieri, & in humanitate aſſumpta extremam ignominiam, paupertatem, pœnam, triſtitiam & crucis mortem, cum virtutum omnium exemplari perfectiſſimo, ſuſtinere voluiſti: ac poſtea reſurgere, in cœlum aſcendere, Spiritum ſanctum mittere: Eccleſiam tuam Baptiſmo & cæteris ſacramentis ædificare, ac munire: & in ea Beatiſſimam matrem tuam, Patronos meos, ſanctos huius diei & feriæ, & omnes Sanctos vocare, iuſtificare, inhabitare: vnire magnificare & glorificare: téque in hoc mirabili ſacramento altaris, vere & ſubſtantialiter præſentem nobis relinquere: & à nobis ſumi & offerri in omnem deſiderabilem fructum dignatus es.

1 Gratias ago tibi pro PROPITIATIONE pleniſſima, in hoc Sacramento nobis relicta & data.
2 Pro VIATICO noſtræ peregrinationis ſufficientiſſimo.
3 Pro CORONA SPEI NOSTRAE, & diademate regni digniſſimo.
4 Pro EVCHARISTIA, omnis gratiæ fonte exuberantiſſimo.
5 Pro MANNA, omnem ſaporis dulcedinem habente.





6 Pro PANE VIVO, cœleſti & ſuperſubſtantiali, cibóque & potu veriſſimo & conuenientiſſimo.
7 Pro dono, perfecto & dato optimo: theſauróque indeficiente, & redemptione copioſiſſima.
8 Pro MEDICINA, aduerſus omnem morbum efficaciſſima & protectione tutiſſima.
9 Pro COMMVNION e vtiliſſima & ſanctificatione digniſſima.
10 Pro VITAE ROBORE, & armatura inuictiſſima.
11 Pro LVMINE, ſcientię ſalutaris.
12 Et PIGNORE, ſalutis æternæ.

*Gratias ago tibi pro Hoſtia.*

1 BENEDICTA: nos benedicente.
2 ASCRIPTA: nos in libro vitæ aſcribente.
3 RATA: nos ſtabiles & firmos faciente.
4 VIVA: nos vita gratiæ & gloriæ viuificante.
5 RATIONABILI: à beſtiali ſenſu nos exuente & rationabiles reddente.
6 ACCEPTABILI: nos gratos & acceptos Deo faciente.
7 PVRA: ab omni inquinamento peccati nos purgante.

8 SANCTA: nos omni virtute ornante & ſanctificante.
9 IMMACVLATA: ab omni immunditia & macula nos præſeruante.
10 SALVTARI: nos ſanante & ſaluante.
11 PERFECTA: noſtrum imperfectum ſupplente & perficiente.
12 Et PERPETVA: ad æternam & immortalem vitam nos perducente.

*Gratias inſuper ago tibi pro oblata*

1 HOSTIA placationis & propitiationis.
2 Pro VICTIMA expiationis & victoriæ,
3 Pro DECIMIS ſubiectionis & obedientiæ.
4 Pro PACIFICO reconciliationis & conformitatis.
5 Pro PRIMITIIS deuotæ gratitudinis & gratiarum actionis.
6 Pro SACRIFICIO laudis & ſupremæ latriæ.
7 Pro MVNERE noſtræ deuotionis, & debitæ ſeruitutis obſequio.
8 Pro HOLOCAVSTO perfectæ reſignationis & mortificationis.
9 Pro INCENSO ardentiſſimi & vnitiui amoris.
10 Et pro OBLATIONE omnigena, perfectiſſima & conſummatiſſima.

*Gratias ago tibi pro ſumpto*

1 CALICE inebriante, & carnalium obliuionem inducente,





2 SANCTIFICANTE, & tuo ſanguine nos ſanctos faciente.
3 DEIFICANTE, & nos tuæ diuinitatis participes faciente.
4 INNOVANTE, & à vetuſtate peccati nos exuente.
5 PERPETVANTE, & ad æternam vitam nos reſtaurante.
6 PACIFICANTE, & nos Deo Patri reconciliante.
7 ABSOLVENTE nos à peccatorum culpis & vinculis.
8 ILLVMINANTE nos ſcientia Sanctorum.
9 VIRGINES GERMINANTE, & caſtos nos reddente.
10 LAETIFICANTE corda noſtra ſpiritua li gaudio.
11 VNIENTE ſpiritum noſtrum cum diuino ſpiritu per veram & integram voluntatis concordiam.
12 Et BEATIFICANTE: atque ad beatitudinis tuæ æternæ conſortium nos perducente.

Denique gratias tibi ago pro omni fructu & effectu, quem virtute huius Sacramenti & ſacrificij vnquam operatus es: & adhùc operaturus es in cœlis & in terris: & maximè in deuotiſſima matre tua: Patronis meis, Sanctis huius diei, & feriæ, cæteriſque iam tecum glorificatis, ſed & in me, tuiſque & meis ſpecialibus adhùc in mundo conſtitutis, & in animabus purgandis: & quem in nobis operareris niſi obicem poneremus.

Gratias ago tibi pro eo quòd ad hoc tan-

tum ſacramentum toties hactenus, & nunc etiam, nullis meis meritis exigentibus; ſed ſola tua gratia & miſericordia me admittere dignatus es, etiam cum qualicunque fiducia & deuotione. Confiteor, laudo & ſuperexalto tuam erga me ſtupendam dignationem, miſericordiam, benignitatem & largitatem. Agnoſco, & cum quanta poſſum humilitate & contritione confiteor meam nimiam indignitatem & defectum debitę præparationis & puritatis: reuerentiæ, timoris & attentionis: deſiderij, feruoris & amoris: multiplicéſque alias negligentias & irreuerentias in huius tremēdi ſacrificij & ſacramenti oblatione & ſuſceptione per me admiſſas.

Confiteor inſuper & cum quanto poſſum pudore & dolore conqueror, meam nimiam infidelitatem, ingratitudinem, inſipientiam, inſenſibilitatem & peruerſitatem; quia videlicet tantum & tam ineffabile donum & ſacramentum (in quo tu ipſe cum tota tua humanitate & diuinitate: & cum omnibus meritis, gratiis & fructibus vitę & paſſionis tuæ, omniúmque Sanctorum, realiter & præſentialiter contineris & nobis communicaris:) tantum inquam donum:

1 A te tantæ maieſtatis Domino Deo vniuerſorum:

2 Mihi tam vili, indigno, inutili & infideli ſeruo tuo:

3 Tam gratuita, liberali, cordiali & nimia charitate:

4 In tantos támque neceſſarios & vtiles vſus & fructus:

5 Toties & cum tanta facilitate donatum & exhibitum:





6 Non dignè pondero, dijudico & ſapio:

7 Nec, vt ęquũ eſſet, recolo, ſeruo & exerceo:

8 Nec propterea te feruenter redamo, veneror, & colo:

9 Sed nec gratum tibi ſemper obſequiũ rependere ſtudeo: imò per meas extrouerſiones, ſenſualitates, loquacitates: leuitates, negligentias & innumeros defectus & exceſſus, tã citò & tã facilè me à te auerto: te offendo, inhonoro, & vilipēdo: te contēno & negligo, nec te in me operari permitto: ſed tibi ingratus, infidelis, iniurioſus, inobediēs & diſſimilis exiſtens, te irrito: & à me gratiã tuã ſæpiùs expello vel impedio: propter quæ ſi intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, in veritate tua agnoſco & confiteor, me non ſolùm omni gratia & fructu huius Sacramēti eſſe indignum: ſed etiã digniſſimũ quem tu euomas ex ore tuo, aut etiam in infernum detrudas & omni maledictione repleas. Verùm quoniam non vis mortē peccatoris, ſed conuerſionē & vitã: & quia tibi propriũ eſt miſereri ſemper & parcere: ideò cũ profunda humilitate & confidentia plena, te obſecro per eam nimiã charitatem qua tu Deus pro nobis homo fieri, pati & mori, & te in hoc Sacramento nobis pręſentē relinquere, & à nobis manducari dignatus es: vt tàm hodiernas, quàm præteritas omnes irreuerentias & negligentias, circa hoc tremendum Sacramentum & ſacrificium per nos admiſſas, cæteráq; omnia peccata noſtra nouiſſima & antiqua propria & aliena, benignus ignoſcas; oſtendas, comiungas, extrahas: abſoluas, ſanes, præſerues:

atque de infinito vitæ & paſſionis tuæ theſauro plenam ſatisfactionem Patri tuo offeras, iram eius à nobis auertas: dignáſque laudes & gratiarum actiones per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum ipſi pro nobis exoluas ſuper inenarrabili dono eius. Et ex hac hora vſque in ſempiternum nos in ſeruos fideles, in diſcipulos dociles & in familiares amicos ſuſcipias, aſcribas & confirmes. Atque quantò infirmiores & imprudentiores ac tepidiores ſumus: tantò magis per Septiformem ſpiritum, & Angelicum miniſteriū: nos in omnibus ſemper & vbique excites, dirigas, adiues: protegas, ſtabilias & perficias, ſicut expedit ad maiorem tuum honorem, & animarum ſalutem. Ah, non permittas (quæſo) nos ire in adinuentionibus noſtris, & ſecundum deſideria cordium noſtrorum: ſed ſæpi vias noſtras ſpinis, & noſtras etiam rebelles, voluntates ad te propitius conuerte: compellens nos ſemper ad te redire & tibi obedire.

Obſecro etiam te, vt omnes fructus huius tanti Sacramenti in nobis operari digneris.

EYa igitur fac, vt iuxta promiſſum & deſiderium tuum: in te 1. MANEAMVS, viuamus & operemur propter & ſecundum te,

1 …

2 Et tu in nobis MANEAS, viuas & liberè opereris:

3 Nóſque PVRGES ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.

4 MINVAS in nobis fomitem & concupiſcentiam peccati.





5 SANES à vulneribus & reliquiis peccati.

6 PRAESERVES nos à recidiuo & nouo peccato.

7 TERREAS, & à nobis procul repellas hoſtes omnes viſibiles & inuiſibiles.

8 SVPPLEAS neglecta, & Reſtaures perdita.

9 AVGEAS in nobis tua dona, gratias & virtutes.

10 ILLVMINES, nos vera tui & noſtri, tuæque voluntatis notitia.

11 ACCENDAS nos tui amore, zelo iuſtitiæ & odio noſtri ac cuiuſcunq; peccati.

12 FOECVNDES nos bonis & tibi placitis operibus.

1 CONFIRMES, & ſtabilias in bonis propoſitis & ſtudiis.

2 ROBORES nos in aduerſis ne deficiamus:

3 SATIES nos & reficias fructibus ſpiritus tui.

4 POTES nos & inebries aqua ſapientiæ & vino amoris tui:

5 IMPINGVES nos gratia deuotionis.

6 INARRES nos pignore ſpecialis benedictionis:

7 ABSORBEAS, in te, & à propria voluntate & operatione nos abſtrahas.

8 TRANSFORMES nos in te crucifixum, humilem, pauperem, patientem & obedientem.

9 VNIAS nos tibi per indiſſolubile charitatis vinculum, & veram cum tua voluntate concordiam.

10 SOPORES, & in te facias obdormire & requieſcere per contēplationis exceſſum.

11 Redimas nos & præſerues ab iracuncundiæ tuæ flagellis, & pœnis nociuis præſentibus, imminentibus & futuris.

12 Et tādem, Glorifices, tuæque beatitudinis æternæ participes nos efficias.

Denique cæteros huius ſacramenti effectus in nobis operare: & omnes petitiones cordis noſtri, & neceſſitates noſtras, tibi notas, benignè exaudi & ſubleua: iuxta paternam tuam benignitatē, & imperialem tuam opulentiam & magnificentiam, non iuxta vtilitatem & indignitatē noſtram: non ſolùm in nobis, ſed & in tuis ac noſtris ſpecialibus viuis & defunctis, pro quibus tu nos vis, aut tenemur, vel intēdimus orare (iuxta memento tecum fieri ſolitum) omnes & ſingulos huius ſacramenti effectus ſalubriter operari & applicare digneris: ſic vt in nobis, de nobis, per nos & in omnibus ſemper & vbique tua ſuperſanctiſſima, ſuperlaudabiliſſima, & ſuperdeſiderabiliſſima voluntas fiat, ad maiorem tuā gloriam & animarum ſalutem: quoniam nō deſideramus nobis viuere, ſed tibi, vtinam dignè ac perfectè. Specialiter autem tibi commendo hoc & hoc.

*Hic Deo commenda, ſi quod in præſenti negotium aut perſona, vel res occurrit: pro quibus ſpecialiùs orare intendis.*

*Ad Deum Patrem Oblatio.*

TE igitur Clementiſſime Pater: per IESVM CHRISTVM dilectum filium tuum, Dominum noſtrum: ſupplices rogamus ac petimus, vti accepta

habeas



habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia, & vniuerſa ſeruitutis noſtræ obſequia: quæ, cōmunicantes & memoriā venerantes, in primis eiuſdem filij tui vitæ, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis: & omniū quæ aſſumpſit, fecit & pertulit pro noſtra ſalute: Sed & Beatiſſimæ Mariæ virginis matris eiꝰ: beatorūq; Angelorū, Patronorū meorum, ſanctorumq; huius diei & feriæ, ac omniū tecum iam regnantiū memoriam venerantes: de tuis donis ac datis præclaræ maieſtati tuæ per ſuauiſſimum cor & ſpiritū eiuſdē dilectiſſimi filij tui obtulimus, offerimus & millies atq; millies offerre deſideramus, in amore illo, quo tu ipſum nobis donaſti, & quo ipſe ſeipſum pro nobis tibi in ara crucis obtulit, & nūc vultui tuo aſſiſtens adhuc ſe offert, & quo in miſſæ ſacrificio oblatus eſt, offertur, & offeretur, pro Eccleſia tua ſancta Catholica: Regno, Diœceſi: ꝓ hac domo tua & vniuerſo ordine noſtro: ꝓ nobis tuiſq; & noſtris ſpecialibus parētibus, patribus, prælatis, cōmiſſis, Cōfratribus, confederatis: Benefactoribus, cōmendatis, amicis: A nobis læſis, vel qui nos læſerunt, & omnibus afflictis: Deniq; pro omnibus pro quibus tu nos vis, aut tenemur vel intendimus orare: pro redemptione animarū noſtrarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis noſtræ: vt nos oēs pacificare, cuſtodire, adunare, regenere, reformare, ſtabilire. Benedicere, aſcribere, ratificare: viuos, rationabiles ac acceptabiles facere: puros, ſāctos & immaculatos cuſtodire: Et omni bn̄dictione cœleſti, & gratia replere: atq; in omnibꝰ, iuxta paterni cordis tui

bene

beneplacitum exaudire digneris. Vt fidelibus defunctis, locum refrigerij, lucis & pacis: nobiſque & illis partem aliquam & ſocietatem cum beatis angelis & ſanctis tuis tribuas: vt etiam per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo ſit tibi Deo patri omnipotenti, in vnitate ſpiritus ſancti, à nobis & ab omni creatura, omnis benedictio, claritas & ſapientia: gratiarum actio, ſalus & iubilatio: honor, virtus & fortitudo: cordiale ſeruitium, caſtus timor & ſincera dilectio per omnia ſecula ſeculorum. Denique, vt, quod præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere, efficaciter impetremus. Eya ergo, Pater noſter qui es in cælis, quia vis & ſicut vis, ſic ſanctificetur nomen tuum: Sic adueniat regnum tuum: ſic fiat voluntas tua in terra, ſicut fit in cælo: Ad hoc panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos ab omnibus malis præteritis præſentibus & futuris: Et intercedente beata & glorioſa Dei genitrice ſemper virgine Maria cum omnibus ſanctis: Da propitius pacem in diebus noſtris: vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri, Per eundem Dominum.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi. { 1 Miſerere nobis, 2 Miſerere nobis. 3 Dona nobis pacē.





In hac pace dormiam & requieſcam.

*Breuior poſt miſſam vel communionem recollectio.*

1 BOne IESV, ignoſce defectum præparationis & puritatis.
2 Remitte omnem diſtractionem irreuerentiam & culpam in huius ſacramenti ſuſceptione admiſſam.
3 Supple defectum amoris & deuotionis.
4 Suſcipe in cor tuum noſtrum obſequium & adiunge ac perfice.
5 Offer illud per cor tuum ad gloriam Trinitatis & omnium ſanctorum.
6 Refer nobis, & omnibus pro quibus tenemur omnem gratiam.
7 Gratias nobiſcum & pro nobis age Deo patri pro tanto dono.
8 Cuſtodi nos ab omni peccato & impedimento fructus huius ſacramenti.
9 Excita, & conforta nos ad omnia tibi placita.
10 Et cum forti, ſapienti, dulci & benigno amore tuo operare & perfice in nobis quæcunque ab æterno facere diſpoſuiſti ad tuam gloriam noſtramque ſalutem.

*Aliud exercitium poſt communionem abbreuiatum, quod reuerſus ab Eccleſia poteris exercere.*

BEnigniſſime IESV, in ea charitate, qua ad me venire dignatus es, Da mihi cor tuum, omnis boni contentiuum, & ſuperſanctiſſimæ Trinitatis organum dulciſſi-

mum, quod offeram B. Mariæ matris tuæ & omnibus Angelis & ſanctis, vt ex eo tanquam de cypho aureo diuino nectare pleno, poculum fœlicitatis ſumant, quo cum iubilo inebrientur: atque ex eorum affectu illud tibi reofferam, & per illud deuotas laudes & gratiarum actiones tibi reddam.

*Ad Beatam Virginem Mariam.*

EYa igitur, ô Mater Dei & Virgo, Angelorum & ſanctorum omnium Regina glorioſiſſima, noſtraque ſingularis mater, & aduocata: Accipe cor dulciſſimum prędilecti filij tui, ex quo omne bonũ in te & in omnes ſanctos effluxit, effluit & effluet ſine fine. Accipe (inquam) in gratiarum actionem pro tuis erga nos beneficiis, & in ſupplementionem bonorũ, in tuo ſancto ſeruitio à nobis omiſſorum & in emendationem malorum commiſſorum: Accipe in augmentum gloriæ tuæ, & cũ iubilo amplectere eum, qui te ab æterno in matrem ſibi prælegit, & dilexit ſuper omnem creaturam. Accipe eum qui te ab omni peccato præſeruauit & omni gratia impleuit. Accipe quem de ſpiritu ſancto cõcepiſti: ſine labore, in vtero geſtaſti, & ſine pudore, dolore & ſorde peperiſti.

Accipe quam virgineo vbere lactaſti: in templo deuotiſſimè obtuliſti, & in exilium deportaſti.

Accipe eum, qui tecum cohabitans tibi obediuit, ſuis prædicationibus & miraculis te lætificauit: ſuiſque paſſionibus cor tuum maternum gladio doloris penetrauit, & te ſalutis noſtræ cooperatricem fecit.

Accipe



Accipe eum, qui te in ſua Reſurrectione, Aſcenſione & Spiritusſancti miſſione gaudio repleuit.

Accipe eum, qui te in exemplar totius ſanctitatis in mundo reliquit: ſine dolore ad ſe vocauit: & ſuper omnes choros Angelorum glorioſè aſſumpſit.

Accipe eũ, qui te nobis dedit & aſſignauit in matrem & aduocatam: Atque tot & tanta beneficia per te nobis contulit hactenus & conferre non ceſſat.

Suſcipe etiam oblatum à nobis ſacrificium, & cætera noſtræ ſeruitutis obſequia, quæ ſimul cum corde, & per cor eiuſdem filij tui, virgineo cordi tuo offerimus & commendamus, grati in te refundentes, & tuis precibus aſcribẽtes, ſi quid in eo benè actum eſt: & obſecrantes, vt per te quicquid à nobis neglectum eſt, ſarciatur: quicquid mali aut irreuerenter actum eſt, emendetur: ſi quid verò boni factum eſt, per te Deo fiat placitum & conſeruetur.

Obſecro etiam te, vt tu pro nobis & nobiſcum reddas Domino Deo debitas laudes & gratiarum actiones ſuper inenarrabili dono & ſacramento eius. Et ſicut deſideramus oblatum ſacrificiũ tibi ſingulariter cedere in augmentum gloriæ: ſic fac illud nobis, & omnibus pro quibus tenemur & intendimus, prodeſſe ad omnimodam ſalutem. Denique obſecramus te vt ad honorem tanti ſacrificij nos, & omnes noſtros ſpeciales in maternã tuam curam, directionem & protectionẽ ſuſcipias & conſerues, & in omnibus iuxta beneplacitũ filij tui nos

dirigas

dirigas & perficias, omneſque petitiones noſtras ſalutares citiùs procures, faciaſque nos hîc perfectè ab omni culpa & pœna purgari: Et poſt mortem tecum in gloriam & fruitionem filij tui in æternum ſuſcipi. Amen.

### Ad Angelos ſanctos.

O Michael princeps Eccleſiæ, dux cæleſtium exercituum, debellator malorum ſpirituum: ſuſceptor animarum: Amator, director & protector caſtarum mentium.

O Angele mî cuſtos fideliſſime.

O Archangeli, huius monaſterij & ordinis noſtri ſpeciales directores.

O principes huic regno & dominio ſingulariter deputati.

O Gabriel deuotiſſime, Archangele: cæleſtis ſponſi paranymphe & annunciator.

O Raphael medicina Dei, peregrinantium dux & comes fideliſſime.

O omnes & ſinguli beatorum ſpirituum ordines.

| | | |
|---|---|---|
| 1 Angeli. | 4 Poteſtates. | 7 Throni |
| 2 Archangeli. | 5 Virtutes. | 8 Cherubin |
| 3 Principatus. | 6 Dñationes. | 9 Et Seraphin. |

Accipite in gratiarum actionem pro veſtris erga nos beneficiis, & in ſuppletionem noſtrarum in cultu veſtro negligentiarum & culparum.

Accipite in augmentum gloriæ veſtræ

cor



cor Domini noſtri IESV Chriſti, qui vos ab æterno dilexit & prædeſtinauit: nobiliſſimè creauit: potentiſſimè præſeruauit, benigniſſimè glorificauit: miſericordiſſimè in noſtræ ſalutis miniſterium deputauit: & per vos tot tantaque beneficia hactenus nobis contulit & adhùc quotidie conferre non ceſſat. Suſcipite etiam ſimul cum eodem corde & per idem cor Domini, vniuerſum ſeruitutis noſtræ obſequium: & illud veſtris continuis laudibus & miniſteriis adiungentes, ſupplete, emendate, perficite & offerte: Atque pro nobis Dominum ſuper inenarrabili dono & ſacramento ſuſcepto glorificate & magnificate nobiſcum. Referte etiam & impetrate nobis & omnibus pro quibus tenemur & intendimus, omnem fructum huius ſacrificij & ſacramenti, omniumque petitionum noſtrarum ſalutarium celerem exauditionem. Noſque & omnes ſpeciales noſtros, ad honorem tanti ſacramenti in veſtram tutelam ſuſcipite & retinete: & in omnibus nos excitate, dirigite & perficite, ſicut expedit ad Dei honorem, animarumque noſtrarum ſalutem: atque in hora mortis, nos hîc à culpa & pæna plenè purgatos ſuſcipite, protegite & ad conſpectum Dei glorioſum vobiſcum perducite, Amen.

### Ad ſanctos.

O Sancti huius diei, quorum ſpecialis memoria aut feſtiuitas hodie in Eccleſia recolitur. Vel qui hodierna die regnum cœleſte eſtis ingreſſi.

O ſpe

O ſpeciales Patroni mei: S. Ioannes Baptiſta. S. Ioannes Euangeliſta, Ioſeph, Ioachim & Anna, Petre & Paule: Bruno Benedicte, Bernarde, Franciſce, Magdalena, Barbara.

*Deinde aliquem chorum ſingulis diebus ſpecialiùs inuoca, hoc ordine, qui ſequitur.*

*Dominica Die.*

O S. Patriarchæ, Adam, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Ioachin & Anna cum ſocijs.

*Feria ſecunda.*

O S. Prophetæ, Sacerdotes, Reges, Duces & cæteri veteris Teſtamenti patres beati: Moſes, Elia, Eſaia, Samuel, Dauid, Ioſue, Iob, Thobia, Iudith & Eſter cum ſociis.

*Feria tertia.*

O Apoſtoli, Euangeliſtæ, & diſcipuli Domini Petre, Paule, Andrea, Iacobe, Ioannes, Thoma, Matthęe, Marce, Luca, Lazare cum ſociis.

*Feria quarta.*

O Inuictiſſimi Martyres: Stephane, Laurenti, Vincenti: Ignati, Dionyſi, Mauriti cum ſociis.

*Feria quinta.*

O Sanctiſſimi Pontifices & Sacerdotes: Sylueſter, Gregori, Hieronyme, Martine, Nicolae, Hilari, Remigi, Ambroſi, Auguſtine, cum ſociis.

*Feria ſexta.*

O Deuotiſſimi Anachoritæ, Monachi & Religioſi: Paule, Antoni, Hilarion: Be-

nedicte,



nedicte, Bruno, Bernarde: Franciſce, Dominice, Cæleſtine cum ſociis.

*Sabbato.*

O Caſtiſſimæ Chriſti ſponſæ Virgines & continentes Barbara, Catharina, Vrſula: Agatha, Agnes, Cæcilia: Margareta, Lucia, Anaſtaſia, Genoueſa, Scholaſtica, Clara: Catharina ſenenſis. Brigida, Gertrudis cum ſociabus veſtris.

*Quotidie.*

OMnes & ſinguli ſancti cum Chriſto iam regnantes: Accipite in gratiarum actionem pro veſtris in nos beneficiis, & in ſuppletionem ac emẽdationem noſtrarum, in obſequio veſtro, negligentiarum & culparum: Accipite in augmentum gloriæ veſtræ cor Domini noſtri IESV Chriſti: qui vos prædeſtinauit, creauit & gubernauit: regenerauit, illuminauit & nutriuit: iuſtificauit, vocauit, dotauit & glorificauit.

Suſcipite etiã ſimul cũ eodẽ corde, & per idem cor, vniuerſum noſtræ ſeruitutis obſequiũ, & illud veſtris laudibus & meritis adiũgẽtes, ſupplete, emẽdate, perficite & offerte: atque pro nobis Dñm ſuper inenarrabili dono & ſacramento ſuſcepto, glorificate & magnificate nobiſcum: Referte etiã & impetrate nobis & omnibus pro quibus tenemur & intendimus omnẽ huius ſacramenti fructum, & omniũ noſtrorum petitionum ſalutarium facilem exauditionem: Noſq; & noſtros ſpeciales ad honorem tanti ſacrificij in veſtram curam & patrocinium nunc & in hora mortis ſuſcipite, & ad cœleſtem gloriam vobiſcum perducite. Amen.

Ad

*Ad Dominum Ieſum.*

O Superamandiſſime & ſupercolendiſſime IESV. Ex affectu deuotiſſimæ matris tuæ: beatorum Angelorum: ſanctorum huius diei & feriæ: Patronorumque meorum, & omnium tecum regnantium: Ex mea meorumque ſpecialium & omnium electorum tuorum hîc in terra degentium, animarumque purgandarum parte; Tibi reoffero ſuauiſſimum cor tuum: & per illud te cum patre & ſpiritu ſancto trinum & vnum Deum adoro, glorifico, amanſque tibi congratulor, & gratias agens me totum in omne beneplacitum tuum offero, pro omnibus ac ſingulis beneficijs tuis prædictis ſanctis tuis & nobis collatis: Et ſpecialiter pro eo quòd ab æterno nos prænoſcens amaſti & tuæ beatitudinis participes facere propoſuiſti, ac propterea nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam eiuſdem gloriæ tuæ capaces creaſti: Cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt, atque ipſos etiam Angelicos ſpiritus in vſum noſtrum & ſalutis noſtræ miniſterium deputaſti & ordinaſti: Et vt nos per peccatum primi parentis Adæ, noſtraque actualia peccata, gratiæ & gloriæ tuæ exortes factos, à pœnis æternis rêdimeres, & ad tuam gratiam & gloriam reparares, tu Deus noſter dignatus es, noſtram humanam naturam perſonaliter aſſumendo, verus homo fieri, in ſumma humilitate, paupertate, patientia, virtutumque omnium perfectâ exercitatione hîc viuere, tandem crucifigi & mori, Reſurgere,





Aſcendere, Spiritum ſanctum mittere, téque in hoc Sacramento verè & ſubſtantialiter præſentem nobis relinquere, & à nobis offerri & ſumi.

Gratias ago tibi pro omni fructu & effectu, quem virtute huius ſacrificij & ſacramenti vnquam operatus es, & adhuc operaturus es in cœlis & in terris: & maximè in matre tua; ſanctis huius diei, patroniſque meis & omnibus, beatis, ſed & in me tuiſque & meis ſpecialibus adhuc in hoc mundo degentibus.

Gratias ago tibi quod ad huius tanti ſacramenti ſuſceptionem toties hactenùs & nunc etiam, ſola tua gratia & miſericordia me admittere dignatus es, licet tepidum & indignum. Et in eadem charitate (obſecro) ignoſce, ſupple & tege omnem defectum præparationis, puritatis, reuerentiæ & deuotionis, amoris & feruoris, omnéſque negligentias & culpas in huius tremendi ſacrificij oblatione & Sacramenti ſuſceptione per me commiſſas. Et fac vt nos omnes dignè ponderemus & ſapiamus, deuotè recolamus & grati agnoſcamus & magnificemus tantum & tam ineffabile donum: in quo tu ipſe cum tota tua humanitate & diuinitate & omnibus gratiis, virtutibus & meritis vitæ & paſſionis tuæ, realiter & verè contineris.

Et quod tu Deus & Dominus vniuerſorum, immenſæ prorſus maieſtatis, nobis tam vilibus, infidelibus, indignis & inutilibus ſeruis tuis: tam gratuita, liberali & nimia charitate, in tantos támque neceſſarios & vtiles fructus; toties & cum tanta facilitate

nobis donas & communicas.

Fac vt te propterea feruenter, continuè & efficaciter amemus, veneremur, glorificemus, & ex amore tibi ſeruiamus, tuámque beneplacentem volũtatem in omnibus ſemper & vbique impleamus.

Ah Domine Clementiſſime, non permittas nos per noſtras negligentias, leuitates, extrouerſiones, infidelitates & inobedientias impedire in nobis fructus tanti ſacramenti, & te rurſus offendere, irritare, & à nobis quodãmodo expellere: ſicut hactenus (heu) ſæpius fecimus, pro quo dolemus, & veniam humiliter & confidenter petimus, & obſecramus vt præterita omnia peccata noſtra, tua charitate, tuíſque paſſionibus & meritis cooperias, deleas & plenè remittas, faciáſque nos de cætero cautiores, timoratiores & ad obediendum tibi in omnibus feruentiores. Denique obſecramus te, vt omnes & ſingulos fructus huius tanti ſacramenti efficaciter in nobis, tuíſque & noſtris ſpecialibus operari & applicare digneris. Eya igitur fac, vt nos ſemper.

1 Maneamus in te, & tu in nobis.
2 Viuamus propter te, per te, & ſecundum te.
3 Purga nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.
4 Minue in nobis fomitem & concupiſcentiam peccati.
5 Sana nos à vulneribus & reliquiis peccatorum noſtrorum.
6 Præſerua nos à recidiuo, & nouo peccato.
7 Terre & reprime omnes hoſtes noſtros, ne



ne noſtræ ſaluti & profectui noceant:
8 Reſtaura perdita, & ſupple neglecta.
9 Auge & multiplica in nobis tua dona & gratias.
10 Illumina nos cognitione tui, tuæque voluntatis.
11 Accende nos tuo amore, zelo iuſtitiæ & odio noſtri omníſque peccati.
12 Fœcunda nos bonis & tibi placitis operibus & exercitiis.
1 Confirma in bonis propoſitis & ſtudiis.
2 Robora & conforta in aduerſis perferẽdis.
3 Satia & refice nos fructibus & donis ſpiritus tui.
3 Inebria nos vino tui feruentis amoris.
5 Impingua nos gratia deuotionis.
6 Sopora & obdormire facias nos in te per contemplationis exceſſum.
7 Transforma nos in te crucifixum, conformando nos tibi in humilitate, paupertate & patientia.
8 Vni nos tibi per indiſſolubile charitatis vinculum
9 Inarra nos pignore ſpecialis gratiæ & benedictionis.
10 Redime nos à pœnis iræ tuæ præſentibus & futuris.
11 Glorifica nos, & tuæ beatitudinis fac tandem participes.
12 Cateróſque infinitos huius ſacramenti effectus in nobis & in omnibus pro quibus nos vis, aut tenemur vel intendimus orare, abundanter operare, omnéſque petitiones noſtras ſalutares benignè exaudi, ac neceſſitates ſpirituales & corporales noſtras tibi notas liberaliter ſubleua

iuxta paternæ tuæ volũtatis ſapientiſſimam diſpoſitionem, tuámque imperialem opulentiam, liberalitatem & magnificentiam: non iuxta vilitatem, tepiditatem & indignitatem noſtram: ad tuam ſanctorúmque tuorum gloriam & Iubilum, noſtrámque & omnium ſalutem. Amen.

*Præfatum exercitium poſt Miſſam vel Communionem adhuc breuiùs comprehenſum pro his quibus non vacat aut libet prolixiora legere.*

BENIGNISSIME IESV in amore quo dignatus es à nobis in hoc Sacramento ſuſcipi, da nobis cor tuum omnis boni contentiuum, quod offeramus matri tuæ & omnibus ſanctis in augmentum gaudij eorum, & ex eorum affectu per illud te laudemus & tibi gratias agamus.

O Mater Dei & virgo accipe in primis & cum iubilo amplectere cor dilectiſſimi filij tui, qui dignatus eſt ex te incarnari, geſtari, naſci, lactari, amplexari & foueri: tibíque cohabitare & obedire, ac te paſſionum ſuarum & gaudiorum participem, noſtræque ſalutis cooperatricem facere: tandémq; ſuſuper omnes Angelos aſſumere, & in matrem & Aduocatam fideliſſimam te nobis dare & aſſignare. Suſcipe etiam per idem cor Filij tui vniuerſum noſtræ ſeruitutis obſequium, & tuis meritis, illud adiungens, ſupple emenda, perfice & offer. Gratiáſque nobiſcum age pro tanto ſacrificio & ſacramẽto, & omnes eius fructus nobis & noſtris





omnibus impetra nunc & ſemper & maximè in hora mortis noſtræ: quam ſingulariter commendamus tuæ maternæ protectioni & ſuſceptioni.

*Ad Angelos.*

O MICHAEL Princeps Eccleſiæ. O Gabriel cœleſtis ſpõſi paranymphe. O Raphael medice & peregrinantium dux fideliſſime.

O Angele mi cuſtos ſpecialis.

O Archangeli huius Monaſterij & Ordinis noſtri.

O Principes huius regni & Dominij.

O omnes & ſinguli beatorum Spirituum ordines.

| | | |
|---|---|---|
| 1 Angeli. | 4 Poteſtates. | 7 Throni. |
| 2 Archangeli. | 5 Virtutes. | 8 Cherubin |
| 3 Principatus. | 6 Dominationes. | 9 Seraphin. |

Accipite cor Domini IESV, qui vos prædeſtinauit, creauit, confirmauit, glorificauit, & in noſtræ ſalutis miniſterium deputauit: & per vos infinita beneficia nobis contulit & conferre non ceſſat. Suſcipite etiam per idem cor Domini, noſtrę ſeruitutis obſequia & veſtris adiungentes, ſupplete, emendate, perficite & offerte, gratiáſq; nobiſcum agite pro oblato ſacrificio & ſumpto ſacramento, ac omnes eius fructus nobis & noſtris omnibus impetrate: nunc & in hora exitus noſtri, in qua nos ſuſcipite, protegite, & ad regnum gloriæ vobiſcum perducite.

*Ad Sanctos.*

O SANCTI huius diei. O Beate Ioannes Baptiſta & cæteri mei ſpeciales

Patroni. O omnes ac ſinguli Sanctorum chori & ordines.

| | | |
|---|---|---|
| 1 Patriarchæ. | 4 Apoſtoli. | 7 Põtifices. |
| 2 Prophetæ. | 5 Euãgeliſtæ | 8 Religioſi. |
| 3 Reges & Iudices. | 6 Martyres. | 9 Virgines. & Cõtinẽtes. |

O omnes & ſinguli electi iam cum Chriſto regnantes. Accipite cum iubilo cor eius qui vos benigniſſime.

| | | |
|---|---|---|
| 1 Prædeſtinauit. | 4 Regenerauit. | 7 Iuſtificauit. |
| 2 Creauit. | 5 Illuminauit | 8 Vocauit. |
| 3 Gubernauit | 6 Nutriuit. | 9 Dotauit. |

10 Et glorificauit, ac per vos innumera bona nobis contulit & conferre non ceſſat.

Suſcipite etiam per idem cor Domini noſtra obſequia & veſtris meritis ea adiungentes ſupplete, perficite & offerte, ac nobiſcum gratias agite pro oblato ſacrificio & ſumpto Sacramento, eiúſque fructus omnes nobis & noſtris omnibus impetrate, nunc & in hora mortis noſtræ: in qua nobis aſtate, nóſque protegite & ad regnum vobiſcum perducite.

*Ad Ieſum.*

EYa Superamandiſſime IESV tibi nunc ex affectu matris tuæ, Angelorum, ſanctorum huius diei, Patronorum meorum & omniũ Beatorum reoffero dulciſſimum cor tuum, & per illud gratias ago pro omnibus beneficiis à te prædictis ſanctis & nobis vnquam collatis & conferendis, maximè huius ſacrificij & ſacramenti virtute & merito: ad quod nos, licet indignos toties hactenus &





etiam nunc admittere dignatus es. Téque ſupplex obſecro, vt omnes defectus, negligentias, irreuerentias & culpas à nobis in hoc admiſſas ignoſcas & tua charitate cooperias, déſque nobis tam ineffabile donum dignè ponderare, deuotè recolere, ſolicitè ſeruare, ac per illud in tui amore & virtutum tuarum imitatione, noſtríque odio & abnegatione, ac crucis noſtræ quotidiana poſt te baiulatione, de die in diem proficere, & vſque in finem perſeuerare: omnéſque huius tanti ſacramenti fructus & effectus in nobis & omnibus pro quibus tu nos vis, aut tenemur, vel intendimus orare clementer operare, atque omnes petitiones noſtras ſalutares benignè exaudi iuxta paternam tuam bonitatem & imperialem magnificentiam. Amen.

## *QVAEDAM SVB MISSA conuentuali exercitia, ab aſſiſtentibus frequentanda eo tempore quo nihil cantatur.*

### CAPITVLVM OCTAVVM.

DVM aſſiſtis Miſſæ (ô Religioſe quilibet deuote) teneris omnia quę ab alio choro, & à ſolo ſacerdote vel diacono aut ſubdiacono cantantur attẽtè audire, & ex his conari deuotos affectus elicere. Si tamen tenes memoriter collectas & orationes quæ ante Epiſtolam & poſt cõmunionem à Sacerdote cãtantur: poteris eas breuiter apud te in ſilentio dicere, vt poſtea aliud aliquid deuotum illis ſuperaddas.

*Finito ſeu cantato Offertorio, interim dum Sacerdos offert ſacrificium & ſecretas dicit, quilibet aſsiſtens poteſt apud ſe mente, vel ore dicere quod ſequitur.*

IN Spiritu humilitatis,& in animo,vtinam verè cõtrito & reſignato, ſuſcipiamur à te ô Pater miſericordiarum ſimul cum dilecto Filio tuo ad omnia tam aduerſa, quàm proſpera,iuxta paterni cordis tui beneplacitum, & ſic fiat ſacrificium noſtrum vt ſuſcipiatur à te hodie, & placeat tibi Domine Deus Creator,Redemptor & Glorificator.

Eya ergo clemantiſſime Pater ſuſcipe IESVM dilectiſſimum Filium tuum, & omnia merita incarnationis,vitæ,paſſionis & reſurrectionis eius, necnon B.Mariæ matris eius & omnium Angelorum & Sanctorum,&nos pariter cum omnibus bonis quæ operatus es in nobis:In hoſtiam victimam,decimas: pacificum,primitias,Sacrificiũ: munus, holocauſtum & incenſum:ad tuam & omnium Sanctorum gloriam, noſtrámq; & omnium ſalutem, & petitionum noſtrarum efficacem exauditionem.

*Si hoc dicto tempus ſupereſt ante præfationem, poteris dicere ſub ſilentio collectas, quæ fuerunt in initio miſſæ à Sacerdote dictæ,vel aliquam partem earum:aut certas alias petitiones addere.*

*Cantato (Benedictus qui venit Oſanna in excelſis) ſtatim cogita, aut dic quod ſequitur,vſque poſt eleuationem ſacri corporis.*





EYA ergò Clementiſſime Pater,ſuſcipe IESVM dilectum Filium tuum,in quo tibi ſemper benè complacuiſti & in cuius nomine nos ſemper exaudis:ſuſcipe inquam illum ex voluntate tua cooperante Spiritu ſancto,pro nobis incarnatum,geſtatum,natum:circumciſum,à Magis adoratum, & in templo præſentatum: fugatũ in Ægyptum, reuerſum & Mariæ cohabitantem ac obedientem:baptizatum, ieiunio attenuatum, & tentatum:vocantem diſcipulos, Euangelizantem, & miracula facientem: peccatores iuſtificantem, ſanantem infirmos: incommoda & perſecutiones patientem:virtutum perfectiſſima exempla exhibentem, prædicentem ſuam paſſionem, & transfiguratum: venditum, abſcedentem à matre, cœnantem, lauantem pedes Apoſtolorum, gratias agentem: conſecrantem panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem,diſtribuentem,& hoc in ſui memoriam nos facere præcipientem.

Suſcipe eum contriſtatum vſque ad mortem, tertiò orantem, agonizantem & ſanguinem ſudantem: occurrentem hoſtibus, oſculatum à Iuda & captiuatum,circumductum ad varios præſides, accuſatum & damnatum: illuſum, conſputum & afflictum: flagellatum, ſpinis coronatum, exhibitum populo & ad crucem poſtulatum:adiudicatum morti; cruce propria oneratum, & ſub ipſa corruentem:in cruce confixum, diſtentum,eleuatum, verè humilem, pauperẽ, mitem,obedientem,lugentem,eſurientem,miſericordem,mundicordem,pacificum & vn-

diique afflictum: pro inimicis orantem, latronis miſerãtem, matri compatientem & eam commendantem, derelictum, ſitientem, guſtantem fel, conſummãtem, ſpiritum in manus tuas commendantem & expirantem, & nunc vultui tuo aſſiſtentem & pro nobis interpellantem; exaudi nos Domine, placare Domine, attende & fac ne moreris propter hunc dilectum filium tuum impartiri miſericordiam tuam multam & magnam & omnium precum exauditionem,

*Si non potes hæc omnia ante finem eleuationis corporis Domini cogitare, ſaltem dic quod ſequitur.*

EYa clementiſſime Pater ſuſcipe Ieſum dilectum Filium tuum, pro nobis incarnatum, natum, ſanctiſſimè conuerſatum, in vltima cœna panem & vinum in ſuum corpus & ſanguinem conuertentem, diſcipulis dantem, & hoc in ſui memoriam fieri præcipientem: ſuſcipe eum contriſtatum, captum, ligatum, afflictum, flagellatum, ſpinis coronatum, cruce oneratum, cruci affixum & in cruce eleuatum, vere humilẽ, Pauperem, &c. vt hîc ſupra.

*Aut etiam, ſi iſta ſunt prolixiora, dic ſaltem dum hoſtia eleuatur.*

CLEMENTISSIME Pater ſuſcipe IESVM dilectum filium in cruce exaltatum, verè humilem, pauperem, &c. quæ ſequuntur.





*Deinde adorata ſacra Hoſtia, te, iuxta morem Carthuſianum, proſternens incipe exercitium ſequens pro conformitate paſſionis, & proſequere illud vſque ad ſecundum Agnus Dei, quod poſt ſecundam proſtrationem cantatur.*

*EXERCITIVM PRO GRATIARVM actione & conformitate paſſionis Domini, quod ſub Miſſa conuentuali, quando nil canitur: aut ſub Miſſis priuatis, vel poſt eas in cella, aut quando vacabit, exerceri poterit.*

O VNICE, Fideliſſime & certiſſime amator Domine IESV CHRISTE Fili Dei viui & ſemper virginis Mariæ, Deus & homo perfectiſſime. O Superreuerendiſſime, ſuperamandiſſime & ſupercolendiſſime Domine Deus.

Qua vis & ſicut vis ad tuam & Sanctorum gloriam, meámque & omnium ſalutem: non ex affectu meo (quia nimis tepidus, durus & indeuotus ſum) ſed ex affectu, compaſſione & deuotione amantiſſimæ & piiſſimæ Matris tuæ, beatorum Angelorum, Patronorum meorum, Sanctorum huius diei, & omnium beatorum: ex mea, tuorúmque & meorum qui in hoc mundo ſunt, ſpecialium, & animarum purgandarum, omniúmque fidelium parte: per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum, te cum Patre & Spiritu ſancto trinum in perſonis & vnum in eſſentia Deum ac Dominũ

vniuerſorum adoro & reuereor: laudo & glorifico: amans tibi congratulor: Gratiáſque agens, me totum tibi in omne beneplacitum tuum offero, pro omnibus, quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute.

Et ſpecialiter gratias ago tibi IESV CHRISTE, pro eo quòd ex voluntate patris, cooperante Spiritu ſancto, tu Deus creator & conſeruator omnium ſuperreuerendiſſimus, ſuperdigniſſimus & ſuperhonorandiſſimus, pro nobis viliſſimis & indigniſſimis tuis creaturis voluiſti humiliari, vilipendi & irrideri.

Tu homo omnium hominum nobiliſſimus, pulcherrimus, innocentiſſimus; tenerrimus, manſuetiſſimus & amabiliſſimus; pro nobis ſceleratiſſimis, turpiſſimis & odio digniſſimis peccatoribus, voluiſti crudeliſſima tormenta pati.

Tu amator beneuolentiſſimus, beneficentiſſimus & fideliſſimus, pro nobis ingratiſſimis, inobedientibus & infideliſſimis, voluiſti inhumaniſſimè & indigniſſimè tractari.

*Quæ ſequuntur per ſingulos hebdomadæ dies diuidi hoc modo poterunt.*

*Dominica.*

TV PATER piiſſimus, pro filiis prodigis, voluiſti humiliari, & tanquam vitulus ſaginatus occidi.





*Feria ſecunda.*

TV Iudex ſupremus, pro criminoſis reis, voluiſti morti crucis adiudicari.

Tu Rex perrennis gloriæ, pro nobis exulibus, voluiſti exulare & pati noſtri exilij incommoda.

*Feria tertia.*

TV Dominus ſupremus, pro ſeruis nequiſſimis voluiſti ſeruire, & animam tuam in redemptionem noſtram tradere.

Tu Præceptor & magiſter optimus, pro diſcipulis diſcolis & indocilibus voluiſti caſtigari & flagellari.

*Feriæ quarta.*

TV Paſtor bonus, pro ouibus errantibus voluiſti eſurire, laborare, & animam tuam ponere.

Tu Imperator ſummus & dux inuictiſſimus pro militibus tuis ignauis & profugis, voluiſti pugnare, vulnerari & mori.

*Feria quinta.*

TV Creditor liberaliſſimus, pro debitoribus tuis voluiſti ſatisfacere & pœnas ſoluere.

Tu ſummus Sacerdos & pontifex, pro ingrata plebe tua voluiſti immolari & in cruce mori.

*Feria ſexta.*

TV Protector & Medicus pro obſeſſis & ægrotis, voluiſti obſideri & infirmari ac vndique vulnerari.

Tu Caput noſtrum digniſſimum, pro indigniſſimis tuis membris voluiſti ſpinis coronari & affligi.

*Sabbato.*

TV Liberator & ſaluator, pro captiuis & perditis, voluiſti ligari, captiuari, clauis configi & vitam perdere.

Tu ſponſus nobiliſſimus & caſtiſſimus, pro viliſſimis & immundiſſimis adulteris, voluiſti ignominioſiſſimè nudari & crucifigi crudeliſſimè, ac mori.

*Quotidie.*

TV Denique Deus & homo ſuperdigniſſimus, pro nobis homunculis omni beneficio tuo indigniſſimis: Ex charitate prorſus gratuita, nimia, exceſſiua & infinita ac perpetua dignatus es pati.

*Sequuntur capita ſeu genera eorum quæ paſſus eſt Dominus etiam per ferias diuidenda.*

*Dominica.*

VIlipenſiones, contemptus, opprobria, ludibria, contumelias, diffamationes & Blaſphemias.

*Feria ſecunda.*

PEnurias, extremam paupertatem & nuditatem, iniuſta iudicia: Huius exilij pœnalitates, labores & incommoditates & miſerias.

*Feria tertia.*

SVmmam ſeruitutem, ſubiectionem, miniſteria & abnegationem propriæ commoditatis.





Lateris perfoſſionem, contritiones cordis, triſtitias, compaſſiones & internas preſſuras.

*Feria quarta.*

FLagella, cruciatus, vulnera, crucis baiulationem, eſuriem & ſitim:

*Feria quinta.*

OMnium veſtium & bonorum ſpoliationem & direptionem, Proprijque ſanguinis totalem effuſionem.

*Feria ſexta.*

SPineæ coronationis cruciatus & vulnera, faciei conſputionem, velationem & percuſſionem, ſenſuumque omnium afflictionem.

*Sabbato.*

VIncula, captiuitatem, crucifixionem, mortis agonias, ſepulturam.

*Sequuntur virtutes, quas Chriſtus patiens in ſe expreſsit, quæ etiam per ferias diuiſæ ſunt.*

*Dominica.*

CVm ſumma humilitate, reuerentia & timore filiali, Taciturnitate, verecundia & modeſtia.

*Feria ſecunda.*

CVm ſumma paupertate ſpiritus, ſobrietate, caſtitate, pietate in Deum & deuotione.

Cum ſumma auſteritate, patientia, manſuetudine, pietate in proximos & benignitate.

*Feria tertia.*

CVm ſumma charitate & dilectione Dei & proximi, intentione deiformi, Abnegatione tui & obedientia. Cum ſcientia, luctu pro peccatis, compaſſione & oratione.

*Feria quarta.*

CVm eſurie iuſtitiæ ſtrenuitate & vigilantia:

Cum diligentia, deuotione & feruore:

Cum zelo, & ſeueritate, benignitate & diſcretione:

Cum magnanimitate, fortitudine & conſtantia.

*Feria quinta*

CVm miſericordia, veritate & innocentia.

Cum iuſtitia perfecta, gratitudine & liberalitate.

*Feria ſexta.*

CVm temperantia, ſenſuum continentia & puritate.

Cum cordis munditia, ſpiritus eleuatione & continua contemplatione.

*Sabbato.*

CVm prudentia, ſapientia & eloquentia.

Cum ſimplicitate, pudicitia & pace.

Cum pacificatione.

*Quotidie.*

ET cum virtutum cæterarum perfecta exercitatione, vt purgares, ſanares & præſeruares nos à contrariis vitiis, videlicet:





*Sequuntur vitia noſtra, prædictis virtutibus contraria, pro quibus diluendis paſſus eſt Chriſtus, quæ ſimiliter ſunt per ferias diuiſa.*

*Dominica.*

ABomni ſuperbia, irreuerentia, vana ſecuritate & timoris tui neglectu: A iactantia & loquacitate, inuerecundia, impudentia, præſumptione & arrogantia.

*Feria ſecunda.*

AB omni concupiſcentia oculorum, cupiditate, proprietate & ſuperfluitate. A Gula, immunditia, & indeuotione. A voluptate & delectatione ſuperflua & impatientia. Ab ira, furore, impietate & malignitate.

*Feria tertia.*

AB odio & contemptu Dei, Amore priuato & inordinato: Ab odio proximi & inuidia. A proprio ſenſu & voluptate. Ab intentione minus recta & inobedientia. A cordis cæcitate & duritia. Ab inepta lætitia, ab incompaſſione, & orandi negligentia & indeuotione.

*Feria quarta.*

A Contemptu & faſtidio iuſtitiæ, A pigritia, torpore, ſomnolentia & negligẽtia: Ab Acedia, tædio boni & tepore: A remiſſione & nimia indulgentia: Ab indiſcreta ſeueritate: A puſillanimitate ſpiritus & diffidentia. Ab infirmitate, inconſtantia & inſtabilitate.

*Feria quinta*

AB immiſericordia, mendacio, dolo & nequitia, ab iniuſtitia, ingratitudine & illiberalitate.

*Feria ſexta.*

AB intemperantia & ſenſuum diſſolutione & abuſu: A cordis immunditia & ſpiritus depreſſione contemplationiſque neglectu.

*Sabbato.*

AB Imprudentia, inſipientia, indiſcreta & mala locutione: A duplicitate, multiplicitate, impudicitia & perturbatione: A diſcordia, contentione & ſuſurratione.

*Quotidie.*

A Cæteris vitiis & peccatis: ſicque Deum patrem tuum, prædictis noſtris vitiis inhonoratum, offenſum & irritatum, pro nobis honorares, placares, & iram eius, quam merebamur, auerteres, noſque redimeres à pœnis infernalibus & æternis, ſcilicet.

*Sequuntur pœnæ Inferni per ferias diuiſæ.*

*Dominica.*

AB affectu perpetuo ſuperbiæ & propriæ exaltationis & honoris, ac continua confuſione, opprobriis & inſultationibus à dæmonibus illatis: Ab irriſione & ſubſannatione à Deo & ſanctis inflicta.

*Feria ſecunda.*

AB inſatiabili cupiditate habẽdi & Gulæ ac luxuriæ ſatisfaciendi: & à perpetua penuria omnimoda, ab eſurie & ſiti continua & pœnali confuſione: A continuis

pœnis



pœnis & ſpiritu procellarum, ſummaque impatientia, ira & furore.

*Feria tertia.*

A Perpetuo odio Dei & proximi: A voluntate dominandi & perpetua ſeruitute & ſubiectione dæmonibus crudeliſſimis Dominis prorſus coacta & miſerrima. A voluntate peccandi continua & eiuſdem prohibitione & punitione: Ab inuidia & triſtitia de Dei & ſanctorum fœlicitate. A deſperatione omnis ſolatij, & liberationis ac exauditionis continuoque verme conſcientiæ.

*Feria quarta.*

AB Acedia & faſtidio omnis boni Deo placiti. A frigore nimio, fame & ſiti, A ponderoſitate: flagellis & cruciatibus intolerabilibus & paſſibilitate ſumma, & carentia ſomni & quietis.

*Feria quinta.*

AB immiſericordiæ & iniuſtitiæ affectu continuo, & miſericordiæ conſequendæ deſperatione: Ab igne gehennæ inextinguibili & intolerabili: A continua maledictione & blaſphemia in Deum & ſanctos ac proximos.

*Feria ſexta.*

A Generali & continua ſenſuum omniũ afflictione: A tenebris interioribus & exterioribus: A viſu dæmonũ, à cordis immũditia, & carẽtia viſionis diuinæ perpetua.

*Sabbato.*

A Carcere & fœtore horribili & ꝑpetuo: A captiuitate ſub dæmonib⁹ duriſſima. A ſocietate damnatorũ ꝑplena diſcordię. A

pertur-

perturbatione mentis cõtinua: A morte perpetua per ſeparationem à Deo, Et vita ſine fine miſerrima, continuiſque & infinitis ac intolerabilibus tormentis, abſque vlla ſpe refrigerij vel liberationis.

*Quotidie.*

CÆteriſque, infernalibus pœnis : Et tandem faceres nos tecum beatiſſima Matre tua, Angeliſque, & ſanctis omnibus participes præmiorum æterne gloriæ.) Scilicet.

*Sequuntur præmia paradiſi per ferias diſtincta.*

*Dominica.*

AEterni honoris, gloriæ & dignitatis, ac exaltationis filiis Dei & humilibus repromiſsæ.

*Feria ſecunda.*

REgni tui cæleſtis, ſufficientiæ & opulentiæ pleniſſimæ, refectionis ſuauiſſimæ, & puritatis Angelicæ: ſecuræ poſſeſſionis terræ viuentium : & proprij corporis & animæ pacificæ coniunctionis.

*Feria tertia.*

PErfectiſſimæ ac ſuauiſſimæ charitatis Dei & proximi: pleni Dominij, & voluntatis impletionis iucundiſſimæ: ſerenitatis & pacis, puræ conſcientiæ: lætitiæ perpetuæ & iubilationis: congratulationis de bono omnium ſanctorum, & perfectæ exauditionis omnium orationum & deſideriorum.

*Feria*



*Feria quarta.*

SAtietatis & ebrietatis perpetuæ ſine faſtidio & inhoneſtate: ſubtilitatis & agilitatis corporis : impaſſibilitatis, ſanitatis & ſuauitatis omnium membrorum, & Triumphi de hoſtibus.

*Feria quinta.*

MIſericordiæ pleniſſimæ, & ſupereffluentis retributionis, ſecuræ tentionis & adhæſionis ac Adorationis ſuperſanctiſſimæ Trinitatis & tuæ glorioſæ humanitatis, Gratiarumque actionis ac laudis continuæ.

*Feria ſexta.*

OMnium ſenſuum glorificationis : Claræ Dei viſionis & cõtemplationis, perpetuæ claritatis.

*Sabbato.*

PLeniſſimæ ac ſecuriſſimæ libertatis & pacis, beatificæ fruitionis Dei, communionis & ſocietatis delitioſiſſimæ, ſanctorum omnium : & vitæ æternæ ac omnimodę beatitudinis.

*Quotidie.*

SI tamen nunc ſtuduerimus te amare: tuique amore crucem noſtram poſt te ferre, & tuas virtutes imitari.

Et nunc Domine Deus, quia vis, & ſicut vis, propter te, & deſiderio beneplacitum tuum implendi, deſideramus te amare : tuique amore & imitatione libenter pati quamcunque conſulueris, aut volueris, confuſionem, penuriam & pœnam : ſubiectionem, triſtitiam & cruciatum : bonorum ſpoliationem, ſenſuum afflictionem, captiuitatem

& mor

& mort. Teque imitari in humilitate, paupertate & māſuetudine: in obedientia, luctu, & eſurie iuſtitiæ: in miſericordia, cordis mūditia, & pacificatione, & cæteris virtutibus.

Sed quia ſine tua gratia nihil poſſumus, obſecramus te, vt per eam charitatem nimiam, qua tu tantus ac talis, pro tantillis tamque indignis, tot & tam pœnoſa: cum tanta virtutum perfectione, propter tam immenſos fructus ſubire & pati dignatus es: eadem nunc & ſemper, & maximè in hora noſtræ mortis, patri tuo offerre, digneris in omnigenam hoſtiam, pro nobis & pro quibus tu vis, aut tenemur, vel intendimus, & pro omnibus ſalutaribus petitionibus noſtris ſimul cum ſacra oblatione corporis tui, quæ per totum mundum quotidie offertur: & cum omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro nobis: & quæ operatus es & adhuc operaturus es in beatiſſima matre tua, beatis Angelis, patronis meis, ſanctis huius diei: & omnibus beatis: atque etiam in nobis tuiſque & noſtris omnibus adhuc viuentibus: & in animabus purgandis: ſicque patrem tuum pro nobis omnibus pleniſſimè honora: iram eius à nobis auerte: gratiam & amicitiam eius nobis reſtitue & ad amorem tuum ſincerum & feruentem nos excita & reſtaura. Eya ergo ignem tui diuini amoris, quem veniſti mittere in terram, & in cordibus electorum vehementiſſimè accendiſti, & in nobis ardere deſideras: quia vis, & ſicut ſcis, vis & potes immitte (obſecramus) & vehementer accende in cordibus noſtris: quo accenſi





amemus te Deum ſuperamandiſſimum: Amemus te hominem ſuperamabiliſſimum: Amemus te amatorem ſuperamantiſſimum & ſuperbeneficentiſſimum: Amemus te omni affinitatis & officij genere nobis coniunctiſſimum, qui nos prior ſic dilexiſti & tot & tanta pro nobis paſſus es: Amemus te, & ardenti, continuo atque efficaci deſiderio deſideremus tibi placere: tuam voluntatem ex amore implere, & ſicut vis, crucem noſtram poſt te ferre tuaſque virtutes imitari. Quod à te confidenter expectantes, Ecce in amore illo quo Pater tuus tibi non pepercit, ſed pro nobis omnibus in mortem te tradidit: & quo, tu propoſito tibi gaudio ſuſtinuiſti crucem confuſione contempta: atque inſeparabiles in omni vita tua comites voluntariè aſſumpſiſti, humiliationes, penurias & pœnalitates multiplices: Ex quo dediſti matri tuæ, & ſanctis vt cruces varias cum gaudio & gratiarum actione aſſumerent & tolerarent: in eodem inquam amore, intentione & fructu, Ecce nos totos noſtroſque omnes offerimus & reſignamus ad quaſcunque conſulueris, aut immiſeris, vel ſuper nos venire permiſeris, humiliationes, confuſiones, penurias, pœnalitates, ſubiectiones, triſtitias, cruciatus & infirmitates, ſanguinis effuſiones, bonorum direptiones, ſenſuum afflictiones & abſtinentias, carceres, mortemque quamlibet, & alias quaſcunque cruces internas & externas. Diffidentes quidem prorſus de nobis, de noſtra hac reſignatione & præparatione

nihil præſumentes: ſed in te plenè confidentes: & obſecrantes, vt quantò ad iſta ſumus infirmiores, tantò maiorem gratiam tu nobis conferas: & per ignem tui amoris, tuæque imitationis deſiderium, & iuſtitiæ Zelum: per tuæ paſſionis meritum: & ſacrificij miſſæ ac ſacramenti Euchariſtiæ virtutem, per ſeptiformem ſpiritum tuum, & Angelicum miniſterium: per tuæ matris & patronorum meorum, ſanctorum huius diei & omnium electorum tuorum paſſiones & merita: dones nobis prædictas omnes cruces, quotieſcunque volueris ſuper nos & ſuper noſtros ſpeciales euenire, de manu tua ſemper ſuſcipere, tanquam calicem ſalutarem, medicinam efficacem, & tui amoris certiſſimũ pignus: Nec permittas nos quærere ab eis liberari, priuſquam eas ſic de manu tua ſuſceperimus: Et niſi propter te, & ſecundum te: cum plena reſignatione ad earum continuationem, ſi volueris: Sed da & fac, vt illas, quamdiù durauerint toleremus in vnione paſſionum tuarum, cum iugi laude & gratiarum actione: cum humilitate & & noſtri abnegatione: cum feruenti obſecratione & plena confidentia & integra reſignatione: Cum charitate, gaudio & pace: cum patientia & longanimitate: cum manſuetudine, bonitate & benignitate: cum fide, fidelitate & modeſtia: cum continentia & caſtitate: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia & oris ſapientia: cum ſimplicitate & finali perſeuerantia. Sic vt per ſingula momenta illum fructum percipiamus, ad quem illas cruces præordinaſti: & quem tuis





paſſionibus nobis promeruiſti: videlicet ſic vt per earum amoroſam tolerantiam, gratum tibi obſequium præſtemus: tibi crucifixo conformemur: peccata noſtra hîc caſtigentur: amor proprius cum ſuis vitiis in nobis mortificetur: proficiamus in amore tuo & virtutibus: atque tuis paſſionibus communicantes, earum virtute tecum patrem tuum honoremus, iram eius auertamus: gratiam eius impetremus: à pœnis æternis & nociuis redimamur: & æternæ tuæ gloriæ tantò copioſiùs participes efficiamur, quantò tuis paſſionibus magis communicauerimus.

Fac inſuper vt igne tui amoris ſuccenſi ardenti continuo & efficaci deſiderio ſtudeamus imitari prædictas tuas virtutes: ſcilicet:

*Hîc per ferias diuide & repete virtutes ſicut initio huius exercitij poſitæ ſunt dicens:*

*Dominica die.*

TVam humilitatem, reuerentiam: timorem, taciturnitatem, verecundiam & modeſtiam.

*Feria ſecunda.*

TVam paupertatem ſpiritus, Sobrietatẽ, & paupertatem in Deum.

Tuam auſteritatem, patientiam, manſuetudinem, pietatem in proximum & benignitatem.

*Feria tertia.*

TVam charitatem in Deum & proximum, intentionis rectitudinem, abne-

gationem & obedientiam: tuam pro peccatis noſtris contritionem, compaſſionem & orationem.

*Feria quarta.*

TVam eſuriem iuſtitiæ, ſtrenuitatem, vigilantiam, diligentiam, deuotionem & feruorem.

Tuum zelum, ſeueritatem, benignitátem & diſcretionem: tuam magnanimitatem fortitudinem & conſtantiam.

*Feria quintæ.*

TVam miſericordiam, veritatem & innocentiam: tuam iuſtitiam, gratitudinem, liberalitatem ac magnificentiam.

*Feria ſexta.*

TVam temperantiam, ſenſuum continentiam, cordis munditiem & contemplationem.

*Sabbatho.*

TVam prudentiam, ſapientiam & eloquentiam: ſimplicitatem, prudentiam, pacem & pacificationem.

*Quotidie.*

QVod à te amanter, fideliter & humiliter petimus, confidentérque expectamus: & in te ac per te facere firmiter proponimus. Adiuua nos Domine Deus, quia ſine te nihil poſſumus, & quicquid in his minùs egerimus, tu benignè digneris ſupplere tuis perfectiſſimis virtutibus. Si verò in his aliquid profecerimus, tuis illud adiunge & offer Deo Patri ad ſuam & ſanctorum gloriam, noſtrámque & omnium ſalutem. Amen.





*Sequitur exercitium pro gratiarum actione & conformitate paſſionis abbreuiatum.*

SVPERAMANDISSIME IESV: ex affectu piiſſimæ matris tuæ, & omnium Sanctorum tuorum (eorum maximè, qui tibi crucifixo magis ſunt in hac vita compaſſi) ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium & omnium fidelium parte: per ſuauiſſimum cor & ſpiritũ tuum te adoro & reuereor, te laudo & glorifico: te amo & amplector: tibíque congratulor & gratias ago: méque totum in omne beneplacitum tuum tibi offero: Pro eo quòd tu Deus ſummè adorandus, pro nobis viliſſimis creaturis tuis.

Tu homo nobiliſſimus, tenerrimus, innocentiſſimus & amabiliſſimus: pro nobis peccatoribus odio digniſſimis.

Tu omni affinitatis officij genere nobis coniunctiſſimus, & amator noſter beneficentiſſimus & fideliſſimus, pro ingratiſſimis & impiiſſimis. Ex charitate prorſus gratuita, nimia & ardentiſſima: voluiſti ſuſcipere & pati, extremã humiliationem & contẽptum, penuriam, pœnam, triſtitiam & dolorẽ, mortémq; crucis ignominioſiſſimã & crudeliſſimam: cum amoroſa obedientia, cum humilitate & taciturnitate: cum patiẽtia & manſuetudine: cum bonitate & benignitate: cum laude & gratiarum actione: cum obſecratione & deuotione: cum reſignatione & oblatione ad maiora ſufferenda.

Vt Deum Patrem tuum noſtris ſuperbiis, cupiditatibus, voluptatibus, inobedientiis,

& cæteris peccatis offenſum, inhonoratum & irritatum, pro nobis honorares, placares, & eius gratiam nobis reſtitueres: nóſque redimeres ab æternis gehennæ infernalis cruciatibus intolerabilibus: & perduceres ad conſortium tuæ æternæ gloriæ, & beatitudinis: Si tamen ſtuduerimus te amare tuíq; amore crucem noſtram poſt te tollere, tuáſque virtutes imitari: quod deſideramus & volumus: ſed quia ſine te nihil poſſumus, ideò obſecramus te amanter & fideliter, vt per eam charitatem, qua tu tantus & talis pro tantillis & tam indignis, tot & tanta támque dura & indigna, cũ tanta virtutum exemplaritate, propter tantos fructus pati dignatus es: igne tui amoris nos totos ſuccendas & facias, vt ardenti continuo & efficaci deſiderio & ſtudio te amemus, te deſideremus, tibíſque placere, & voluntatem tuam ex puro amore implere conemur. Atque quamcunque volueris ignominiam, penuriam, pœnam & crucem toleremus, eâdem tecũ charitate & obedientia; eâdem humilitate & taciturnitate; eâdem patientia & manſuetudine: eâdem bonitate & benignitate: eâdẽ laude & gratiarum actione; eâdem obſecratione & deuotione: eadem denique reſignatione & oblatione. Sic vt per huiuſmodi crucis noſtræ amoroſam tolerantiam gratum tibi amoris obſequiũ exhibeamus; tibi conformemur: peccata noſtra voluntariè caſtigemus: priuatum noſtri amorem cum ſuis vitiis mortificemus: In amore tuo & virtutibus proficiamus: tuíſque paſſionibus communicantes; earum virtute & merito tuum





Patrem honoremus: iram eius auertamus: gratiam ipſius impetremus: redimamur à pœnis æternis, & temporalibus animæ nociuis: & tuæ beatitudinis participes tandem efficiamur. Ad tuam ſempiternam gloriam & omnium ſalutem. Amen.

*ANTE CIBI REFECTIOnem directio & effuſio cordis prolixior.*

## CAPITVLVM NONVM.

ABSTINENTISSIME IESV, veræ ſobrietatis & diſcretæ abſtinentię exemplar, amator & largitor: ſi putarem tibi placere, vt ab hac refectione & delectatione cibi & potus prorſus abſtinerem: aut etiam vt loco eius amariſſimam potionem ſumerem, libẽter & cum gaudio ſpiritus vtrumq; facerem, vt ſic ex tui amore meipſum abnegans & & crucem amplectens, gratum tibi obſequium præſtarem: tibi, pro me aceto & felle potato, conformarer: exceſſus meos in cibo & alia peccata voluntariè caſtigarem: mortificarem amorem priuatum cum gulæ concupiſcentia, proficerem in tui amore & virtute abſtinentiæ & ſobrietatis: Communicánſque tuis abſtinentiis tecum Patrem tuum honorarem, iram eius auerterem: gratiam & amicitiam eius impetrarem: redimerer à pœnis nociuis, & perducerer ad tui claram viſionem & fruitionem beatificam. Horum omnium (quæ vis à nobis deſiderari &

quæri horum inquam omnium aſſequendorum deſiderio & ſpe, libenter ab hac cibi delectatione prorſus abſtinerem: aut etiam loco eius ſumerem amariſſimam potionem, ſi tibi hoc gratius eſſe intelligerem.

Sed quia tu conſulis & vis vt hanc refectionem ſumam ad confortandum me in tuo ſeruitio; obſecro te, da mihi & tuis ac meis ſpecialibus eam ſuſcipere, non propter delectationem quæ in ea eſt; ſed purè propter te tuęque voluntatis impletionem: & ſecundum te, hoc eſt, iuxta modum & menſuram tibi placitam: & per te, de manu & prouidentia tua paterna illam ſuſcipiendo: ac tecum, in præſentia tua manendo, tuúmque tractum ſequendo, humiles & indignos nos illa reputantes: obedientes tuæ voluntati: miſerantes & ſuccurrentes noſtræ infirmitati tanquam vni ex tuis minimis, gratiáſque tibi agentes pro paterna benignitate tua, qua tu hæc & alia commoda neceſſaria, tàm ſufficienter, conuenienter, & liberaliter nobis præſtas: & pro charitate & dignatione qua his commodis in tua humanitate vtens eadem ſanctificaſti: atque pro gratia quam dediſti ſanctis tuis vtendi iiſdem commodis cum gratitudine & reuerentia, cum diſcreta parcitate & auſteritate, & cum deuotione: quam gratiam recolens & conſiderans deſideranter, & vtinam efficaciter erubeſco de mea in his commodis ſumendis irreuerentia & ingratitudine, ſuperfluitate, & inordinata delectatione, indiſcretione & indeuotione, & ſubſecuta cruditate, aut ad ſpiritualia exercitia hebetudine, aliíſque offenſis





timeo ne rurſus te offendam: & ne ſicut à tua & ſanctorum tuorum abſtinentia & ſobrietate ſum diſſimilis, ſic & à veſtro conſortio & gloria ſim alienus. Doleo quod te hactenus in his offendi, tibíque & ſanctis diſſimilis fui: eſurio hæc mea peccata punire, tibíque conformari. Offero tibi ad hoc meritum abſtinentiarum tuarum & Sanctorum tuorum.

Reſigno me & paratum offero ad quamcunque conſulueris, aut venire ſuper me permiſeris delectationum ſubſtractionem & abſtinentiam: obſecrans te, vt imperfectum meum videas & ſuppleas, & ſicut ſcis, vis & potes ad perfectiores auſteritates & abſtinẽtias me excites, dirigas & promoueas. Ac interim hanc quam propter te nunc & ſecundum te volo ſumere refectionem, adiungas tuis, acceptes, benedicas, & per eam me in tuo ſeruitio confortes. Quod vt fiat, da vt illam ſumam reuerenter, maturè, cum ſpirituali attentione, cum diſcreta parcitate & auſteritate, iuxta menſuram à te mihi præſcriptam vel præſcribendam, ad tuam gloriam meámque & omnium ſalutem. Pater noſter. Aue Maria.

*Breuior aſpiratio ante cibum.*

BOne IESV, ſi putarem tibi placere vt ab hac refectione abſtinerem, libenter vellem ea carere tui amore & deſiderio fructuum qui ex abſtinentia proueniunt: ſed quia tu vis vt eam ſumam ad me confortandum in tuo ſeruitio, ideò volo nunc illam ſumere non propter voluptatem quæ in ea eſt, ſed purè propter te tuæque

voluntatis impletionem, & ſecundum menſuram & modum tibi placentem. Adiuua me Domine Deus meus, quia ſine te nihil poſſum: & da vt cibum hunc, quem de manu tua cum gratiarum actione ſuſcipio, ſumam reuerenter & modeſtè abſque inordinata delectatione & nimia adhæſione, cum ſpirituali attentione abſque ſuperfluitate & indiſcretione, ſicvt per illum reddar fortior & alacrior ad gratum tibi obſequium præſtandum, ad tuam & Sanctorum gloriam & omnium viuorum & defunctorum ſalubritatem. Pater noſter. Aue Maria.

*Adhuc breuior ante cibum oratio.*

BONE IESV, reſignans me & paratum offerens ad carendum hac delectatione quandocunque & quomodocunq; tibi placuerit: illam nunc ſumo propter te tuúmq; beneplacitum & obſequium, & ſecundum modum & menſuram quam puto te velle & mihi vtilem eſſe ad me confortandum in tuo ſeruitio. Adiuua me vt hoc faciam & præſerua me ab omni ſuperfluitate, & nimia auiditate omníque peccato.

*Modus examinandi breuiter conſcientiam, quando ſæpius in die ſit tale examen.*

VTILISSIMVM eſt, præſertim Religioſo, ſæpiùs in die ſuas cogitationes & actus diſcutere (puta ante prandium, poſt prandium, ante veſperas & ante vel poſt cõpletorium, ſi toties facere licuerit, imò





imò etiam poſt quodlibet opus prolixius & poſt quodlibet colloquium, expedit breuiter videre ſi quid in eo perperam actum vel omiſſum fuerit. Tu ergo, deuote exercitator, cum volueris tale examen facere mente recollecta cum Deo, incipe recolere qualiter te habueris ab vltima hora in qua præcedens nouiſſimum examen feciſti; gratias agens Deo propter ſingula quæ recolis benè acta, & veniam petens pro ſingulis defectibus quos inuenies te admiſiſſe. Fac ergo hoc examen per colloquium cum Domino IESV, vt ſic magis illumineris & afficiaris: hoc vel ſimili modo:

Benigniſſime IESV gratias tibi ago pro hoc, & hoc opere bono perfecto. Ignoſce quod in hoc, & hoc deliqui.

*Et cum ſic gratias agendo & veniam petendo recolueris tuos actus ab vltimo examine vſque ad præſens examen, dic in fine tuæ recollectionis.*

BONE IESV, quicquid in his benè actũ eſt, tibi acceptum fero: & obſecro, vt illud in cor tuum ſuſcipiens purifices, & adiungens tuis meritis ſuppleas, perficias & acceptes ad tuam gloriam & omnium ſalutem. Quicquid verò in his perperam & malè commiſi, aut omiſi, in tuo pretioſo ſanguine & vulneribus, in igne amoris tui & in abyſſo miſerationum & meritorum tuorum abſorbe, conſume, dele, ſupple: & nouo feruore ad alia tibi placita opera & obſequia me excita, dirige & perfice.

*Si in aliquo te grauiùs deliquiſſe deprehenderis, ſtatim poſt lapſum (quando licuerit) ſic curato reſurgere & pœnitere.*

SVperreuerendiſſime IESV, doleo quòd in hoc tuam voluntatem præteriui, tibíque infidelis & inobediens fui, téque irritaui, & merui tuam amicitiam, familiaritatem & gratiam amittere: méque reddidi ad ſeruiendum tibi ineptiorem & indigniorem. Doleo me non ſatis ſuper his dolere, & obſecro vt imperfectum meum ſuppleas & perficias. Propono confiteri: Eſurio te quem offendi placare & honorare, & peccatum meum dignè punire. Et quia ad hoc ex me ſum prorſus inſufficiens, offero tibi tuæ vitæ & paſſionis ſupereffluentiſſimam ſatisfactionem & propitiationem ac infinitum meritum: & in vnione illius reſigno me ad quamcunque conſulueris aut immiſeris pœnam & ſatisfactionem. Atque de me diffidens, ſed te confidenter obſecrans, in te & per te firmiter propono ab hac tranſgreſſione & omni alia tua offenſa de cætero diligentiùs præcauere.

*Hic poteris aliquam particularem pœnitentiam iuxta menſuram tui delicti ſeu qualitatem aſſumere, & Chriſto in vnione paſſionum ſuarum offerre.*





*EXERCITIVM PRO EXAMINE generali conſcientiæ & contritione, quod ſerotino tempore poſt veſperas poteſt exerceri, aut quando licuerit.*

*Præparatio.*

## CAPITVLVM DECIMVM.

SVPERAMANDISSIME IESV, vt ſicut vis purior & ad ſeruiendum tibi aptior reddar, deſidero nunc peccata mea coram te recolere & deflere: Sed quia abſque gratiæ tuæ auxilio id non poſſum, tu quæſo per cordis tui contritiones, omniúmque verè pœnitentium lachrymas, ad hoc me, & meos omnes illumina, compunge & zelo iuſtitiæ ſuccendæ ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus. Amen.

*Exercitium.*

O Vnitrine Deus optime, Maxime, & ſuper omnia adorande, & reuerende, diligende & colende. O Creator, Redemptor, Amator & Benefactor ſuper omnia redamande & obſeruande. O Iudex ſupreme, ſapientiſſime, æquiſſime, potentiſſime & ſuper omnia metuende & tremende: ecce ego viliſſimus terrę vermiculus, ego infideliſſimus, ingratiſſimus, & abominabilis peccator, coram tremendo & amabili vultu tuo, me & & omnia intuente, aſtans, & me totum tibi ex corde proſternens: in veritate tua

agnoſco & gemens confiteor, quia ex me nihil ſum, nil poſſum, nihil habeo præter innumera peccata tibi ſoli plenè cognita: quibus tuam infinitam maieſtatem, ſapientiam, æquitatem, bonitatem & charitatem hactenus ſupra modum & nouiſſimè etiam offendi, inhonoraui, vilipendi & irritaui. Specialiter autem agnoſco & deteſtor, quod te offendi per defectum contritionis veræ, integræ confeſſionis, & dignæ pœnitentiæ.

Per irreuerentiam, indeuotionem & multiplicem defectum in Miſſæ ſacrificio & ſacri tui corporis ſumptione.

Per infinitas negligentias, diſtractiones, oculorum euagationes, ſomnolentias, indeuotiones, irreuerentias, & alios defectus in tuo ſeruitio.

Agnoſco & deteſtor quod te irritaui in ſuperflua vel indiſcreta cibi & ſomni, aliarumque corporis neceſſitatum & recreationum ſumptione & delectatione.

In vana & inutili temporis conſumptione & proficiendi neglectu.

Agnoſco & deteſtor, quod te offendi per ſilentij fractionem, & locutionem ſuperfluam, otioſam, indiſcretam, mendacem, detractoriam aut iniurioſam.

Agnoſco & defleo quod te præſentem mihi ſemper & vbique non ſenſi, nec te timui, nec intendi, nec conſului, nec fideliter tibi in omnibus obediui. Sed neque te ſuper omnia amaui, deſideraui, quæſiui, glorificaui, nec tibi gratias egi.

Agnoſco & defleo quod meipſum non vilipendi nec odiui, nec abnegaui in omnibus

pro-



proprium ſenſum & volũtatem, neque peccata mea defleui & caſtigaui.

Agnoſco & defleo, quod proximos omnes non amaui ſicut me ipſum, nec de eis bene ſenſi nec eorum defectus ſupportaui: ſed neque debitam eis compaſſionem, ſubuentionem & fraternam correctionem impendi.

Agnoſco & defleo quod te offendi per incuriam, improuidentiam, vel omiſſionem multorum quæ mea vacatio & ſtatus à me requirit: per ſanctorum propoſitorum multiplicem tranſgreſſionem & leuem mutationem. Et per defectum perfectæ paupertatis, integræ caſtitatis, & ſimplicis obedientiæ.

Agnoſco denique & defleo quod te multipliciter & grauiter offendi, per motus & affectus ſuperbiæ, vanæ gloriæ, impatientiæ, iræ, priuati amoris & inuidiæ, Accediæ & pigritiæ, Auaritiæ & proprietatis, Gulæ & luxuriæ, cæterorumque vitiorum.

Eya miſericordiſſime IESV, hæc omnia & alia peccata mea occulta & oblita, antiqua & nouiſſima: propria & aliena, cum omnibus peccatis meorum ſpecialium, depono in chariſſima vulnera tua, & in preciosiſſimum ſanguinem tuum: proijcio in immenſum ignem amoris tui, demergo in pelagus exuberantium meritorum tuorum: & abſcondo in abyſſo infinitarum miſericordiarum tuarum & miſerationum: vt ibi per merita ſanctiſſimæ humanitatis tuæ & acerbiſſimæ paſſionis: nec non per preces & merita beatiſſimæ matris tuæ, beatorum

Angelo-

Angelorum, & ſanctorum omnium expientur, abſorbeantur & ad nihilum redigantur. O vtinam nunquam te offendiſſem, & gratiam tuam in me nunquam impediuiſſem. Vtinam tibi ſemper perfectè placuiſſem: tuæque voluntati in omnibus amanter, fideliter & integrè obtemperaſſem. O vtinam omnia, quæ ad me ſpectant perfectè impleuiſſem, & ex incendio amoris tui omnia ſupremo & amabiliſſimo modo ad honorem tuum & omnium ſalutem impleuiſſem.

Equidem me iſta non impleuiſſe, quantùm poſſum doleo & magis ac magis dolere deſidero & obſecro.

1 Doleo quod paternam tuam pietatem offendi.

2 Tuam Diuinam præſentiam coram ea peccando inhonoraui.

3 Bonitatem & charitatem tuam vilipendi & contempſi.

4 Te rurſus, quantum in me eſt, crucifixi.

5 Tibique ingratus, infidelis inobediens & iniurioſus ac diſſimilis fui.

6 Doleo quod merui gratiam & amicitiam tuam amittere, & meritis tuæ vitæ & paſſionis, tuorumque ſanctorum priuari: & à cœleſti gloria tua excludi.

7 Doleo quod merui incurrere odium & indignationem tuam & omnium ſanctorum: perpetuis gehennæ ignibus & cruciatibus cum diabolo deputari.

8 Doleo quod debitum amoris obſequium tibi non impendi, imò ad ſeruiendum tibi me indigniorem & ineptiorem reddidi.





9 Doleo quòd adhùc tam pronus ſum ad prædictos defectus, tàm impotens & infirmus ad reſiſtendum tentationibus, tàmque imprudens ad diſcernendum & vitandum hoſtium laqueos.

10 Doleo denique me ſuper his omnibus non ſatis dolere & obſecro vt per perfectiſſimam triſtitiam, & contritionem quam pro noſtris & omnium hominum peccatis in corde tuo voluntariè aſſumpſiſti, ſuppleas defectum contritionis meæ, & ſicut ſcis, vis & potes veram contritionem mihi infundas.

Et nunc de me prorſus diffidens, ſed in te plenè confidens, Propono per gratiam tuam omnia peccata vitare: & mortem potius aut quodcunque damnum & malum perpeti, quàm rurſus ſcienter & ex propoſito tuam voluntatem tranſgrediendo te offendere & irritare.

Propono peccata confitenda confiteri, & pœnam quamcunque volueris aut conſulueris pro eis amanter ſubire.

Veniam peto ab omnibus quos læſi, & paratus ſum illis prout volueris ſatisfacere.

Ignoſco ex corde pro tui amore omnibus, qui me vnquam offenderunt: Eoſque propter te amo, pro illorum ſalute, te ſupplex obſecro: & illis benefacere, quoties mea opera indiguerint pro ſua ſalute, deſidero & propono.

Supplico vt & tu mihi plenè ignoſcas, meque in tuam gratiam & amicitiam ſuſcipias, ac mihi in omnibus benignè ſuccurras. Quod te, iuxta promiſſum tuum

facere confido. Vnde etiam gratias tibi ago pro eo quòd me hactenùs peccantem tolerasti, expectaſti, à pœnis, quas merebar præſeruaſti, multis beneficiis & modis ad te reuocaſti,& nunc ſpem veniæ,gratiæ & gloriæ mihi infudiſti.

Deſidero te redamare & de cætero, tuæ voluntati tuiſque & tuorum mandatis & cõſiliis amanter,fideliter,& integrè obedire.

Eſurio (vtinam verè & ardenter) zelo tui honoris & iuſtitiæ peccata mea dignè punire:

Agnoſco me pro illis omnem cõfuſionem & pœnam temporalem & æternã meruiſſe. Ad quã etiam cũ gratia & amore tuo perferendã quãdocunq; & quomodocũq; tibi placuerit,me totũ reſigno & paratũ offero. Sed quia pro nobis dignatus es pati & mori, vt ab æternis pœnis nos redimeres,& ad tuam gratiam & gloriam nos reuocares: quia inſuper vis & gratum habes, vt hanc tuam paſſionem & mortem tibi offeramus & repræſentemus in ſatisfactionem & propitiationem ſupereffluentiſſimam pro peccatis noſtris & totius mundi: Ideò vt huic tuo deſiderio ſatisfaciam, & poſſim gratia tua recuperata gratum tibi obſequium præſtare, offero tibi per ſuauiſſimum cor tuum in ſpiritu ſancto tuam paſſionem, & mortem ſimul cum omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute, & cum omnibus meritis, paſſionibus & exercitiis beatiſſimæ Mariæ matris tuæ, & omnium ſanctorum & electorum tuorum. Credo hanc oblationem eſſe ſuperſufficien





cientiſſimam pro peccatis meis & totius mundi. Piè etiam confido, per eam omnia peccata mea expiari & debitam pro eis pœnam pleniſſimè perſolui: Si tamen ſtuduero tibi compati, & dignos pænitentiæ fructus facere. Quod etiam per auxilium gratiæ tuæ deſidero & propono implere. Propterea proſterno me totum tibi & reſigno ad quamcumque conſulueris & volueris pœnam & exercitationem: Subter omnes creaturas me deijcio, & ab omnibus, pro meis in te peccatis caſtigari & affligi, ſicut volueris, opto & ſupplico. Omnes homines mihi præfero, & præferri deſidero, omnibus propter te & ſecundum te ſeruire & obedire ſum paratus:

Meipſum, propriumque ſenſum & voluntatem meam odi, & abnegare ac perſequi, tui amore deſidero & propono: Oblectamentaque omnia non neceſſaria nec ſalutifera, fugere & abijcere: Atque auſteritates omnes tibi placitas & profectui ſpirituali vtiles diſcretè & feruenter aſſumere & tolerare volo,& in te propono: obſecrans te vt ad hæc me ſic excites, dirigas & confortes, quatenùs nec excedam in his, nec deficiam.

Et quia ad hæc nimis ſum remiſſus, tepidus & negligens: Tu quæſo benignè ſuppleas quicquid minus egero. Quod vt liberiùs facias, ecce me tibi offero & integrè reſigno, ad quamcumque immiſeris aut ſuper me vel meos venire permiſeris afflictionem & crucem, in vnione paſſionum tuarum libenter tolerandam cum laude &

gratiarum actione, cæteriſque fructibus ſpiritus tui: vt ſic gratum tibi obſequium præſtem: tibi pro me paſſo conformer, peccata mea voluntariè caſtigem, & in amore tuo ac virtutibus proficiam, cæteroſque fructus crucis tuæ mihi. & quibus volueris efficaciter applicem. Ad tuam & ſanctorum gloriam, meamque & omnium ſalutem.

*Hic ſi volueris pro peccatis tuis aliquam ſpecialem pœnitentiam facere, ſubiunges quod ſequitur.*

SPecialiter autem pro his & his meis peccatis, hanc modicam pœnitentiam in vnione paſſionum tuarum amanter & hilariter aſſumo & tibi offero. Adiuua me Domine quia ſine tua gratia nihil ſum & poſſum.

*Item Contritionis Exercitium breuiùs contractum.*

O Iudex tremende, ô Amator & benefactor redamande: ô Deus adorande & colende. Ego viliſſimus peccator confiteor & deteſtor quod peccaui in te & coram te: in diuino officio: in cibo, potu ſomno, in temporis vana expenſione. In locutione: in cogitatione & affectione erga te, erga me, erga proximos: in omiſſione multiplici & in motibus & paſſionibus vitiorum. Doleo, quod per hæc omnia te offendi, inhonoraui, vilipendi, contempſi & irritaui: Doleo quod tibi ingratus, infidelis, iniurioſus, inobediens & diſſimilis





fui. Doleo quod gratiam tuam & amicitiam amittere merui, & fructibus paſſionis tuæ me indignum feci. Doleo me non ſatis dolere, & obſecro vt per cordis tui contritiones imperfectum meum ſuppleas, & ſicut ſcis, vis & potes cor meum conteras. Propono ab omni peccato abſtinere: confitenda confiteri, & quamcunque volueris, pœnam ſubire. Veniam peto ab his quos læſi, paratus illis, prout conſulueris, ſatisfacere: ignoſco ex corde omnibus qui me vnquam offenderunt, eoſque propter te amo & benefacere illis deſidero. Peto vt & tu mihi plenè ignoſcas & in gratiam tuam me ſuſcipias, quod te facere confido: propter quod etiam tibi gratias ago: & te redamare, tuiſque conſiliis & mandatis fideliùs obedire deſidero & propono. Eſurio tui offenſam & inhonorationem vindicare & vlciſci, peccataque mea dignè punire. Agnoſco nullis meis pœnitentiis & exercitiis poſſe me vel pro minimo peccato dignè ſatisfacere: Credo tuæ paſſionis infinitum eſſe meritum, teque velle illud per nos offerri. Vnde quia vis, & ſicut vis nunc tibi, per te Deo patri offero in plenam pro peccatis meis & totius mundi ſatisfactionem, quicquid aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute. Et in horum vnione pro tui amore & imitatione, zeloque iuſtitiæ offero me tibi & reſigno ad quamcunque conſulueris, immiſeris, aut ſuper me venire permiſeris pœnam & afflictionem ac exercitationem.

*Si volueris aliquam ſpecialem pœnitentiam aſſumere, dic quod ſequitur.*

SPecialiter autem, modicam hanc pœnitentiam amanter & libenter aſſumo & tibi offero in vnione tuarum paſſionum. Adiuua me Domine Deus, quia ſine tua gratia nihil ſum, ſcio & poſſum.

## *GRATIARVM ACTIO ET oblatio ſerotina omnium operum totius diei, Antè vel poſt Completorium exercenda.*

*Et primò. Ad Dei matrem.*

O Domina mea ſancta Maria. O Mater Dei & Domini noſtri IESV Chriſti ſuperdigniſſima. O Virgo virginum regina puriſſima, humillima & manſuetiſſima. ô Angelorum ſpeculum & Imperatrix glorioſiſſima: ô ſanctorum omnium ſcala & Domina ſanctiſſima: O ſummæ Trinitatis ſacrarium, ô tutum peccatorum refugium, ô Noſtra ſingularis mater & aduocata, poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima & benigniſſima. Ex affectu omnium tibi deuotorum Angelorum & hominum: Ex mea meorumque ſpecialium & omnium fidelium parte, per ſuauiſſimum cor IESV Chriſti Dei patris tuique amantiſſimi filij, te ſaluto & laudo, tibique congratulor, & gratias Deo tecum ago pro omnibus beneficijs tibi, & nobis per te collatis & conferendis: Et





obſecro te per charitatem qua te Deus ab æterno prælegit in matrem & dilexit ſuper omnem creaturam: per tuam & filij tui immaculatam conceptionem, per materni cordis erga filium amorem & dolorem incomparabilem, omnemque miniſterium à te illi impenſum: per tuam glorificationem & per tuam erga nos pluſquam maternam pietatem, fidelitatem & benignitatem: per hæc inquam omnia obſecro te vt me omneſque meos ſpeciales, & cunctos ad te confugientes, blandè & miſericorditer ſuſcipias: & quicquid hodiè & hactenus à nobis malè actum eſt, emendes & corrigas: quicquid boni neglectũ eſt, ſuppleas: ſi quid vero benè geſtum eſt illud tuis meritis adiungas, perficias, & per cor tuum in cor filij tui offeras: dignaſque laudes & gratias ipſi pro nobis perſoluas: & optatam gratiæ eius & miſericordię abundantiam nobis, & omnibus pro quibus tenemur, aut intendimus orare, referas & obtineas.

Obſecro te etiã vt me & meos omnes, in maternam tuam cuſtodiam, directionem & protectionem ſuſcipias, & præſerues nos ab omni peccato & periculo: ab omni immunditia mentis & corporis: & ab omnibus hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus. Cerne, ô pia virgo noſtrum periculum, & in morte tuum nobis oſtende placatum filium, & tuum vultum gratioſum. Amen.

*Ad Beatos Angelos.*

O Michael Archangele, glorioſiſſime princeps totius Eccleſiæ, Mî pater & ſpecialis patrone.

O Gabriel deuotiſſime virginis paranymphe.

O Raphael peregrinantium comes & conſolator.

O Angele mî cuſtos & Pater ſpecialis.

O Archangele huius monaſterij, huius ordinis & huius diœceſis. O principes huius Regni & Dominij.

O omnes & ſinguli beatorum ſpirituum ordines.

1 Angeli.
2 Archangeli.
3 Principatus.

4 Poteſtates.
5 Virtutes.
6 Dominationes.

7 Throni.
8 Cherubin.
9 Et Seraphin.

Ex affectu omnium vobis deuotorum, ex mea, meorumque omnium parte per ſuauiſſimum cor Domini IESV vos ſaluto & laudo, & gratias Deo vobiſcum ago pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis. Et ſpecialiter pro veſtra fideli cuſtodia, & miniſterijs ſalutaribus pro noſtra ſalute impenſis: Et obſecro vt ignoſcatis noſtris irreuerentiis, ingratitudinibus, inobedientiis, negligentiis, immunditiis & cæteris vitiis, impetretiſque horum omnium veram contritionem,





dignam pœnitentiam & perfectam emendationem. Suſcipite etiam in aurea thuribula cordium veſtrorum, vniuerſa ſeruitutis noſtræ obſequia & exercitia, veſtriſque meritis ea adiungentes purgate, ſupplete, perficite & Deo offerte, illique pro nobis gratias agite: & ſicut deſideramus ea ad veſtræ gloriæ augmentum cedere, ſic facite vt nobis, & omnibus pro quibus oblata ſunt, proſint ad ſalutem. Cuſtodite etiam obſecro nos hac nocte ab omnibus illuſionibus, immunditiis & periculis: Et locum iſtum ac omnia loca noſtra cum habitatoribus ſuis ab omni actiuo & paſſiuo ſcandalo: Et excitate, dirigite & confirmate in omnibus bonis: faciteque vt in vinculo pacis & dilectionis viuamus, & vſque in finem perſeueremus: denique in hora mortis noſtræ nos ſuſcipite, protegite & ad Dei claram viſionem, fruitionem & laudem perpetuam vobiſcum perducite.

*Si fueris prælatus & paſtor adde quod ſequitur.*

O Omnes & ſinguli ſpiritus beati, quantò imprudentior, impotentior, imperfectior, & ad omne bonum opus inſufficientior ſum: tantò inſtantiùs, humiliùs, fideliùs & pleniùs me totum & omnes mihi commiſſos, domum iſtam, & prouinciam

ac vniuerſum ordinem noſtrum: omniaque interiora & exteriora noſtra: præſentes & imminentes neceſſitates, tribulationes & cauſas ac negotia veſtræ pietati, prouidentiæ & benignitati, veſtræ directioni, gubernationi & protectioni commendo & reſigno. Suſcipite ergo nos vobis deuotos, & in omnibus nos dirigite & perficite, ſicut expedit ad maiorem Dei honorem & animarum ſalutem.

### *Ad Patronos ſpeciales & omnes ſanctos.*

O Beatiſſime Ioannes Baptiſta, noſtri ordinis ſpecialiſſime Patrone. O Beate Ioannes Euangeliſta mî ſingularis aduocate: O S. Ioſeph Dei genitricis ſponſe dilectiſſime, nouitiorum nutritie. O Ioachim & Anna parentes Dei genitricis & noſtræ. O Petre & Paule Eccleſiæ principes & defenſores. O B. Bruno Patriarcha noſter, Sanctiſque Benedicte, Bernarde, Hieronyme, Auguſtine, Baſili, Franciſce cum ſociis.

O B. Magdalena pœnitentiæ forma.

O S. Barbara virgo & martyr cõſtãtiſſima.

O Sancti huius diei N. N.

O omnes & ſinguli ſanctorum ordines. Patriarchæ, Prophetæ Reges & Iudices & veteris Teſtamenti patres: Apoſtoli, Euangeliſtæ & Diſcipuli Domini: Martyres, Pontifices, Sacerdotes & Confeſſores, Anachoretæ, Monachi & Religioſi. O virgines & continentes omneſque beati. Ex affectu omnium vobis deuotorum, Ex mea, meo-





meorúmque parte: vos per ſuauiſſimum cor Domini IESV ſaluto & laudo & gratias Deo vobiſcum ago pro omnibus bonis vobis & per vos nobis collatis. Et obſecro vos vt me & meos omnéſque vos inuocantes benignè ſuſcipiatis; & quicquid à nobis malè actum eſt, excuſetis & emendetis, quicquid neglectum ſuppleatis: ſi quid benè geſtum veſtris meritis adiungatis, perficiatis & Deo offeratis, eidémque pro nobis gratias agatis, & referatis optatam eius gratiam: Nóſq; ab omni peccato & periculo, ab omni immunditia mentis & corporis, & ab omni hoſte cuſtodiatis, & in hora mortis noſtræ dignemini ſuſcipere, protegere, & ad claram Dei viſionem, fruitionem & gloriam ſempiternam vobiſcum perducere. Amen.

### *Ad Ieſum gratiarum actio pro beneficijs.*

O PRAESENTISSIME, Intentiſſime & Promptiſſime. O ſuperreuerendiſſime, ſuperamandiſſime & ſupercolendiſſime amator Domine IESV CHRISTE, Deus & homo perfectiſſime: Non ex affectu meo (quia nimis indignus & indeuotus ſum) ſed ex affectu & deuotione glorioſiſſimæ matris tuæ, beatorum Angelorum, ſanctorum huius diei, Patronorum meorum & omnium glorificatorum: ex mea tuorúmque & meorum ſpecialium, omniúmque fidelium & animarum purgandarum parte. Per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum: te cum Patre & Spiritu ſancto trinum in perſonis, & vnum in

eſſentia, Deum ac Dominū vniuerſorū Creatorē & gubernatorē adoro & reuereor, laudo & glorifico, amās tibi congratulor, gratiáſq; agens me totum cum omnibus animæ & corporis viribus & ſenſibus in omne beneplacitum & obſequium tuum ad omnia tam aduerſa quā proſpera in tempore & æternitate tibi ex amore offero & integrè reſigno: pro omni bono quod es, quod habes & quod operatis: pro omnibus nominibus & perfectionibus tuis. Pro omnibus quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute. Pro omnibus bonis quæ tu beatiſſimæ matri tuæ, beatis Angelis, Sanctis huius diei, Patronis meis & omnibus glorificatis, ſed & mihi meíſq; ſpecialibus & vniuerſæ creaturæ contuliſti, & adhuc collaturus es.

*Dominica die.*

1 Specialiter autem gratias tibi ago pro eo quòd me ab æterno prænoſcens & omnem meam infidelitatem & ingratitudinem præuidens, nihilominus amaſti, elegiſti, gratificaſti & propoſuiſti ac prædeſtinaſti me vocare, iuſtificare, magnificare, & tuæ beatitudinis æternæ participem facere.

*Feria ſecundæ.*

2 Gratias ago tibi, quòd me tempore gratiæ in Eccleſia & patria Catholica, de parentibus Chriſtianis, honeſtis & probis naſci me feciſti: corpúſque integrum, ſanum & ad functiones animæ ſpiritualémque vitam aptum dediſti: animámque immortalem ſuper ſanctiſſimæ Trinitatis imagine inſignitam creaſti & corpori infudiſti, per quam te





recolere & poſſidere: te agnoſcere & laudare: te amare & amplecti, tibíque ex amore ſeruire, & tecum tandem beati, tuáque gloria perfrui poſſem.

3 Gratias ago tibi quòd me, & omnia propter me, hactenus conſeruaſti, & ſapienter gubernaſti: atque per Angelicum miniſterium me ab innumeris animæ & corporis periculis & malis præſeruaſti, & ſæpiùs etiam mirabiliter liberaſti: méque purgaſti, illuminaſti, & ad placita tibi opera excitaſti & confortaſti, & niſi obſtitiſſem ad maiora me promouiſſes.

*Feria tertia.*

4 Gratias ago tibi, pro eo quòd me per baptiſmum de poteſtate dæmonis eruiſti, mundaſti ab omni peccato, regeneraſti in filium gratiæ, redēptionis tuæ participem me feciſti, & ab omni pœna liberaſti, nominaſti, incorporaſti, ſignaſti, gratificaſti & ſpiritu tuo viuificaſti: parentéſque ſpirituales qui meæ ſalutis curam haberent dediſti.

5 Gratias ago tibi pro eo quòd me purgaſti à tenebris ignorantiæ & erroris: & ad agnitionem tui ſancti nominis tuæque Catholicæ fidei à puero me peruenire feciſti, & ſalutaribus ſcientiis & doctrinis erudiſti.

*Feria quarta.*

6 Gratias ago tibi pro eo quòd ea quæ victui meo & cæteris huius vitæ neceſſitatibus & indigentiis erant neceſſaria & conuenientia, hucùſque ſemper ſine propria ſolicitudine liberaliſſimè & benigniſſimè

prouidiſti & donaſti, vt his adiutus tibi liberiùs ſeruirem & vacarem.

*Feria quinta.*

7 Gratias tibi ago pro eo quod me quotidie peccantem & te multipliciter offendentem, tolerasti, præſeruaſti à damnatione & pœnis demeritis, expectaſti ad pœnitentiam, reuocaſti, illuminaſti, compunxiſti, attraxiſti & redeuntem ad te benignè ſuſcepiſti, iuſtificaſti, ſanaſti: & vt pœnitentiamque ſacræ Euchariſtiæ ſacramenta frequentarem ab adoleſcentia conceſſiſti: & tandem ad ſacerdotale officium me promouiſti.

*Feria ſexta.*

8 Gratias ago tibi pro eo quòd me in ſæculi vanitate viuentem, patienter toleraſti, mirabiliter & ſuauiter de ſæcularium conſortio & conuerſatione eduxiſti: ſapienter & prudenter ad ſtatum religionis ſacræ, & ad hunc præſertim Cartuſianum ordinem, præ cæteris mihi ſalutarem & cõuenientem vocaſti, miſericorditer ſuſcepiſti, aſcripſiſti per ſolemnem profeſſionem: & in eo hucùſque me conſeruaſti, atque ad ſpiritualem vitam & internam: licet tepidum, negligentem & renitentem ſemper excitaſti & promouere voluiſti.

*Sabbatho.*

9 Gratias ago tibi, quod me ſpecialibus gratiis, donis & beneficiis dotaſti, vt tibi perfectiùs placere & deuotiùs ſeruire poſſem: donans mihi in cruce & corde ac nomine tuo ſpeciale deuotionis exercitium: & in benedictionibus dulcedinis tuæ ſæpiùs me, licet indignum præueniens.





*Quotidie.*

10 Gratias ago tibi, quod hucùſque à graui ſcandalo actiuo & paſſiuo, me præſeruaſti, & ab innumeris peccatis & periculis cuſtodiſti, ſubtrahendo occaſiones, ſanando affectionem, dando reſiſtendi virtutem, & immittẽdo vitioſarum rerum amaritudinem.

11 Gratias ago tibi, quod hodie etiam me à multis malis cuſtodiſti, & ad multa bona me excitaſti, direxiſti & adiuuaſti, atque ad maiora me excitaſſes & promouiſſes, ſi habilitatem in me reperiſſes.

12 Denique gratias ago tibi, quod ſpem & fiduciam mihi præbes conſequendę poſt hãc vitam tuæ claræ viſionis, fruitionis, & beatificæ poſſeſſionis laudíſque perpetuæ cum beatiſſima Maria matre tua & omnibus Angelis & ſanctis. Quòd vtinam des mihi ardentiùs in dies deſiderare, feruentiùs petere, ſtudioſiùs quærere, & citiùs apprehendere, ad tuam gloriam ſempiternam.

*Si nimis longum tibi videtur prædicta omnia beneficia ſimul recolere, poteris ea per ſingulas ferias diuidere, ſic vt Dominico die gratias Deo agas pro primo beneficio prædeſtinationis. Feria ſecunda pro ſecũdo & tertio beneficio. Feria tertia pro quarto & quinto. Feria quarta pro ſexto. Feria quinta pro ſeptimo. Feria ſexta pro octauo. Sabbatho pro nono. Quotidie pro decimo vndecimo, & duodecimo ſubiungens diebus ſingulis quod ſequitur.*

PRo his cæteríſque innumeris tuis in me beneficiis, tibi ſoli plenè cognitis iterum

atque iterum millies ex affectu quo ſupra, te adoro & reuereor, te laudo & glorifico, te amo, tibi congratulor, gratiáſque agens me totum in omne beneplacitum & obſequium tuum tibi ex amore offero & integrè reſigno nunc & in perpetuum.

Agnoſco ex his tuam erga me nimiam bonitatem, miſericordiam, patientiam, longanimitatem, charitatem, fidelitatem & liberaliſſimam beneficentiam: Agnoſco & confiteor gemens meam erga te nimiam ingratitudinem, infidelitatem, contemptum & inobedientiam: quia te pro tot & tantis beneficiis hactenus non redamaui, nec gratus extiti nec tibi obediui, & dignè ſeruiui, imò verò in multis te offendi, & inhonoraui & contempſi. Propter quod quantum donas doleo, & magis ac magis dolere & conteri deſidero & ſupplico, atque per gratiam tuam propono tantò deuotiùs & fideliùs in poſterum tibi obedire & ex amore ſeruire, quantò hactenùs negligentior & tepidior fui atque infidelior. Obſecrans te vt vniuerſum ſeruitutis meæ obſequium quod hodie & hactenùs tibi indignus obtuli, in cor tuum ſuſcipias, purges in ſanguine tuo ab omnibus vitiis in eo commiſſis: ſuppleas omnes defectus & negligentias: adiungas illud tuis & ſanctorum tuorum precibus & exercitiis: & horum merito & virtute illud acceptes, & gratum tibi ac meritorium facias: ſicque vnitum ſimul cum illis per idem cor tuum in Spiritu ſancto Deo Patri tuo offeras in omnigenam hoſtiam, ad ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, tuæque crucifixæ hu-

*Oblatio operum totius diei.*





manitatis ſupremam latriam & adorationem, matris tuæ hyperduliam: beatorum Angelorum Sanctorum huius diei, & patronorum meorum omniúmque glorificatorum honorem & gaudium: meámque & omnium pro quibus tu vis, aut teneor, vel intendo orare ſalutem præſentem ac perpetuam: omniúmque ſalutarium petitionum benignam exauditionem, iuxta memoriale per me coram te fieri ſolitum.

*Hic poſſes (ſi vacat & libet) fructuoſè repetere oblationem generalem, quæ hîc ſupra eſt poſita vel eandem abbreuiatam, quam inuenies ſupra.*

### *Alia breuior oblatio ſerotina ad Dei matrem virginem Mariam.*

O Superpiiſſima Maria mater Dei & virgo, noſtra ſingularis mater & aduocata: O ſummæ Trinitatis ſacrarium: Angelorum ſpeculum, ſcala ſanctorum omnium, tutum peccatorum refugium: Suſcipe in maternum cor tuum vniuerſum noſtræ ſeruitutis obſequium, quod ego indignus ac tui, ac mei ſpeciales hodie & hactenùs obtulimus, & quicquid in eo malè actum eſt, excuſa & emenda: quicquid neglectum eſt, ſupple: ſi quid verò benè geſtũ eſt, adiunge tuis meritis: & filio tuo acceptũ redde, eidémque illud offer & pro nobis gratias age, atq; gratiam & miſericordiam optatam nobis & pro quibus orare ſolemus impetra & reporta: Nóſq; omnes in maternam

tuam cuſtodiam ſuſcipe, atque ab omni peccato & periculo, ab omni mentis & corporis impuritate, & ab omni malo nos protege & præſerua: & in morte tuum nobis placatum oſtende Filium, vultúmque tuum gratioſum. Amen.

*Ad Angelos.*

O MICHAEL, ô Gabriel, ô Raphael: ô Angele mi cuſtos: ô Archangele huius Monaſterij & Ordinis noſtri ac Diœceſis: ô Principatus, huius Regni & Dominij adminiſtratores. O omnes & ſinguli Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin & Seraphin: humiliter vobis regratior pro veſtra fideli cuſtodia, & veſtræ charitatis ſalutaribus miniſteriis & officiis hodie & hactenus nobis impenſis Et obſecro vt ignoſcatis noſtris irreuerentiis, inobedientiis, negligentiis, impuritatibus & cæteris defectibus, horúmque omnium veram emendationem & pœnitentiam nobis impetretis: & vniuerſum ſeruitutis noſtræ obſequium, quod hodie & hactenus obtulimus, in thuribula aurea affectionum veſtrarum ſuſcipiatis: & quod malè actum eſt, emendetis: quod neglectum eſt, ſuppleatis: ſi quid benè geſtum eſt, adiungatis veſtris laudibus & miniſteriis: gratúmque & acceptum Deo illud reddatis, & offeratis: ac gratias eidem pro nobis agatis: optatámque gratiam & miſericordiam nobis referatis: atque nos ab omni peccato, immunditia, periculo & malo hac nocte præ-





ſeruetis: & in hora mortis ſuſcipiatis, defendatis, atque ad claram Dei viſionem, & fruitionem, ſecuram poſſeſſionem & laudem perpetuam vobiſcum nos perducatis.

*Ad Sanctos omnes.*

O SANCTI, quorum hodie feſtiuitas vel memoria in Eccleſia agitur, & qui hodie cœlum intrare meruiſtis. O Patroni mei ſpeciales B. Ioannes Baptiſta, Euangeliſta & cæteri omnes & ſinguli Sancti: Patriarchæ, Prophetæ, Reges & Iudices, Apoſtoli, Euangeliſtæ, diſcipuli, & Martyres: Sacerdotes, Religioſi & Virgines ac Continentes, omnéſque iam glorificati, ſuſcipite in corda veſtra vniuerſum ſeruitutis noſtrę obſequiū: & veſtris precibus & exercitiis illud adiungentes, purgate, ſupplete, perficite, gratum reddite, offerte, & Deo pro nobis gratias agite, nobíſque optatam gratiam impetrate: & ab omni peccato, periculo & malo nos præſeruate: atque in morte nobis aſſiſtite, & ad regnum cœleſte vobiſcum perducite. Amen.

*Ad Dominum Ieſum.*

O SVPERREVERENDISSIME, Superamandiſſime & ſupercolendiſſime IESV. Ex affectu B. Mariæ matris tuæ, B. Angelorum, ſanctorum huius diei & meorum Patronorum, atq; omnium electorum tuorum: ex mea, tuorúmque & meorum ſpecialium atque omnium fidelium parte, te per ſuauiſſimum cor & ſpiritum tuum adoro,

laudo, amo & tibi congratulor & gratias ago pro omnibus beneficiis eidem matri tuæ & prædictis Sanctis, mihíque & meis omnibúſque creaturis à te collatis & conferendis: Et ſpecialiter gratias ago tibi pro eo quòd hodie & hactenùs nos à multis malis & periculis ac peccatis præſeruaſti, atque ad multa bona excitaſti & adiuuaſti: Agnoſco quia ſupra omne meritum noſtrũ miſericordiam tuam nobiſcum feciſti: veruntamen ſcio, & gemens confiteor, quia in multis te offendimus, & nihil dignum tua maieſtate & bonitate egimus, vnde etiam obſecramus te vt non intres in iudicium cum ſeruis tuis: ſed vniuerſum ſeruitutis noſtræ obſequium per manus beatiſſimæ matris tuæ beatorúmque Angelorum & Sanctorum omnium in cor tuum ſuſcipias, purges & emendes: ſuppleas & perficias: adiungas tuis & Sanctorum meritis: acceptes & gratifices: illúdque per idem cor tuum ſic vnitum Patri tuo offeras in omnigenam hoſtiam: nobíſque optatam gratiam & omnium ſalutarium petitionum celerem exauditionem referas & cum eo dones: atque de cætero ab omni peccato præſerues, ad omne bonum dirigas & promoueas: ab omni periculo & malo cuſtodias, & in morte defendas, conſoleris, ſuſcipias & ad tuam æternam gloriã & beatitudinem cum beatiſſima matre tua & omnibus Angelis & ſanctis miſericorditer perducas. Amen.

*Adhùc breuior oblatio ſerotina.*

O Mater Dei & noſtra: ô Michael, Angele mî cuſtos, & omnes ſpiritus ange-





lici: ô Sancti huius diei: ô beate Ioannes Baptiſta & cæteri patroni mei, omnéſque glorificati, ſuſcipite vniuerſum noſtrę ſeruitutis obſequium & veſtris meritis illud adiungentes, purgate, ſupplete, perficite, offerte, Deo pro nobis gratias agite: & referte optatam gratiam, omniúmque petitionum ſalutarem exauditionem: Nóſque ab omni peccato & malo cuſtodite, ad omne bonum promouete. Et in hora mortis defendite, conſolamini, atque ad regnum cœleſte vobiſcum perducite.

*Ad Dominum Ieſum.*

O Superbenigniſſime IESV, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis beatiſſimæ matri tuæ & omnibus Angelis ac ſanctis, mihíque ac meis & omnibus fidelibus collatis & conferendis: & ſpecialiter pro eo quòd nos hodie à multis malis & periculis præſeruaſti, & ad multa bona excitaſti: veruntamen fateor quia nihil dignum tua maieſtate & bonitate egimus, imò te in multis offendimus: propter quod te humiliter & confidenter obſecramus, vt per manus matris tuæ Mariæ & Angelorum ac ſanctorum vniuerſum ſeruitutis noſtræ obſequium in cor tuum ſuſcipias: & quicquid vitioſè egimus, in ſanguine tuo ignoſcas & emundes: quicquid neglex	imus, ſuppleas: ſi quid boni egimus illud velut tuum acceptes, adiungas tuis & Sanctorum meritis: perficias, & Deo Patri in Spiritu ſancto offeras in omnigenam hoſtiam nobíſque optatam

gratiam & omnium petitionum ſalutarem exauditionem cum eo dones: ac de cætero ab omni peccato & periculo nos præſerues, ad omnia tibi placita excites & confortes: & in morte nos defendas, conſoleris, ſuſcipias, & tuæ æternæ gloriæ participes facias, ſicut vis, ſcis & potes ad tuum honorem. Amen.

*Ante ſomnum oratio.*

SVPERAMANDISSIME IESV, niſi putarem tibi placere vt nunc hanc ſomni recreationem ſumerem certè libenter ab ea abſtinerem, vt in hoc ſenſualitatem meam abnegãs & affligens tibi gratum obſequium præſtarem & cæteros fructus abnegationis aſſequerer: Sed quia tu vis & conſulis vt eam ſumam, da mihi & tuis ac meis omnibus illam ſumere, non propter delectationem, ſed purè propter te, vt tuę voluntati in hoc amãter obediamus, & in ſeruitio tuo cõfortemur: & ſecundum te, ac iuxta menſuram & modũ tibi placentem: GRATIAS AGENTES, pro charitate qua tu hæc & omnia alia commoda tam libenter nobis tribuis: & eadem in tua humanitate illis vtens, ſanctificaſti: & qua dediſti ſanctis tuis eiſdem tam parcè & diſcretè vti: ERVBESCENTES: quod tam longè diſtamus à vigiliis & auſteritate Sanctorum tuorum: Et RESIGNANTES, nos ad quaſcunq; cõſulueris aut volueris vigilias & auſteritãtes: atq; OBSECRANTES, vt imperfectũ noſtrũ ſuppleas, & ad perfectiora quãdo & ſicut vis nos promoueas. Et interim hãc,

quam



quam propter te nunc ſumere intendimus ſomni recreationẽ, bñdicas & acceptes: Atq; per eam nos ad tuum ſeruitium confortes, Ad tuam & ſanctorum gloriam, noſtrarumque animarum ſalutem. Quod vt fiat, præſerua nos, obſecramus, ab omni inquietudine, immunditia & malo mentis & corporis: foue nos neceſſario & quieto ſomno, & fac vt oculis ſomnum capientibus, cor noſtrum ad te vigilet: Et quicquid in hoc neglexerimus, per cor tuum ſupple: Atque ſtatuto tempore nos excita, & fac vt alacriter & ſine mora ad tuas laudes & obſequia exurgamus. Quod propter te & per te facere deſidero & propono, ô Mater Dei & noſtra, ô Angele mî cuſtos, ô ſancti huius diei, ô Patroni mei & omnes ſancti orate pro nobis, noſque protegite, excitate, & ad ſurgendum alacriter adiuuate, & pro nobis interim dum dormimus Deum glorificate.

*Alia breuior ante ſomnum Aſpiratio.*

SVperamandiſſime IESV, quia vis vt nunc ſomnum ſumam: Ideò vt tibi obediam & in tuo ſeruitio confortet, volo & intendo nunc illum ſumere, non ſumpturus niſi tu velles, obſecrans te vt præſerues me ab omni peccato & periculo: foueas neceſſario & quieto ſomno, excites & facias alacriter ſurgere ad tuum ſeruitium tempore ſtatuto, quod per gratiam tuam facere propono. O Mater Dei & noſtra, ô Angele mî cuſtos, & omnes ſancti orate pro me & dormiẽtem protegite atque congruo tempore excitate.

Hanc

*Hac, vel ſimili aſpiratione in lecto facta, conare quantum potes vt ſomnum capias. Nec propterea tunc aſſumas fixam aliquam meditationem, etiam bonam, ne per eam ſomnus tibi neceſſarius impediatur. Si tamen vitioſæ cogitationes importuniùs te agitarent, tunc fructuoſè poſſes, imò deberes eas ſalutari aliqua meditatione, aut deuota aſpiratione repellere.*

*SEQVVNTVR ALIA EXERCITIA, quæ non habent certam horam conſtitutam, ſed occurrente occaſione ſunt frequentanda.*

*Atque in primis pro directione intentionis, quæ ante quodlibet opus ſummè eſt vtilis & neceſſaria, vt Deo ſit placens & meritorium.*

*Quando inchoaturus es aliquid quod ſcis Deo placere (qualia ſunt omnia quæ ex debito tui ſtatus & ordinis, vel ex obedientia & conſilio ſuperioris: vel ex fraterna charitate: vel ex propria neceſſitate ſunt agenda) ſic intentionem dirige.*

## CAPITVLVM VNDECIMVM.

SVPERAMANDISSIME IESV, quia vis vt hoc nunc agam: ideò ex amore tui, & deſiderio tibi ſeruiendi, illud aggredior in vnione operum tuorum: ad tuam gloriam & omnium ſalutem. Adiuua me, quia ſine te nihil poſſum.

*Quan*



*Quãdo ſentis te ad aliud quam id quod Deus vult, affici & inclinari, ſic te abnega, & intentionem tuam ante opus dirige.*

SVperamandiſſime IESV, libenter quidem hoc nunc ex propria voluntate agerem: ſed quia tu aliud vis: ideò tui amore meipſum abnegans, tibiquè obediens iſtud quod vis nunc aggredior in vnione operum tuorum. Ad tuam gloriam, & omnium ſalutem: adiuua me quia ſine te nihil poſſum.

*In dubiis ſi habes patrem ſpiritualem quem conſulere poſſis, petiturus ab eo conſilium, præmitte quod ſequitur.*

SVperamandiſſime IESV, quia vis vt te in patre meo ſpirituali ſuper hoc dubio conſulam & audiam: ideò tui amore volo humiliter, fideliter & deuotè conſulere, & quicquid reſponderit, quaſi ex ore tuo prolatum, reuerenter ſuſcipere, & amanter, ſimpliciter, fideliter & integrè implere, te adiuuante & donante.

*Poſt acceptum conſilium. Dic.*

SVpercolendiſſime IESV, gratias agens quod dediſti mihi te conſulere, & ex te, per patrem meũ audire & intelligere tuam voluntatem: tui amore volo, & per te firmiter propono eam fideliter & hilariter ac integrè implere, in vnione tuarum obedientiarum & operum, ad tuam gloriam, & omnium ſalutem.

*Quan*

*Quando non habes directorem, aut eum conſulere non potes, & dubitas in aliquo negotio, quid ſit Deo gratius. Sic Deum conſule.*

SVperamandiſſime IESV, tui amore multùm deſidero, nunc & ſemper quicquid tibi gratius fuerit, perficere. Et nunc Domine ſi haberem aliquem directorem, quem in hoc dubio conſulere poſſem, libenter tui amore, & deſiderio humilis obedientiæ tibi gratiſſimæ, vellem quicquid ille conſuleret, agere; nunc autem hominem talem non habeo, ſed habeo te inſtructorem manſuetiſſimum, conſultorem ſapientiſſimum, & adiutorem potentiſſimum: qui es mihi ſemper præſentiſſimus, intētiſſimus & promptiſſimus: qui ſolus ſcis, vis & potes nos ſalubriter inſtruere excitare & adiuuare. Et quidem fateor, quia propter meam multiplicem infidelitatem, inobedientiam, ſuperbiam, negligentiam & alia vitia, verè ſum indignus quem illumines & adiuues: Sed quia pietatis tuæ abundantia, & merita ſupplicum excedis & vota: quia dixiſti: Si quid petieritis in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis: ideo ex abyſſo miſeriæ & indignitatis meæ, abyſſum miſericordiæ & dignationis tuæ, amanter, fideliter, humiliter & confidenter inuoco: Et obſecro te, per tuæ diuinitatis in me præſentiam, omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem, per tuam erga nos nimiam charitatem, prouidentiam & benignitatem, & omnem eius effectum & plenitudinem. Per nominis tui

ſuauita-



ſuauitatem & virtutem, (O BONE IESV.) Per tui corporis ſacramētum & ſacrificium: per omnia quæ aſſumpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: per ſeptiformem ſpiritum tuum, & Angelicum miniſterium: per pijſsimæ matris tuæ amorem, dolorem & interceſſionem: per patronorum meorum & omnium ſanctorum merita & ſuffragia: tuorum & meorum ſpecialium, qui in hoc mundo ſunt, preces & auxilia: Ad tuam laudem & gloriam: per hæc, inquam, omnia obſecro te, vt ſicut ſcis, vis & potes me nunc & ſemper, SANCTIFICES, ab omni peccato, EXCITES, ab omni tepore & negligentia, CONFORTES, vires animæ & corporis: COMPONAS, modum & progreſſum: COHIBEAS, & remoueas omnia impedimenta: STABILIAS, me in incœpto opere: SVGGERAS, memoriæ quæ tibi placent: ILLVMINES, intellectum, tua prudentia: AFFICIAS, & ſuccendas voluntatem, ad id quod vis: Et Adiuues, vt verè, PROPTER TE tuumque amorem & beneplacitum: SECVNDVM TE, & ſapientiæ tuæ dictamen & directionem: PER TE, tuique ſpiritus operationem: ET TECVM, in tua præſentia manendo & tractum tuæ gratiæ perfectiſſimè ſequendo: ſciam, velim & poſſim aggredi, proſequi & perficere, quicquid in hoc negotio & in aliis omnibus gratius tibi fuerit.

Loquere ergo nunc Domine, quia audire & obedire deſiderat ſeruus tuus: loquere, inquam, & ſuggere mihi quid me velis facere.

Hîc

*Hic tu, ſemoto omni affectu, & omni animi tui propenſione ad alterutram negotij occurrentis partem: conſidera peratentè & grauiter cum Deo, rationes ex vtraque parte: earumque pondus & momentum æſtima, atque inter ſe confer: & vide & ſequere quod ſit Deo magis honorificum: Chriſti humanæ conuerſationi & ſanctorum exemplis conformius: æternæ tuæ ſaluti conuenientius: proximis vtilius: propriæ voluntati magis aduerſum: ac corpori ſeu ſenſualitati tuæ magis cruciabile & ignominioſum: Et vt attentiùs rationes ex vtraque parte ponderes, ſcribe illas (ſi licuerit:) ſemper audiens quid in te loquatur Dominus: deliberatione autem perfecta, poſtquam animaduerteris quid ſit Deo gratius, ad eum recurrens dic quod ſequitur.*

SVpercolendiſſime IESV, gratias tibi ago pro eo quod dediſti mihi te nunc conſulere, & ex te audire & intelligere hoc in iſto dubio tibi eſſe magis honorificum, vel tibi & ſanctis conformius: vel meæ æternæ ſaluti conuenientius: vel proximis vtilius: vel meæ voluntati & ſenſualitati magis aduerſum & durum ac propterea à me ſequendum: Et in eadem charitate obſecro te, confirma quod in me locutus es, & per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium adiuua & fac, vt iſtud & omne aliud tibi placitum aggrediar, proſequar & perficiam, Amanter, ſimpliciter & fideliter: humiliter & confidenter: magnanimiter & fortiter, liberaliter & humiliter: perſeueranter in vnione omnium operum



rum tuorum ad tuam & ſanctorum gloriam, meamque & meorum omnium ſalutem. Quod de me prorſus diffidens, ſed in te plenè confidens, firmiter propono.

*Prædicto exercitio vteris in dubiis grauioribus, & rebus difficilioribus, in leuioribus autem dices quod ſequitur.*

BOne IESV, libenter nunc alicuius patris ſpiritualis conſilium (ſi liceret) in hoc dubio, ſequerer, ſed quia talem non habeo: tu obſecro conſultor ſapientiſſime conſule quid me velis facere.

*Hîc delibera & perpende cum Deo rationes ad vtramque partem: & quod ex pluribus & fortioribus rationibus videris eſſe Deo gratius, illud ſequere: Dicens Deo poſt deliberationem.*

BOne IESV, gratias ago quod dediſti mihi te conſulere, & ex te intelligere quid ſit tibi in hoc dubio acceptius: Et obſecro te vt per ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium, dones mihi illud aggredi & perficere amanter, fideliter & perſeueranter in vnione operum tuorum ad tuam gloriam & omnium ſalutem. Quod de me diffidens, & in te confidens volo & propono, reſignans me nihilominus ad aliud faciendum, ſi aliud tibi magis placere oſtenderis.

*Si*

*Si deliberatione facta adhuc dubius permaneas: in grauioribus, quæ differri poſſunt, expecta donec poſsis alium conſulere: aut donec certius agnoſcas voluntatem Dei. In leuioribus autem & quæ differri non poſſunt, primum quod occurret ſequere, cum vera reſignatione ad aliud agendum, ſi id Deo magis placere intelligeres. Dic ergo.*

BONE IESV, deſidero in hoc negotio, quicquid tibi gratius eſt, ſcire & ex amore implere: quod cum ignorem nec liceat nunc alium conſulere, vel iſtud differre: Ecce hanc partem (quam tibi non diſplicere arbitror) aggredior & ſequor, reſignãdo me & paratum offerens ad ſequendam aliam partem, ſi eam tibi magis placere intelligerem. Adiuua me & imprudentiam meam excuſa, atque quod aggredior tuis operibus adiungens accepta, & conuerte ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

*Si in aliquo dubio, ſemel iam ex Deo aut patre ſpirituali aliàs intellexiſti quid ſit ſequendum, noli rurſus ſuper hoc deliberare: niſi nouæ rationes & occaſiones aliud requirerent: quibus non occurrentibus, cum ſimile dubium occurrit: Dic quod ſequitur.*

BONE IESV, quia iam conſuluiſti, in ſimili dubio iſtud ſequendum nec noua ratio aliud ſuadens apertè occurrit: tibique diſplicet infidelitas & inſtabilitas: ideò volo propter te, & per te propono id quod iàm conſuluiſti, nunc aggredi & perficere, ſimpliciter,





plicirer, ſine noua diſcuſſione, & fideliter abſque vlla dubitatione: Adiuua me & doce, quia ſine te nihil boni ſcio vel poſſum.

*Quando vis inchoare opus aliquod arduum & difficile, quod ſcis Deo placere, poteris hac prolixiori oratione intentionem tuam dirigere, & diuinam gratiam implorare.*

SVpercolendiſſime IESV, quia vis vt hoc opus arduum aggrediar: ideò tui amore me ipſum, propriamq; voluntatem & quietem abnegans, tibique obediens volo illud aggredi & perficere. Cæterùm in veritate tua agnoſco & confiteor, quia ad hoc non ſolum ſum ex me prorſus inſufficiens: ſed etiam propter meam infidelitatem, inobedientiam, ſuperbiam, negligentiam & ingratitudinem aliaque vitia tibi ſoli plenè cognita, verè indignus ſum per quem tu aliquid boni opereris: digniſſimus quẽ abijcias & infernum detrudas: cum toties te offenderim, irritauerim & tibi ingratus & inobediens fuerim. Sed (O Bone IESV pater & Domine) omnia tibi poſſibilia ſunt: Si vis, potes me ad hoc opus aptum & dignum facere. Quia ergo vis vt id perficiam: Te amanter, fideliter, humiliter & confidenter obſecro per tuæ diuinitatis in me præſentiam; omnipotentiam, ſapientiam & bonitatem; per tuam erga nos nimiam charitatem, prouidentiam & benignitatem & omnem eius; effectum: & plenitudinem. Per nominis tui ſuauitatem & virtutem (O BONE IESV:) Per tui corporis ſacramentum

& ſacrificium : per omnia quæ aſſumpſiſti
feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute : per
ſeptiformem ſpiritum tuum, & Angelicum
miniſterium : Per pijſſimæ Matris tuæ amo
rem, dolorem & interceſſionem: Per patro-
norum meorum, & omnium ſanctorum
merita, & ſuffragia : Tuorum & meorum
ſpecialium, qui in hoc mundo ſunt, preces &
auxilia : Ad tuam laudem & gloriam. Per
hæc, inquam, omnia obſecro te, vt ſicut ſcis,
vis & potes, me nunc & ſemper : SANCTI-
FICES, ab omni peccato: EXCITES, ab om-
ni torpore & negligentia: CONFORTES,
vires animæ & corporis : COMPONAS,
modum & progreſſum. COHIBEAS, &
remoueas omnia impedimenta: STABI-
LIAS, me in cœpto opere : SVGGERAS,
memoriæ quæ tibi placent: ILLVMINES,
intellectum: AFFICIAS, & ſuccendas vo-
luntatem ad id quod vis, & ADIVVES, vt
verè, PROPTER TE, tuumque amorem
& beneplacitum: SECVNDVM TE, & ſa-
pientiæ tuæ dictamen & directionem : PER
TE, tuique ſpiritus operationem : ET TE-
CVM, in tua præſentia manendo & tuæ gra-
tiæ tractum perfectiſſimè ſequendo ſciam,
velim, poſſim hoc opus agredi, proſequi &
dignè perficere in vnione operum tuorum:
Ad tuam & ſanctorum gloriam, meamque
& meorum ac omnium ſalutem. Atque vti-
nam in perficiendo hoc opere & in cæteris
operibus meis & locis, præſentiam tuam,
diuinumque lumen ſemper ſentiam: & ad-
uertam ex eo, quid quando & quomodo
agendum vel omittendum ſit, & ex hoc lu-

mine



mine tuo, non autem ex ſenſibus meis, vel
humana prudentia, ſemper operer. Vtinam
ex amore deiformique voluntate, modo ſu-
premo & amabiliſſimo tibi ſemper ſeruiam.
Vtinã etiam, atque millies & centies millies
vtinam, ex hoc opere & ex ſingulis operibus
per me factis & faciendis, tu tibi ipſi tam ſu-
premam laudem trahas & elicias: quam om-
nes Angeli & ſancti, imò & omnes creatu-
ræ ſimul tibi præſtare poſſent. Ad hoc bene-
dicat me tua omnipotentia : inſtruat me tua
ſapientia: inflammet me tua charitas: ſtabi-
liat me tua Trinitas: intrahat & vniat me
ſibi tua dulcis vnitas. Amen.

O Mater Dei & noſtra: O Michael. O An-
gele mi cuſtos, ô Archangele huius loci &
ordinis: ô omnes ſpiritus Angelici. O B. Ioã-
nes Baptiſta. Euangeliſta & cæteri patroni
mei. O ſancti huius diei & omnes beati ora-
te pro me, & ad hoc opus, aliaque Deo pla-
cita, me excitate, dirigite & adiuuate in
vnione operum veſtrorum.

*Quando inter agendum aliquod opus, difficultas occurrit, & te ad illud ineptiorem & tepidiorem ſentis. Dic.*

BOne IESV, ſcio & confiteor quia pec-
cata mea merentur gratiæ tuæ ſubſtra-
ctionẽ: vnde & hãc, quamdiu durauerit (qua-
tenùs pœna eſt) à te libenter ſuſcipio : gra-
tias agens pro paterna tua caſtigatione, &
propriæ meæ voluntatis ac ſuperbiæ mor-
tificatione: Verũtamẽ doleo quòd te offen-
di & ad perficiendũ, quod tibi placet, ineptũ
me reddidi. Obſecro vt omnem culpa meam
ignoſcas & cõſumas, & ab ea me præſerues,

pænam

pœnam & iram tuam quam merui clementer remittas & auertas: & ſicut ſcis expedire ad maiorem tuam gloriam & animarum ſalutem,& ſicut vis & potes adiuua & fac,vt,quod propter te cæpi, propter te dignè perficiam.Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam: & propter illud,da quod vis, & quantum vis, & ſicut vis, quoniam non deſidero in hoc opere mihi placere & ſeruire,ſed tibi. Vtinam dignè & perfectè.

*Deinde, ſi vis, Dic ſemel Pater noſter & Aue Maria.*

*Breuior inter agendum diuini auxilij imploratio.*

DEus, ne elongeris à me, Deus in auxilium meum reſpice, & da, vt quod propter te cœpi: per te dignè ac fructuosè perficiam. Amen.

*Exercitia pro operis cuiuslibet iam facti oblatione*

*Poſt opus aliquod arduum & notabile. Dic.*

SVPERAMANDISSIME IESV: Gratias ago tibi pro tuis & ſanctorum tuorum operibus: Et in horum vnione offero tibi hoc opus meum, gratias tibi agens pro intentionis directione,impedimenti ſubſtractione: laborioſo conatu, auxilio collato, &





voluntatis tuæ impletione: fateor quia ſuper omne meritum meum mihi beneſeciſti. Agnoſco tamen quia nihil dignum tua maieſtate egi: defleo multiplicem meam negligentiam, imprudentiam, imperfectionem & alios defectus in hoc opere admiſſos: quos obſecro,vt ignoſcas,ſuppleas,emendes & pro me ſatisfacias.& nihilominùs ſicut vis me corrigas: ſi quid verò boni per me actũ eſt: illud velut tuum in cor tuum ſuſcipe, adiunge tuis & Sanctorum operibus: accepta, perfice; abſconde, conſerua & offer ad tuam & Sanctorum gloriam, meámq; & meorum ac omnium ſalutem: & ad alia tibi placita nouo feruore me excita & adiuua.

*Breuior oblatio poſt quodlibet opus.*

BOne IESV, hoc opus in cor tuum ſuſcipiens,purifica,emenda, ſupple,adiungē accepta, conſerua, offer ad tuam & ſanctorum gloriam meámque & omnium ſalutem: & ad aliud tibi placitum me feruenter excita.

*Adhuc breuior poſt opus oblatio.*

BOne IESV, hoc opus in cor tuum ſuſcipiens, purga, adiunge, accepta & offer ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

*EXERCITIA QVOTIDIANA pro ſui odio & abnegatone & crucis amplexu.*

*Sollicitè & vigilanter aduerte, quo ſine & affectu ad ſingula quæq; occurrẽtia mouearis: & quoties ſenſeris te aliquid velle ex priuato amore & voluntate, non propter Deum, ſed propter tuum commodum aut delectationem: ſic te abnega.*

## CAPITVLVM DVODECIMVM.

SVperamandiſſime IESV, libenter quidem hoc agerem vel ſumerem: ſed quia non video te velle vt illud ſumam vel agam: ideò tui amore meipſum abnegans, hoc relinquo in vnione tuarum abſtinentiarum, vt ſic, quod tibi placet faciam, tibi conformer, peccata mea puniam, priuatum amorem & vitia mortificem: in amore tuo ac virtutibus proficiam: à pœnis æternis redimar, & gratiæ ac gloriæ tuæ particeps efficiar.

*Si autem videris Deo placere, vt illud delectabile ſumas, ad quod ex priuato amore te inclinari ſentiebas, ſic te abnega, & intentionem tuam reforma.*

SVperamandiſſime IESV, etſi ex propria mea voluntate ad hoc incliner: libenter tamen tui amore ab hoc abſtinerem, vt fructus abnegationis, ſicut vis conſequerer: ſed quia arbitror tibi placere vt illud ſumã: ideò





non propter meam voluntatem & commodum, ſed propter tuum beneplacitum implendum illud volo ſumere: reſignans me ad carendum eo, quoties conſulueris aut volueris.

*Quando tentaris aliquod delectabile ſumere, quaſi vtile ad te confortandum in Dei ſeruitio: ſi ex conſilio tibi dato, aut ex propoſito cum Deo facto ſtatueris ab eo abſtinere: ſic tentationi reſiſte.*

SVperamandiſſime IESV, etſi fortaſſe hoc delectabile poſſet me in tuo ſeruitio confortare: quia tamen conſuluiſti vt ab eo abſtineam, volo propter te libenter abſtinere, confidens quòd implendo tuum conſilium fortior ero, quàm contra illud aliquid vtile ſumendo: quia non in ſolo pane viuit homo, ſed in obſeruatione omnis verbi quod ex ore tuo procedit.

*Sumpturus recreationes cibi, ſomni, ignis, aut ſimiles tuæ ſanitati neceſſarias, vel vtiles & ſtatui tuo ac ordini conuenientes, quas vt ſumas arbitraris Deum velle. Dic.*

SVpercolendiſſime IESV, niſi putarem tibi gratum eſſe, vt hanc recreationẽ nunc ſumerem, libenter propter tui amorem & imitationem, meiq; odium abſtinerem: ſed quia vis vt illam ſumam, ideò volo purè propter te & ſecundum tuum beneplacitum illam ſumere. Adiuua me vt hoc ſciam, velim & perficiam, quia ſine te nihil poſſum.

*Habes in hoc libello ſupra prolixiorem cordis directionem ante refectionem cibi, & ante quietem*

*ſomni, quam ſi voles, poteris facilè applicare cæteris recreationibus per te ſumendis.*

*Quando honor, laus, fauor & quid ſimile tibi ab ab aliquo offertur. Sic cogita.*

SVPERAMANDISSIME IESV, verè agnoſco me indigniſſimum omni honore, laude & fauore: digniſſimum potius omni confuſione & perſecutione: ad quam me cum deſiderio reſignans honorem hunc & fauorem (quatenùs meæ ſenſualitati & propriæ voluntati arridet) odi atque cum erubeſcentia & auerſione illũ ſuſcipio. Quatenùs autem propter te mihi iſte fauor impenditur, aut me ad tibi ſeruiendum adiuuat, eatenùs inde gaudeo, ſicut gauderem ſi propter te alteri impenderetur: & illum in te (cui ſoli honor debetur & gloria) plenè refundo.

*Sequuntur exercìtia pro cuiuſlibet crucis ſeu aduerſitatis aut pœnalitatis amplexu & tolerantia.*

*Quando ſumpturus es aliquam pœnitentiam, aut afflictionem, ſeu rem duram, & tuæ ſenſualitati moleſtam, ex debito tuì ordinis: vel ex conſilio tui directoris ſeu confeſſoris: vel ex priuata Dei inſpiratione & deliberatione cum eo facta (quando non habes ſuperiorem, aut tibi ab illo permittitur vt facias quod tibi Deus inſpirauerit. dic.*

SVperafflictiſſime IESV pro nobis crucifixe: etſi meà ſenſualitas hanc pœnam horreat & recuſet: quia tamen conſuluiſti & vis vt eam ſumam; ideò tui amore & imitatione meipſum abnegans, & tibi obediens volo nunc illam ſumere. Adiuua me vt id perficiam feruenter, hilariter & fortiter, quia ſine te nihil poſſum: & tuis paſſionibus hanc meam crucem adiungens conuerte illam ad tuam & ſanctorum honorem, meámque & meorum ac omnium ſalutem.

*Si tenteris à talibus pœnis tibi conſultis abſtinere eo quòd videatur tuæ ſanitati aut ſpirituali exercitationi minùs congruere, vel etiam obeſſe, ſic tentationi reſiſte.*

BOne IESV, etſi fortaſſe hæc pœna meæ valetudini aut ſpirituali exercitationi minus conueniat, aut etiam videatur obeſſe: quia tamen conſuluiſti & vis vt eam aſſumam, quam diu apertè non obeſt, & aliter non conſulis: ideò tui amore & imitatione meipſum abnegans, tibíque obediens illam volo aſſumere & hilariter atque fortiter tolerare, certò confidens quod facies cum ea prouentum vt poſſim eam tolerare abſque notabili corporis & animi detrimento, imò cum fructu copioſo, ad tuam gloriam & meam omniúmque ſalutem. Adiuuua me, quia ſine te nihil poſſum.

*Si autem apertè videris, & expertus fueris aliquam ex præfatis pœnis tibi conſultis, eſſe tuæ ſanitati aut ſpirituali profectui contrariam, ac propterea debeas ab ea abſtinere de conſilio & diſpenſatione ſuperioris tui: aut (ſi non habes ſuperiorem) de interna Dei licentia. dic.*

SVperamandiſſime IESV, libenter ſecundum ſuperiorem voluntatem, vellem tui amore & imitatione hanc pœnam aſſumere vt tibi conformarer, cæteróſque crucis fructus aſſequerer, ſed quia expertus ſum eam meo profectui (quem tu deſideras eſſe nociuam aut minus vtilem: ideò cum tua licentia & conſilio, propter te ab ea abſtineo: reſignans me nihilominùs & offerens paratum ad eam & aliam quamcunque crucem amplectendam & perferendam quandocunque tibi placuerit, & obſecrans vt imperfectum meum ſuppleas, & infirmitatem meam adiuues, & confortes ad fortiter patiendum quicquid tibi placuerit.

*Quando aliqua infirmitas, aut alia tribulatio tibi accedit, cuius ſpecialem cauſam non agnoſcis præter Dei voluntatem. Dic.*

SVperbenigniſſime IESV, crucem hanc de paterna tua prouidentia & charitate, gratus & gaudens ſuſcipio, tanquam calicem ſalutarem, medicinam efficacem: annulum deſponſationis & occaſionem maximi lucri ſpiritualis: & quamdiù ipſa durauerit, volo propter te, & per te firmiter propono eam libenter & fortiter tolerare, ſic vt per eius dulcem & amoroſam tolerantiam, gratum tibi obſequium preſtem, tibi crucifixo conformer: peccata mea puniantur: amor priuatus in me mortificetur, & tuus amor cum virtutibus creſcat & confirmetur, ceteríque fructus cru-





cis tuæ in me renouentur. Adiuua me Domine & conforta me, quia ſine tua gratia nihil poſſum.

*Si putes Deo placere vt remedia ad crucem hanc propellendam à te, quæras & ſuſcipias, quatenùs in Dei ſeruitio ſis alacrior & aptior. Dic.*

VEruntamen quia per hanc crucem impedior à debitis mei ſtatus, vel à tuo ſeruitio, & arbitror te velle vt quæram licita & conuenientia media, quibus ab ea liberer: ideò propter te ſolùm & ſecundum te volo ea quærere & ſumere. Atque in primis obſecro te, Abba Pater potentiſſime, vt ſicut ſcis & quando & qualiter, ac quibus mediis noſti expedire ad honorem tuum & animę meę ſalutem vt ab ea liberer: & ſicut vis & potes me ab ea liberes: & des mihi ſcire, velle & poſſe ea omnia & ſola remedia aſſumere, quæ vis vt ſumam, ſícque omnem ſolicitudinem meam in te proiicere, & pacem cordis retinere, ſi illa infirmitas perſeuerauerit, ſicut ſi ab ea liberarer.

*Quando ex propria culpa putas te alicui tribulationi occaſionem & cauſam dediſſe. Dic.*

SVperbenigniſſime IESV, agnoſco mea culpa hanc tribulationem incurriſſe: doleo quod te offendi & ad ſeruitium tuum me ineptum reddidi: propono per gratiam tuam à tali culpa præcauere, & pro ea dignè pœnitere. Obſecro vt eam mihi plenè ignoſcas, & de tuæ paſſionis theſauro itam, quam

pro ea mereor clementer auertas: & ab hac tribulatione eatenùs me liberes, quatenùs noſti expedire ad honorem tuum, & animæ meæ ſalutem. Aut quamdiù ipſa durauerit, des mihi in vnione tuarum paſſionum eam tolerare ſic amanter, patienter & fortiter, vt per ſingula momenta gratũ tibi obſequium præſtem & cæteros crucis tuæ fructus aſſequar.

*Quando iniuria aliqua ab alio abſque tua culpa tibi infertur. dic.*

BOne IESV, etſi non arbitror me huic famulo tuo occaſionem dediſſe vt hanc iniuriam mihi irrogaret: ſcio tamen quia propter alia peccata mea ſum omni confuſione & pœna digniſſimus: vnde nullam mihi in hoc iniuriam fieri arbitror; ſed hanc crucem tua ordinatione per hunc famulum tuum, mihi miſſam & inflictam, gratus & gaudens ſuſcipio, tanquam calicem à te mihi datum & medicinam ſalutarem: & quamdiù durauerit, volo eam libenter in vnione tuarum iniuriarum tolerare; vt tibi gratum obſequiũ præſtem, & cæteros crucis fructus aſſequar: obſecrans te vt ad hoc me confortes & dirigas: & huic famulo tuo per quem ſic me caſtigas, & fructuosè exerces, veniam, gratiam & gloriam retribuas: & doceas me illum propter te veraciter diligere, pro eo orare, illiq; benefacere ſicut volueris. Cæterum hanc iniuriam ab eo mihi illatam, de paterna tua diſpoſitione, permiſſione & ordinatione tanquã medicinã ſalutarẽ gratis ſuſcipio, & in vnione paſſionum tuarum quandiù volueris eam cum gaudio tolerare volo & per te propono, vt ſic gratum tibi obſequium ex amore exhibeam, & peccata mea voluntariè puniam, priuatúmque amorem in me mortificem, & in amore tuo & gratia proficiam: atque à pœnis æternis redimar, & gloriæ tuæ particeps efficiar. Adiuua me Domine, quia ſine te nihil boni poſſum.



*Si putas Deo placere, vt zelo iuſtitiæ vel honoris Diuini, aut pro ſalute iniuriam inferentis, vel aliorum exemplo & ædificatione, propulſes & iure proſequaris iniuriam illatam. Dic.*

BOne IESV, libenter pro tui amore & imitatione & pecccatorum meorum caſtigatione hanc iniuriam paterer, abſque vlla reſiſtentia & mei defenſione, ſed quia puto expedire ad tuum honorem, & pro zelo iuſtitiæ, vel huius tui famuli ſalute & emendatione, aliorúmque ædificatione, aut etiam mea ad tibi ſeruiendum cõmoditate, vt hanc iniuriam via iuris proſequar, & propulſem: da mihi obſecro, vt purè propter te, & ſecundum modum tibi placitum hoc aggrediar & perficiam, cum integra reſignatione hanc & quamcunque aliam iniuriam tolerandi quoties & quamdiù volueris. Præſerua me etiam obſecro, ab omni ira, indignatione, odio & amaritudine aduerſus eum, qui hanc iniuriam intulit: & da, vt ex corde illi ignoſcam, eum amem, & illi benefacere ſemper paratus ſim quoties & ſicut volueris.

*Quando recipis iniuriam aut damnum aliquod ab eo quem tua culpa prouocaſti & irritaſti, dic.*

MItiſſime IESV, doleo quod hunc famulum tuum prouocando te offendi, & occaſionem ſe vlciſcēdo te offendēdi illi dedi. Propono per gratiam tuam ab huiuſmodi offenſa præcauere. Et offero me tibi ad patiendum & faciendum quicquid volueris aut conſulueris pro huius tuæ offenſę emendatione & ſatisfactione in vnione & virtute tuæ paſſionis. Obſecrans te vt dones mihi ſcire, velle & poſſe implere quicquid ad hoc fuerit vtilius: & per eandem tuam paſſionem, mihi & proximo per me irritato indulgeas offenſam contra te commiſſam, pro nobis ſatisfacias, nóſque paternè corrigas, emendes, iuſtifices & præſerues.

## *SEQVITVR EXERCITIVM generale pro quibuſcunque tribulationibus præſentibus aut imminentibus.*

### CAPITVLVM XIII.

O PATER miſericordiarum & Deus totius conſolationis præſentes & imminentes tribulationes noſtras & totius Eccleſiæ, hui⁹ regni & dominij, huius domus & cæterarũ noſtri ordinis, earum præſertim quæ in afflictione ſunt, & omniũ, maximè tuorũ & noſtrorũ ſpecialiũ, infirmorũ, pauperũ, captiuorũ, tentatorũ: & quacunq; tribulatione grauatorũ, de manu & diſpoſitione paternæ tuæ prouidẽtiæ ſuſcipiẽs, cùm multo ſpiritus gaudio 1 GRATIAS tibi ago pro paternę tuę voluntatis circa nos impletione, ſine qua





nihil prorſus poteſt nobis contingere, & per quam omnia ordinas & conuertis in bonum noſtrum: ſi tamen tibi conſtanti fide, ſpe & charitate adhærere ſtuduerimus.

2 Gratias tibi ago pro calice ſalutari à te patre noſtro nobis dato.

3 Pro medicina ſaluberrima.

4 Pro annulo deſponſationis.

5 Pro pignore certiſſimo tui in nos amoris.

6 Pro occaſione multiplicis lucri ſpiritualis.

7 Et pro omni bono ad quod iſtas tribulationes & cruces ordinaſti.

1 Et, maximè pro eo quòd per earum amoroſam propter te tolerantiam donas nobis gratum tibi obſequium præſtare.

2 Tibi paſſo conformari.

3 Peccata noſtra caſtigare.

4 Amorem priuatum cũ vitiis mortificare:

5 In amore tuo & virtutibus proficere:

6 Paſſionibus tuis communicare:

7 Et earum virtute patrem tuum honorare:

8 Iram eius auertere:

9 Gratiam ipſius impetrare:

10 A pœnis æternis & nociuis redimi & præſeruari:

11 Atque tandem tuæ gloriæ tantò copioſiùs participes fieri:

12 Quantò hîc in patiendo tibi conformiores fuerimus.

Horum omnium, quę tibi gratiſſima ſunt, & quæ tu vis à nobis deſiderari: horum, inquam, omnium deſiderio & ſpe præſentes & imminentes tribulationes cum gaudio & gratiarum actione ſuſcipio & amplector, & quandiù durauerint, tolerare volo,

& per gratiam tuam propono.

1 Verumtamen doleo, & quia vis, tecum contriſtor & lugeo (vtinam verè & cordialiter) quod noſtris multiplicibus peccatis iram tuam prouocauimus, & his tribulationibus iuſtam cauſam dedimus.

*Si ab impijs, iniuſtè tribulationes inferantur, dic ſequentem clauſulam.*

(Doleo & lugeo, quod perſecutores noſtri, te offendunt & irritant multipliciter.)

Doleo quod hæ tribulationes multis fiūt occaſio te offendendi per impatientiam, vel defectionem à iuſtitia.

2 Doleo de tui offenſa, inhonoratione, vilipenſione, & voluntatis tuæ tranſgreſſione.

3 Condoleo miſeriis, damnis & reatibus pœnarum ex prædictis peccatis prouenientibus.

4 Defleo bona quæ per has tribulationes impediuntur.

5 Timeo ne in his per impatientiam aut aliter te offendamus.

6 Diffido nos propriis viribus poſſe eas fructuosè tolerare, aut ab eis liberari.

7 Confugio ad te Patrem miſericordiarū, qui dixiſti, inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

9 Et ecce, quia vis & ſicut vis, in his tribulationibus, ex affectu omnium, & maximè tuorum & meorum ſpecialium afflictorum, te inuoco & OBSECRO per omnes paſſiones tuas & ſanguinis effuſiones.





9 Per matris tuæ amorem & dolorem incomparabilem.

10 Per Angelorum miniſteria & omnium ſanctorum paſſiones & merita: Vt nos omnes

1 ILLVMINES, clara & integra cognitione peccatorum noſtrorum.

2 COMPVNGAS vera contritione.

3 EXTRAHAS per veram & integram eorum confeſſionem.

4 Et ab his nos ABSOLVAS &, 5. Præſerues. Atque de tuæ paſſionis infinito theſauro plenam ſatisfactionem pro nobis Deo patri offerens, iram eius à nobis 6 AVERTAS: Et nihilominus non in ira ſed miſericordia tua nos caſtigans caſtiges & à peccatis ceſſare facias, quia nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas.

Cæterùm, licet quandiu durabunt hæ tribulationes, confidamus eas à paterno corde tuo in bonum noſtrum eſſe ordinatas: quia tamen tu vis, vt pro earum liberatione, & imminentium præſeruatione eatenùs te deprecemur & laboremus, quatenùs tu noſti expedire ad maiorem tui honorem & animarum ſalutem: ideò vt huic tuo deſiderio ſatisfaciamus, obſecramus te, vt intentionem noſtræ deuotionis adiungas efficaciæ & feruori, tuæ illius attentiſſimæ, deuotiſſimæ & efficaciſſimæ orationis, quā tu pro nobis in horto Olıueti cum ſudore ſanguineo fudiſti. Tuis ergo verbis & affectu tuo (atque vtinam eadem tecum attentione, deuotione & efficacia) te inter-

pellantes obſecramus. Abba Pater: omnia tibi poſſibilia ſunt, ô Pater, qui pluſquam paterna pietate, prouidentia & benignitate nos proſequeris ſi vis, potes facillimè ab his & imminentibus tribulationibus nos liberare. Cæterum, ô Pater ſapientiſſime, pijſſime & potentiſſime: tu ſcis qualiter, quando & quibus mediis expedit ad maiorem tui honorem, noſtramque ſalutem, nos liberari: tu vis quod eſt ad honorem tuum, cuius es zelator: tu vis etiam quod conducit ad animarum noſtrarum ſalutem, quarum es ardentiſſimus amator: tu potes quod vis, quia in ditione tua cuncta ſunt poſita, nec eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: Si decreueris nos liberare, continuò liberabimur: Ergò ſicut ſcis magis expedire ad honorem tuum & animarum ſalutem, & ſicut vis & potes libera nos. Et quia vis vt ad hoc tibi cooperemur, facientes quod eſt in nobis: Da per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium, vt ſciamus, velimus & poſſimus ea ſola & ea omnia media aſſumere ad hoc, quæ vis vt aſſumamus, & ſic omnem ſollicitudinem noſtram & omnium rerum euentum ſecurè in te proijcere. Ah non permittas nos proprio ſenſu aut quacunque alia ſuggeſtione, aliquod medium aſſumere, quod tibi diſpliceat: vel omittere, quod tu velis. Quod ſi per ignorantiam, negligentiam aut aliam cauſam in hoc deliquerimus, tu quæſo per ſuauiſſimum ſpiritum tuum & Angelicum miniſterium illud ſupple & corrige: ſic nobis etiam ignorantibus, vel negligentibus, imò





& renitentibus, omnia dirige & perduc ad eum finem, qui ſit ad tuum honorem & animarum noſtrarum ſalutem. Quæ omnia à te ſuperpijſſimo & ſuperpotentiſſimo patre amanter & fideliter petentes & confidenter expectantes: Ecce nos, omneſque tribulationes noſtras & ſpecialiũ noſtrorum, cæterorumq; afflictorũ, præſentes & imminentes commendamus & integrè reſignamus tuæ pluſquam paternæ prouidentiæ, pietati & benignitati, tuæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ, bonitati & charitati: & ſuper omnia, tuæ ſuperſanctiſſimæ, ſuperlaudabiliſſimæ, & ſuperdeſiderabiliſſimæ volũtati, diſpoſitioni & ordinationi, per quam facis omnia cooperari in bonum diligentibus te.

Pater ſi non vis transferre præſentes tribulationes, ſi vis alias etiam grauiores immittere, fiat voluntas tuas. Et hæc tuæ voluntatis impletio ſit nobis ſumma conſolatio, & omnis conſummationis perfectio. Hoc tantùm obſecramus, vt non patiaris nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facias cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere: & quantò fragiliores ſumus, tantò magis per ſeptiformem ſpiritum tuum, Angelicumque miniſterium, nec non per vitæ & paſſionis tuæ, matriſque tuæ & omnium ſanctorum, exemplum & meritum adiuues & confortes nos, vt hæc, & quæcunque aduerſa nobis contigerint, de paterna tua prouidentia ſemper ſuſcipiamus, nec quæramus ab his liberari, niſi propter te, & ſecundum te, Sed quandiu durauerint, illa in vnione paſſionum

tuarum toleremus: Cum iugi laude,& gratiarum actione: Cum humilitate, & noſtri abnegatione: cum obſecratione, confidentia & reſignatione: cum charitate, gaudio & pace: cum patientia & longanimitate: cum manſuetudine & benignitate: cum fide, fidelitate & modeſtia: cum continentia & caſtitate: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia ſerpentina & oris ſapientia: cum ſimplicitate & finali perſeuerantia: ſic vt per ſingula momenta percipiamus illum fructum ad quem illa aduerſa ordinaſti, & quem tuis paſſionibus nobis promeruiſti: Da igitur & fac, vt per amoroſam harum tribulationum tolerantiam, tibi gratũ amoris obſequium præſtemus: tibi conformemur: peccata noſtra voluntariè caſtigemus: priuatum amorem cum ſuis vitiis mortificemus: in amore tuo & virtutibus proficiamus: communicemus tuis paſſionibus; earumque fructum renouantes, tecum Deum patrem honoremus: iram eius auertamus, gratiam illius impetremus, redimamur à pœnis æternis & temporalibus animæ nociuis: & tuæ gloriæ, ac beatitudinis æternæ tandem ſimus participes.

*Si tribulationes, pro quibus oras, ab aliquo homine iniuſtè infligantur. Dic quod ſequitur.*

OBſecramus etiam te pro his qui nobis hæc aduerſa iniquè irrogant, tanquam pro præcipuis benefactoribus noſtris, & amabilibus inſtrumentis & miniſtris tuis, per quos nos purgas, caſtigas, exornas, perfi-





is & multis bonis ditas: obſecramus, inquam, ex tuo affectu tuiſque verbis, te pro illis interpellantes & dicentes: Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt, neſciunt planè quam grauiter te offendunt: quantum damnum & reatum ſibi acquirunt, & quantum bonum nobis afferunt. Igitur, O Bone Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, ſed quia in hoc miniſtri ſunt tuæ erga nos paternæ caſtigationis, tu pro bonis, quorum occaſionem nobis prębent, redde illis ſeptuplum in ſinu eorum, infundens eis ſeptiformem ſpiritũ tuum, qui illos illuminet, compungat, iuſtificet & beatificet: Et fac, vt eos propter te & ſecũdum te, diligamus, & quocunque bono pro ſua ſalute indiguerint, id illis, quantum poterimus, tui amore impendamus, vt ſic in bono, malum vincamus, & carbones ignis ſuper capita eorum congeramus.

Ah Domine purga nos & præſerua ab omni amaritudine, indignatione, ira, odio, detractione, maledictione & ſignis rancoris, omnique vindictæ appetitu & affectu aduerſus homines nos perſequentes.

*In quibuſlibet tribulationibus vndecunque venerint. Adde quod ſequitur.*

PRæſerua nos etiam (O Bone IESV) in his aduerſis ab omni impatientia, inordinata triſtitia, mentis deiectione: timore vano, puſillanimitate, & anxia ſollicitudine cæteriſque vitiis. Præſerua nos inſuper ab omni perplexitate, indiſcretione,

nimia extrouerſione, & inordinata conſolationis quæſitione. Et quicquid boni facere impedimur harum tribulationum occaſione, tu digneris abundè ſupplere per infinitum tuæ paſſionis meritum. Atque præſentes tribulationes noſtras, tuorumque & noſtrorum ac omnium afflictorum, tuis & ſanctorum tuorum paſſionibus & meritis adiungens, purifica, accepta, eaſdemque ſic vnitas, nunc & ſemper, maximè in hora mortis noſtræ tuo patri per ſuauiſſimum cor tuum, in ſpiritu ſancto offer in omnigenam hoſtiam pro nobis tuiſque & noſtris omnibus ſimul cum ſacra oblatione corporis tui: ſicque patrem tuum pro nobis honora: iram eius auerte: gratiam & amicitiam illius nobis reſtitue: noſque omnes ſic illumina & iuſtifica. Vt

1 Maieſtatem tuam adoremus & reuereamur.
2 Sapientiam & æquitatem tuam laudemus & glorificemus.
3 Bonitatem & benignitatem tuam amemus, & grato obſequio colamus.
4 Noſtram vilitatem & nihileitatem vilipendamus, & ab aliis contemni deſideremus & gaudeamus.
5 Peccata noſtra odio habeamus, & caſtigemus, caſtigarique ab aliis optemus & lætemur.
6 Inferni pœnas horreamus, & dignis pœnitentiæ fructibus præuenire ſtudeamus.
7 Te verum Deum & verum hominem, tuæque vitæ ſanctitatem amoroſè ſem-





per & vbiq; recogitemus & contẽplemur.
8 Virtutes tuæ crucifixæ humanitatis intelligamus, & ferventer imitari conemur.
9 Gloriam cæleſtem à te ſperemus, & ardẽter expectemus, ac ſtudioſè queramus.
1 Quod vt fiat, SANCTIFICA, & purga ac præſerua nos ab omni ſuperbia vitæ & vana gloria.
2 Ab omni concupiſcentia oculorum & inordinata cupiditate.
3 Ab omni concupiſcentia carnis & vitioſa voluptate.
4 LIBERA nos & præſerua à captiuitate diaboli:
5 A ſeruitute peccati.
6 A Vinculis prauæ conſuetudinis, & propriæ corruptionis.
7 CONFORTA, nos ad reſiſtendum diabolo, mundo & carni.
8 Ad tolerandam omnem ignominiam, penuriam & pænalitatem.
9 Ad aggrediendum, proſequendum & perficiendum omne tuum beneplacitum.

REDIME nos ab infernalibus pœnis æternis, & temporalibus malis animæ ſaluti nociuis: Et perduc nos ad æternam tuam gloriam: Vbi cùm beatiſſima matre tua, glorioſis Angelis, patronis noſtris & omnibus ſanctis, te cum patre & ſpiritu ſancto trinum & vnum Deum,

1 Stabiliter & inuariabiliter cogitemus & præſentem ſentiamus.
2 Adoremus & reuereamur.
3 Securè teneamus & poſſideamus, tibique plenè ſubijciamur.

4 Clarè facie ad faciem videamus.
5 Laudemus & glorificemus.
6 Admiremur, ſuperexaltemus & in tuam claritatem transformemur.
amore afficiamur.
7 Tuoque tui deſiderio ſuccendamur:
8 Repleamur tuo gaudio:
9 Satiemur tua fruitione:
10 Potemur tuæ voluptatis torrente.
11 Inebriemur ab vbertate domus tuæ.
12 Nobis morientes à te abſorbeamur.
1 A nobis deficientes in te tranformemur.
2 Ab omni proprietate exuti, à te ſolo poſſideamur:
3 A proprio actu naturali & diſcurſiuo ceſſantes, tuam inactionem ſupernaturalem patiamur.
4 Nobis mortui, in te & per te viuamus.
5 Sublatis omnibus mediis, tibi ſine medio vniamur.
6 Vnus amor & vnus ſpiritus, non per eſſentiam, ſed per perfectam voluntatis conformitatem, efficiamur.
7 Sicque in hac tua ſupereſſentiali vnione,
8 In pace indipſum dormiamus & requieſcamus,
9 Vt & tu gaudium & pacem in nobis habeas,
10 Tuumque præclariſſimum opus in nobis perficias,
11 Et nos modo ſupereminentiſſimo & perfectiſſimo tibi placeâmus & gratiſſimum præſtemus obſequium.
12 Ad tuã & ſanctorũ tuorũ gloriam & laudem, noſtramq; & omniũ ſalutẽ. Amen.

Sequi



*Sequitur exercitium generale, pro præſentibus tribulationibus abbreuiatum.*

SVperbenigniſſime IESV, præſentes tribulationes de paterna tua prouidentia ſuſcipiens, cum gaudio gratias ago de tuæ voluntatis circa nos impletione, per quam facis omnia, etiam aduerſa, nobis te diligentibus cooperari in bonum.

Gratias ago pro omni fructu ad quem iſtas tribulationes præordinaſti: Et obſecro te, vt dones nobis illas, quamdiu durauerint, tui amore & imitatione, tuoque merito & dono tolerare, in vnione paſſionum tuarum, cum iugi laude & gratiarum actione, cum humilitate & noſtri abnegatione, cum feruenti obſecratione, plena confidentia & integra reſignatione: cum charitate, gaudio & pace, cum patientia & longanimitate: cum manſuetudine & benignitate: cum fidelitate & modeſtia: cum innocentia & ſecuritate: cum prudentia & ſimplicitate, ac finali perſeuerantia, ſic vt per ſingula momenta per earum amoroſam tolerantiam gratum tibi obſequium præſtemus: tibi conformemur, peccata noſtra caſtigemus, priuatum amorem mortificemus: in amore tuo & virtutibus proficiamus: redimamur à pœnis æternis & nociuis, & participes tuæ beatitudinis tandem efficiamur, ad tuam gloriam ſempiternam. Et quia agnoſcimus nos propter infinita peccata noſtra, infinities duriora meruiſſe, & timemus ne iiſdem peccatis noſtris, iram tuam aduerſum nos prouocauerimus, & præſentibus tribulatio-

nibus

nibus iuſtam cauſam dederimus: Quia inſuper per hæc aduerſa à multis bonis impedimur operibus: & veremur ne per noſtram impatientiam, aut aliter in his te offendamus & eorum fructu priuemur: ideò dolentes (vtinam cordialiter) de noſtris contra te offenſis, confugimus ad te miſericordiarum patrem, quia dixiſti, inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me: & ſicut vis, te amanter & confidenter inuocamus & obſecramus: vt veram de peccatis noſtris contritionem, integram confeſſioně, & emendationem perfectam nobis dones: atque de theſauro paſſionis tuæ infinito, plenam pro illis ſatisfactionem Deo patri tuo offerens, iram eius quam meruimus auertas: & intentionem noſtræ deuotionis adiungas efficaciæ tuæ ardentiſſimæ orationis, quam tu pro nobis in horto Olíueti, cum ſudore ſanguineo fudiſti. Tuis ergo verbis & ex tuo affectu dicimus: Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt. O Pater, qui pluſquam paterna pietate & prouidentia nos proſequeris, ſi vis facilè potes ab his tribulationibus nos liberare. Cæterùm tu ſcis quando & quibus mediis expedit ad tuum honorem & animarum noſtrarum ſalutem, nos ab his liberari: Tu vis quod ad hoc vtrumque expedit: Tu potes quod vis, nec vllus poteſt tibi reſiſtere. Eya ergò ſicut ſcis expedire, ſicut vis & ſicut potes, miſerere noſtri. Et da nobis ſcire, velle & poſſe ea ſola, & ea omnia remedia pro harum tribulationum liberatione aſſumere,



mere, quæ vis vt aſſumamus: ſicque omnem ſollicitudinem noſtram in te ſecurè proijcere: & de manu tua, quicquid acciderit cum gaudio ſuſcipere. Ah non permittas nos aliquod remedium tibi diſplicens quærere vel ſumere, aut id quod vis, omittere: Quòd ſi in hoc deliquerimus: Tu benignè ſupple & emenda, & nobis etiam renitentibus, fac nobiſcum ſicut fuerit ad maiorem tuam gloriam & noſtram ſalutem. Quod à te confidenter expectantes, ecce nos totos & has tribulationes integrè offerimus & reſignamus tuæ pluſquam paternæ pietati, prouidentiæ & benignitati: Tuæ diuinæ potentiæ, ſapientiæ & bonitati: Tuæque ſuperſanctiſſimæ & ſuperdeſiderabiliſſimæ voluntati & ordinationi. Da igitur quod vis, & quantum vis, & ſicut vis & expedit ad tuum honorem, quoniam non deſideramus nobis viuere, ſed tibi, vtinam dignè & perfectè. Amen.

*Aſſueſce, & ſollicitus eſto omnia, quæcunque tibi vel proximis euenerint, de paterna Dei prouidentia ſuſcipere, & ex omnibus aliquem fructum capere: pro bonis & ſalutaribus Deo gratias agendo: pro malis vero & nociuis, Deum deprecando, gemendo & pœnitendo.*

*Quando igitur bona eueniunt, Dic.*

BOnorum omnium largitor Deus, hæc bona de tua bonitate & pluſquã paterna prouidentia gratus & gaudens ſuſcipio:

& obſe

& obſecro, vt des nobis illis vti purè ad gloriam tuam & animarum ſalutem, iuxta ſupremum tuum beneplacitum.

*Quando nociua eueniunt, Dic.*

BOne Deus, qui nunquam permittis mala fieri, niſi vt ex eis aliquod bonum elicias: Da nobis ex his malis illud bonum videre & aſſequi, ad quod ea ab æterno præordinaſti, & præſerua nos ab omni peccato, quia nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas.

EXERCITIVM PRO IMPE*tranda ſpirituali directione ſub æternæ ſapientiæ magiſterio: illi conueniens, qui vel aliorum eſt director aut prælatus, vel non habet ſpiritualem, à quo regatur, directorem.*

CAPITVLVM DECIMVMQVARTVM.

O Præſentiſſime, ſuperreuerendiſſime, ſuperamandiſſime & ſupercolendiſſime amator Domine IESV Chriſte magiſtrorum omnium optime & ſupreme. O Sapientia quæ ex ore altiſſimi prodijſti: attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponens omnia prudenter & ſuauiter. O Clauis Dauid, qui aperis, & nemo claudit: claudis, & nemo aperit. Etſi propter nimiam meam infidelitatem, inobedientiam, ſuperbiam, negligentiam, inſtabilitatem extrouerſionem





infinitáque alia mea vitia nouiſſima & antiqua verè indignus ſim quem tu illumines, dirigas, & in tuum diſcipulum recipias, quia tamen abundantia pietatis tuæ merita ſupplicum excedis & vota: quia dixiſti: Si quid in nomine meo petieritis, credite quia accipietis & fiet vobis. Ideò ex abyſſo miſeriæ & indignitatis meæ, abyſſum tuæ miſerationis, amanter, fideliter, humiliter & confidenter peto. Et obſecro per omnes perfectiones & miſerationes tuas: per omnia quæ aſſūpſiſti, feciſti & pertuliſti pro noſtra ſalute: per ſacramēti & ſacrificij Miſſæ oblationē, venerationem & virtutem omnem, per piiſſimæ matris tuæ amorem, preces & merita: per Angelicum miniſterium & conſilium: per Beatorum Ioannis Baptiſtæ & Euangeliſtæ cæterorúmque patronorum meorum & omnium ſanctorum orationes & merita: Per omnium, tuæ ſapientiæ diſcipulorum, & ſpecialium amicorum tuorum ac meorum ſuffragia & auxilia. Per hæc, inquam, omnia obſecro te, vt præteritis omnibus peccatis meis nouiſſimis & antiquis, propriis & alienis, benignus ignoſcas: & ab eis me perfectè ſanes & præſerues: ac de infinito vitæ & paſſionis tuæ theſauro, plenam pro eis ſatisfactionem Deo Patri tuo offerens, iram eius, quam me meruiſſe agnoſco, auertas. Et me nunc noua deuotione & dignatione ſuſcipias & aſcribas in Æternæ tuæ ſapientiæ diſcipulum & miniſtrum. Scis enim (BONE IESV) quantum indigeam magiſtro & directore, qui me in omnibus inſtruat, dirigat, excitet, confortet, & errantem vel inobedientē cor-

rigat & emendet, cum ſim ex me imprudens & ignarus, & in multis ſæpè dubius & perplexus: valdéq; inſtabilis & indiſcretus, modò remiſſior, modò feruentior: cùm etiam ſim poſt lapſum & propoſitorum tranſgreſſionem ad reſurgendum & dignè pœnitendũ tardior & negligẽtior. Et nũc Domine Deus, ſi hominem aliquem haberem, per te mihi in magiſtrum & directorem aſſignatum: libenter tui amore & propter ſimplicis obedientiæ tibi gratiſſimæ meritum, eius directioni & correctioni me totũ ſubmitterem, & quicquid ille conſuleret, vellem illud ſimpliciter, fideliter & perſeueranter implere: ſed cum talem hominem non habeam, obſecro te, cui derelictus eſt pauper, vt eandem gratiam quam multis fidelibus tuis, in conſimili neceſſitate conſtitutis contuliſti: mihi conferens, me in æternæ tuæ ſapientiæ, ſuauiſſimíq; tui ſpiritus diſcipulum recipias, retineas & confirmes: atque per ſuauiſſimũ cor & ſpiritũ tuum, Angelicúmq; miniſterium, magiſtri erga me ſuppleas officium, me in omnibus paruis & magnis, internis & externis, efficaciter & ſalubriter inſtruas, excites, dirigas, adiuues, ſtabilias & perficias, ſicut ad maiorem tuum honorem, meámq; & aliorũ ſalutem expedierit: & quoties tuum cõſilium fuero trãſgreſſus: me quæſo ſtatim reuoces, illumines, compungas, caſtiges: & cautiorẽ ac fortiorem reſurgere facias: Ecce enim ô Præceptor reuerendiſſime, æquiſſime & vtiliſſime. O Magiſter ſapientiſſime, diſcretiſſime & potentiſſime: O Legifer ſanctiſſime ſuauiſſime & iuſtiſſime: ô Inſtructor humilium, eruditor ſimplicium, & doctor mãſuetorum. O Conſultor prudentiſſime, adiutor fortiſſime, & conſummator perfectiſſime, qui es mihi ſemper præſentiſſimus, intentiſſimus & promptiſſimus, qui ſolus potes, ſcis, & vis me perfectè & ſalubriter purgare, illuminare, dirigere & perficere. Ecce iterum atque iterum nouo feruore me in tuam diſciplinam trado: téque in magiſtrum prę omnibus eligens, me totum tibi reſigno & committo: toto, quo poſſum, conatu & feruore concupiſcens: & in tua virtute & gratia firmiter proponens: ab omnibus vitiis, concupiſcentiis, negligentiis & tranſgreſſionibus meis paruis & magnis, & à cunctis quæ tibi diſplicent, ſtabili vſque ad mortem propoſito me auertere: vniuersíſque vanis creaturis abrenunciare: méque per fidem, ſpem & charitatem, ad te piiſſimum Patrem, Creatorem & Redemptorem meum toto corde cõuertere, tibíque Magiſtro meo vnico & ſupremo de cætero ſimpliciùs, fideliùs & perfectiùs ſemper vbîque & in omnibus obedire.

Atq; vtinã poſt hæc nihil agere præſumã ſine tuo permiſſu. Vtinã ad quodlibet verbũ, quod loqui voluero: ad quãcũq; buccellã, quã ſumpturus ſum: ad quẽcunq; oculi aſpectũ: deniq; ad cuiuſlibet mẽbri motionẽ: ſpecialẽ à te licentiã intùs petam: quam ſi teſte conſcientia mea, ſeipſum non quærente obtinuero, tandem id aggrediar: aliàs non.

Benigniſſime IESV, tu ſcis quantum hoc ſit mihi ad ſpiritualẽ profectũ neceſſarium: & tamen mihi prorſus, abſque ſpeciali tua gratia, impoſſibile. Tu autẽ, ſi vis facile potes

id mihi præſtare:nec dubito quin velis,quicquid ſaluti meæ conducit.Sicut ergo ſcis,vis & potes,hoc in me perficere digneris.

Quod vt fiat: emitte obſecro de piiſſimo corde tuo in animam meam; cœleſtem ſapientiam, per quam me foris & intus ita gubernes: vt nihil vnquam cogitem,dicam, agam,vel patiar,quantumuis exiguum,niſi expenſis primum illius circumſtantiis & fine,ex illuminata per te ratione, & cum interna tua licentia,hoc tibi placitum cognouero. Eya potentiſſime & ſuauiſſime magiſter, intus doce & moue me: atque tam ardenti continuo & efficaci amore tuo, ſpiritum meum ſic ſuccende & reple: vt continuè intrò reſpiciam,ſicut hactenus foras reſpexi:& anima mea aliquid foris dicente vel agente, ſpiritus meus igne tui amoris ſuccenſus & per Angelicum miniſterium excitatus, & adiutus, te intùs ſibi præſentiſſimum reſpiciat: & ex te clarè aduertat, quid & quando loquendum vel agendum, aut quando tacendum vel ceſſandum fuerit, & tunc ſtatim tuæ inſpirationi obediam, ne oculos tuæ pietatis offendam. Quòd ſi ſecus fecero,inde ſtatim pœniteam & propoſitum renouem.

Eya benigniſſimè IESV,iſtud ad ſpiritualem vitam & profectum mihi prorſus neceſſarium, ſicut ſcis,vis,& potes in me perficere digneris.

Da etiam vt ante ſingula opera mea, nomen & ſpiritum tuum deuotè inuocem: & ſemper ac vbique ambulem reuerenter in conſpectu tuæ diuinæ maieſtatis, honeſtis





& maturis geſtibus & moribus corporis & ſenſuum. Neceſſaria quoque & debita opera mea ſingula noua intentione inchoem, perficiam & offeram in vnione ſanctiſſimorum operum tuorum: ad tuam laudem & obſequium,omniúmque ſalutem. Et curam mei ipſius, & mihi commiſſorum, omniúmque rerum, in omni etiam neceſſitate & periculo, cum plena fiducia iactem in tuam fideliſſimam prouidentiam & pietatem pluſquam paternam, certò confidens quod omnia ſalubriter & ſuauiter diſpones & pro me reſpondebis & pugnabis: ſi tamen ſtuduero te in omni euentu laudare, tibíque gratias agere: meipſum humiliare, & pro tui amore abnegare: te fideliter & feruenter inuocare:in te plenè confidere: & me totum ac omnia in tuum beneplacitum in omnem euentum perfectè reſignare.Quod propter te volo,& de me diffidens,à te confidenter poſtulo:ac in te & per te facere,firmiter propono. Adiuua me Domine Deus meus, & qui das velle, da & perficere pro tua bona voluntate.

Da etiam mihi (bone IESV) claram ſpirituum diſcretionẽ, qua omnes laqueos diaboli & mundi: propriáſque naturæ quæſiſitiones, errores & exceſſus clarè agnoſcere & vitare poſſim: vniuerſa quæ mihi incumbunt tam exteriora quam interiora prudenter aduertere,rectè diſcernere: & ſuis debito modo,ordine & tẽpore exequi valeam: & inter plus & minus debitum virtutis obſeruem. In dubiis autem da vt ſolum beneplacitum tuum purè intẽdẽs, ſemoto omni

priuato affectu, & inuocato tuo ſpiritu, maturè tecum expendam quid tibi ſit magis honorificum: tuæ & ſanctorum vitæ & exẽplo conſirmius: proximis vtilius, meæ voluntati magis aduerſum, & corpori meo magis cruciabile & ignominioſum: Et quicquid tale, tuo lumine illuſtratus, agnouero & iudicauero: id propter te ſequar & impleam.

In grauioribus verò dubiis, & quando tuã internam illuminationem non ſenſero: da vt ab aliquo te timente & experto conſiliũ petam, humiliter reputando me indignum, quẽ tu per teipſum doceas: deuotè te obſecrando vt per illum me illumines: & confidenter expectando ac ſperando quod id facies. Poſtquam verò eius conſilium accepero, da vt rurſus tecum illud expendam & põderem, ac fideliter ſequar, niſi aliud tunc mihi inſpires & apertè oſtendas tibi magis placere.

Eya Benigniſſime IESV, quia vis, & ſicut ſcis, expedire, & vis & potes da, & fac vt ego:
1 Te mihi ſemper & vbique præſentiſſimum, intentiſſimum, & ad me iuuandum paratiſſimum iugiter credam, attendam & ſentiam.
2 TERSVEREAR, & in tua præſentia humiliter & honeſtè ambulem,
3 TIMEAM, & ſolicitè præcaueam te, vel in modico offendere.
4 INTENDAM, ante opus tuam voluntatem purè propter te in eo perficere.
5 CONSVLAM in dubiis, quid à me velis fieri, orando deuotè pro interna illuminatione.
6 AVDIAM, quid intus mihi loquaris, per





maturam conſiderationem eorum, quæ in occurrente dubio ſunt conſideranda.
7 VIDEAM, & ex te clarè intelligam, quid me velis agere.
8 ABNEGEM, prorſus meum iudicium & voluntatem, quæ tuæ illuminationi & conſilio dato minùs eſſent conformia.
9 Et OBEDIAM, ac impleam, quicquid conſulueris
10 AMANTER.
1 Etſi IMPLICITER. 2 ac FIDELITER: 3 HVMILITER. 4 & CONFIDENTER: 5 MAGNANIMITER: 6 & FORTITER. 7 LIBENTER: 8 & HILARITER: 9 FERVENTER: 10 & VELOCITER: 11 INTEGRE: 12 & PERSEVERANTER ad tuam laùdem & obſequium; méámq; & omnium ſalutem.

Da inſuper bone IESV, vt poſt omnem actum & locutionem, quam primum licuerit, meipſum coram te recolligam & examinem: bona, ſi quæ fuerint, tibi prorſus aſcribam, & gratus in cor tuum offeram, tuis vnienda & perficienda: defectus verò ſolicitè ponderem, defleam, diſcretè puniam: & propoſitum renouem, ſícq; poſt quamlibet trãſgreſſionem, humilior, cautior & fortior reſurgam: & in hac diſciplina tua cum omni humilitate: cum amoroſa, ſimplici & fideli obedientia: & cum conſtanti patientia vſque in finem perſeuerem pro tui amore & honore.

*Si volueris quædam propoſita de nouo coram Deo facere, aut iam facta renouare & confirmare:*

*vel ſuper aliquo dubio occurrente Deum conſulere dic quod ſequitur.*

ET nunc Domine Deus, deſidero tecum, & propter te, ac ſecundum te noua propoſita ordinatiùs vitam meã inſtituendi & diſponendi, inſtaurare: vt ex hac matura & deliberata tecum directione, omnia quæ ſic egero, diuina & tibi grata reddantur: loquere ergo Domine & ſuggere, quid à me fieri deſideres, quia audire & implere deſiderat ſeruus & diſcipulus tuus, quicquid ei conſulueris & inſpiraueris.

*Hic recollecto cum Deo ſpiritu, ea tibi deſcribe & propone ſeruanda, quæ tibi Dominus ſibi magis placere inſpirauerit: quod ſi renouare vis propoſita, iam maturè cum Deo facta: caue ſolicitè, ne ex leuitate vel inſtabilitate, abſque iuſta cauſa ea immutes, vel de his immutandis deliberes: ſed ſimpliciter fideliter & confidenter illa tantùm renoues, niſi occurrat noua ratio, quam teſte conſcientia, ex illuminata per Deum intelligentia, iuſtam & vtilem eſſe apertè cognoueris. Poteris autem talia propoſita deſcribere, vel per verbum imperatiui modi, tanquam Deo loquẽte, & ſuggerente: vel per modum orationis, petẽs à Deo, vt quod tibi inſpirauerit det etiã ſimpliciter & integrè perficere eius amore & obedientia. Qui poſterior modus videtur efficacior, quia dum relegis & recolis talia propoſita, ſimul oras & impetras gratiam Dei, ad ea implenda te excitantem & confortantem. Poſſes etiam illis præmittere hæc verba:*





BOne IESV, quia mihi ſequentia conſuluiſti, ideò propter tui amorem & obedientiam volo ea implere, & de me diffidẽs, ſed te confidenter obſecrans, in tua virtute & per tuam gratiam firmiter propono ea ſeruare, ſimpliciter, fideliter, confidenter & integrè. Volo igitur & propono: hæc & hæc facere. Et poſtea ante ſingulos articulos poteris repetere hæc duo verba: (volo propter te, & per te propono.)

Qui modus eſt duobus aliis efficacior, quia ſic magis inclinas voluntatem tuam ad eorum obſeruationem: & nihilominùs oras etiam pro gratia impetrandã.

*Poſtquam verò feciſti noua propoſita, aut iam facta renouaſti, adde quod ſequitur.*

BEnigniſſime Magiſter vnice: gratias tibi ago pro eo quòd dignatus es hæc propoſita mihi conſulere & inſpirare: atque ad eorum firmam cuſtodiam, voluntatẽ meam inclinare: & quia ſine te nihil eſt validum, nihil ſanctum: & ad perficienda quæ conſuluiſti, ex me nimis ſum infirmus, inſtabilis & remiſſus: obſecro te, vt qui dediſti velle, des etiam perficere pro tua bona voluntate: ac per piiſſimum cor tuum, & ſpiritum tuum Angelicúmque miniſterium des mihi præſcripta propoſita, propter te, ſecundum te, per te & tecum implere, amanter, fideliter, ſimpliciter, humiliter, confidenter, fortiter, liberaliter, hilariter: feruenter, velociter, integrè, & perſeueranter, donec tu

aliud apertè cõſulueris & inſpiraueris. O Mater Dei & noſtra, ô Angeli, patroni & omnes Sancti orate pro me.

*EXERCITIVM PROPRIVM ei qui ad prælationis munus eſt aſſumptus.*

CAPITVLVM XV.

O PASTOR bone & animarũ noſtrarum ſumme Pontifex & Epiſcope: qui me, licet indigniſſimum ad paſtorale munus vocaſti, aut certè vocari permiſiſti: qui huius officij põdus, difficultatem & periculum agnoſcis: qui meam ad illud inſufficientiam & indignitatẽ ſolus perfectè noſti, qui attendis & vides quã periculosè mihi, & infructuosè aliis, illud exerceã & exerciturus ſim: niſi gratia tua specialis & ſuperabundans imperfectũ meũ ſuppleat, & cõtinuè me adiuuet: qui nõvis mortẽ peccatoris, ſed vitã: qui abũdãtia pietatis tuæ & merita ſupplicũ excedis & vota: qui dixiſti, ſi quid petieritis in nomine meo, credite quia accipietis & fiet vobis: Peto bone IESV, in nomine tuo: peto quod ad meam ſalutẽ pertinet: peto in fide nihil hæſitans, ſed credens quia vis & potes me ſalubriter exaudire: peto inquã & in virtute tui feruoris, adiũgo intẽtionẽ meæ deuotionis efficacię tuæ illius attentiſſimæ, deuotiſſimæ & efficaciſſimæ orationis, quã tu in horto pro nobis cũ ſudore ſanguineo fudiſti: ex affectu igitur tuo tuiſq; verbis, te cõpello & obſecro: Abba Pater, omnia tibi ſunt poſsibilia: Pater ſi vis potes huius officij calicem à me transferre: porrò tu





ſcis quid magis in hoc expediat, ad tuũ honorem & animarũ ſalutẽ, & id vis ac potes: ergò ſicut ſcis magis expedire ad gloriã tuã, & animæ meæ omniúmq; tuarũ ſalutem, & ſicut vis ac potes, transfer à me calicẽ huius officij paſtoralis, & alterius cuiuſcunq; prælationis (qua me indignũ coram te veraciter agnoſco & profiteor) & committe hoc onus alteri, qui illud fructuoſiùs exerceat: me autẽ fac ſubditum & abiectum in domo tua: vt liberiùs ac deuotiùs tibi vacem, & ſalutem meã ſecuriùs operer: quod quantũ in me eſt, eligo, cupio, & vt citiùs in me perficiatur, ſi tibi placet, peto, quæro, & pulſans per omnes miſerationes tuas obſecro.

Veruntamen Pater, in hoc & in omnibus aliis non meã, ſed tuã deſiderãs perfici volũtatẽ: ſi non vis hoc onus à me transferre, non mea, ſed tua voluntas fiat. Neq; enim de manu tua quęcunq; recuſo laborẽ, fœlicem me putauero, ſi pro tuo amore & animarũ ſalute, aliquid me pati aut laborare volueris: Hoc ſolum conſcius meæ inſufficientiæ & indignitatis: per omnes miſerationes tuas & ſanguinis tui effuſiones deprecor, vt non in ira vel furore tuo, propter mea vel ſubditorum peccata, permittas me tam indignum, in hoc officio infructuosè & periculosè permanere: ſed in miſericordia tua multa & magna, aut me quandocunque aut quomodocunq; volueris ab hoc & ab omni alio prælationis officio abſoluas & pręſerues: aut certè, quantò ſum indignior & inſufficientior, tantò maiorem mihi gratiam infundas: meque ab omnibus vitiis, paſsionibus inordinatis &

omnibus aliis impedimentis dignè hoc officium implendi liberes & præſerues. Et in ea charitate, qua tu in Eccleſia tua paſtorale hoc munus ad ædificationem animarum inſtituiſti: & tu ipſe, paſtorum princeps, illud exercere dignatus es: & ſanctis tuis Apoſtolis, Epiſcopis, Abbatibus, & Monachorum paſtoribus (præſertim B. Brunoni noſtri Cartuſienſis ordinis inſtitutori & ſucceſſoribus eius: necnon ſanctis Benedicto, Bernardo, Auguſtino, Baſilio, Hieronymo, Antonio, Franciſco, Dominico, Ioanni, Romualdo, cæteriſque religionum ſanctarum præcipuis rectoribus) tam copioſam gratiam, ad hoc officium dignè & vtiliter adminiſtrandum dediſti: in hac inquam charitate & per eorum exempla, ſuffragia & merita: da etiam mihi & omnium ad hoc munus vocatorum minimo & inſufficientiſſimo: da Reuerendo Patri Generali noſtri ordinis & eius conſiliariis: da Viſitatoribus, Prioribus & cæteris eiuſdem noſtri ordinis Prælatis.

Da ſummo Pontifici, noſtro Epiſcopo Diœceſano, & aliis omnibus, ad hoc offitium promotis, de benigniſſimo corde tuo, & ſacratiſſimis vulnerum tuorum fontibus haurire, & iuxta regiam magnificentiam & liberalitatem tuam, largiter accipere dona, gratias & virtutes neceſſarias ad dignè & fructuoſè exercendum hoc officium: ad tuā gloriam, & animarum ſalutem.

Ante omnia ſuper nos omnes & ſingulos (quæſumus omnipotens & miſericors Deus) deſcendat & requieſcat iugiter ſpiritus tuus: Spiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus con-





ſilij & fortitudinis: ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & Repleat nos ſpiritus timoris & amoris tui, qui nos in omnibus moueat, excitet, dirigat & perficiat, ſicut expedierit ad maiorem tuam gloriam, & animarum ſalutem.

*Quæ ſequuntur, poteris per ferias diſtinguere, vel alternatim dicere, ſic vt vna vice dicas vnam ex ſequentibus obſecrationem & ſequenti die ſequentem.*

*Pro Dominica Die.*

DA etiam & fac benigniſſime paſtor IESV Domine. Vt nos prælati ſubditos noſtros omnes.

1 AMEMVS caſtè & purè propter te, ſecundum te & per te, abſque ſenſuali vel inordinata affectione.

2 REVEREAMVR, eos in corde noſtro, tanquam filios tuos dilectos.

3 SVPPORTEMVS, & piè toleremus eorum onera, paſſiones & defectus, ſalua iuſtitia.

4 CONGAVDEAMVS eorum profectui, & ad anteriora illos ſemper exhortemur, & promoueamus.

5 CONDOLEAMVS eorum defectibus & malis, & quantum poterimus, piè & charitatiuè eis ſuccurramus.

6 ESVRIAMVS & Zelemur eorum ſalutem: & delinquentes non omittamus arguere, increpare & corripere, cum omni diſcretione, modeſtia & charitate.

7 Ignoſcamus ex corde, ſi nos in aliquo

oſſenderint, nec propterea minus illos amemus, & foueamus beneficiis.

8 CVSTODIAMVS vigilanter & ſollicitè, ne aliquod peccatum vel ſcandalum noſtra negligentia incurrant.

9 EXEMPLO primùm, deinde etiam verbo, & tam priuata quam publica exhortatione inſtruamus eos viam ſalutis & ſemitas monaſticæ perfectionis (quãtum tu donaueris) & in dubiis prudenter illis conſulamus.

10 AFFABILITER & amicè cum omnibus cõuerſemur: ſtudendo omnes amare, & ab omnibus potius amari, quam timeri: tamen abſque nimia familiaritate, vel remiſſiori indulgentia.

11 PACIFICEMVS diſcordantes, & cum omnibus atque inter omnes, veram pacem & cum tua voluntate concordiam, habere & ſeruare ſtudeamus.

12 Denique pro omnibus ac ſingulis ſubditis noſtris, iugiter te exoremus, parati ſemper tui amore & imitatione, pro eorum ſalute animas noſtras, ſi opus eſſet, ponere: te adiuuante & confortante.

*Feria 2. Alia obſecratio.*

FAc nos (IESV paſtor bone) intercedente B. Gregorio Papa paſtore excellentiſſimo tales, qualem ipſe bonum paſtorem, in ſuo paſtorali, deſcripſit, & in ſe expreſſit.

1 Igitur fac nos, cogitatione mundos, & intentione rectos: vt à vanis abſtracti, quæ

diuina



diuina ſunt, cogitemus: ſanctorum exempla attendamus & tuum honorem ac beneplacitum in omnibus purè intendamus & quæramus.

2 Fac nos Actione præcipuos, & in omnibus exemplares, ſic vt bona omnia & ſancta ſubditis noſtris, ampliùs factis quam verbis demonſtremus: & non agenda, in noſtris actibus fugienda eſſe doceamus.

3 Fac nos Diſcretos in ſilentio: ne velut canes muti à debita & vtili exhortatione & correptione taceamus.

4 Fac nos vtiles in verbo: ne quæ ſunt tacenda proferamus: aut quæ bona ſunt, ſine ſale diſcretionis, vel ſine modeſtia & ordine dicamus: ſed da voci noſtræ virtutem & efficaciam multam.

5 Fac nos Compaſſione ſingulis proximos: eorum in nos perſonam transformantes, & eis paternè impendentes, quod nobis recta ratione fieri vellemus: ſi in tali ſtatu eſſemus.

6 Fac nos Contemplatione præ cunctis ſuſpenſos: teque in omnibus deuotè inuocantes, conſulentes, audientes & obedientes.

7 Fac nos benè agentibus per humilitatem ſocios: eis congaudentes, & ad anteriora illos exhortantes.

8 Fac nos contra delinquentium vitia, per iuſtitiæ zelum erectos, ſemper tamen oleum miſericordiæ & pietatis miſcentes vino iuſtitiæ & ſeueritatis, atque eos quos corripuerimus, nobis intùs, ex

humi

humilitate, præferentes: & huius etiam internæ humilitatis ſigna quædam foris oſtendentes.

9 Fac nos in exteriorum occupatione, interiorum curam non minuere.

10 In interiorum vacatione, exteriorum prouidentiam debitam non negligere.

11 Meditationi ſanctæ, & lectioni (quantum licuerit) ſedulò attendere & inſiſtere.

12 Non hominibus, ſed tibi ſoli placere velle: bona tamen coram omnibus prouidere, & ab omnibus amari ſtudere, non vt illis placeamus, ſed vt tu per nos, illis placeas & ab eis ameris, ſicque eos tibi lucrifaciamus, & efficaciùs ad te trahamus: Ad tuam gloriam noſtramque & illorum ſalutem. Amen IESV paſtor bone & ſupreme.

*3. Pro feria tertia Alia obſecratio.*

DA etiam nobis (Bone IESV) intercedente B. Bernardo Abbate eximio, ea vnguenta, quæ ipſe docuit paſtoribus eſſe neceſſaria, & in ſe habuit copioſè.

*Da igitur nobis nummo obedientiæ vnguenta manus & operis videlicet.*

1 Sobrietatem & Caſtitatem exemplarem.
2 Humilitatem & patientiam.
3 Pietatem & iuſtitiam.

*Da nobis nummo propriæ Abnegationis vnguenta Cordis.*





4 Bonitatem & compaſſionem.
5 Zelum & diſciplinam, ſeu correptionem.
6 Scientiam & diſcretionem.

*Da nobis nummo humilis confeſſionis vnguenta oris.*

7 Modeſtiam, in corripiendo.
8 Copiam in exhortando.
9 Efficaciam in perſuadendo.

10 Da vt Domum nobis commiſſam tanquam ciuitatem tuam cuſtodiamus vigilanter, fortiter & perſeueranter.

11 Da, vt oues tuas paſcamus, oratione, exemplo, vtili verbo & conuenienti ſubſidio.

12 Da vt ſponſas tuas, ſubditorum noſtrorum ſcilicet animas, ſtudeamus ornare cum zelo, prudentia & dulci amore.

*4 Pro feria quarta, Alia obſecratio.*

Da inſuper nobis paſtoribus (Bone IESV) intercedente B. Laurentio Iuſtiniano ea, quæ ipſe docuit ad hoc munus eſſe neceſſaria.

*Da igitur.*

1 Humilitatem cordis profundiſſimam.

2 Simplicitatem & intentionem puriſſimam.

3 Da zeli rectitudinem, in miniſtrando vnicuique iuſtitiam.

4 Charitatis ardorem in concupiſcendo omnium ſalutem.

5 Benignam condeſcenſionem, quatenus

cum infirmantibus, infirmemur: cum ſcandalizátis, vramur: & cum omnibus omnia efficiamur, vt omnes tibi lucriſaciamus.

6 Da magnanimitatis conſtantiam in perferendo labores paſtoralis ſollicitudinis.

7 Liberalitatem in tribuendo egentibus.

8 Da authoritatis fiduciam, in corripiendo delinquentes.

9 Et Exhortationis aſſiduitatem in releuando puſillànimes.

10 Denique da nobis cor docile, ſapiens ac intelligens, tuæque voluntati ſtabiliter adhærens.

*5. Pro feria Quinta. Alia obſecratio.*

1 DA nobis (Paſtor supremè) paſtoralé vigilantiá & ſollicitudinem.

2 Humilem de nobis diffidentiam.

3 Certam de tua bonitate & gratia confidentiam.

4 Charitatem erga omnes ſynceram & ardentem.

5 Diſcretionis gratiam, qua ſciamus quando, & cum quibus duriùs vel remiſſiùs loquendum vel agendum fuerit.

6 Da vt erga eos, qui nobis magis obſiſtunt & ſunt duriores, antè & poſt eorum correptionem, charitatis & beneuolentiæ ſigna oſtendamus & exhibeamus.

7 Læti illis occurramus, benignè reſpondeamus, & hilariter ſubueniamus.

8 Si in aliquo noſtram perſonam offende-





rint, ex corde illis ignoſcamus & dimittamus.

9 Nec minùs propterea illos amemus, ſed quaſi offenſi nō fuerimus, diſſimulemus.

10 Imò etiam peculiari beneficio illos lucrari, & in bono malum eorum vincere, carboneſque charitatis ſuper capita eorum congerere ſtudeamus propter te, & ſecundum te.

*6. Pro feria ſexta. Alia oratio.*

1 DA nobis paſtoribus (Bone IESV paſtor ſupreme) vt frequenter & diligenter recogitemus, qualis & quam grandis ſarcina noſtris ſit humeris impoſita, & quam diſtrictam de ea rationem in tremendo tuo iudicio reddituri ſimus, niſi ſtuduerimus prodeſſe magis ſubditis, quam præeſſe: & potiùs diligi, quam timeri.

2 Da etiam vt potiſſimùm ſimus ſolliciti de animarum nobis commiſſarum (quarum curam præcipuè ſuſcepimus) ſalute & profectu.

3 Nec hoc agentes, de tēporalium ſufficientia ſimus nimium ſolliciti aut anxij: ſed certò credamus & ſperemus, quòd nobis primum quærentibus regnū tuum & iuſtitiam eius, tu pijſſimus & liberaliſſimus ac opulentiſſimus paſtor & prouiſor, cætera ſufficienter & opportunè adijcies, cum te timentibus, & quod in ſe eſt, facientibus, nihil ad ſalutem neceſſarium deeſſe patiaris.

4 Da etiam vt omnia agamus & diſponamus cum timore tuo & amore, ſollicitè præcauentes, ne in aliquo tibi diſpliceamus, aut quod non vis, faciamus.

5 In dubijs & grauioribus, à ſenioribus, vel prudentioribus conſilium petamus, & audiamus libenter.

6 In omnibus, noſtri ordinis ſtatuta & conſuetudines laudabiles ſectemur, & obſeruari faciamus.

7 Quod vt fiat: Accende, quæſumus, in nobis zelum regularis diſciplinæ: quatenus nihil, quantumuis exiguum, in ſtatutis noſtris expreſſum, negligamus, vel contemnamus.

8 Nullas ſuper his diſpenſationes admittamus, vel concedamus, niſi propter euidentem vtilitatem: aut iuſtam neceſſitatem id fieri debere iudicemus.

9 Zelemur & fortiter, diſcretè tamen arguamus & puniamus tranſgreſſiones ſtatutorum noſtrorum, in nobis primùm, deinde etiam in ſubditis noſtris.

10 Cogitantes de te, confidamus quia tu de nobis & noſtræ curæ commiſſis cogitabis & ſollicitus eris. Propterea in hoc potiſſimum incumbamus, vt tibi propter te, ſemper & vbique placeamus: & in omnibus tuum beneplacitum ex amore impleamus: ſicque certò confidamus quia tu de noſtra noſtrorumque ſalute & promotione ſpecialem curam habebis.

11 Studeamus omni vigilantia amorem priuatum de cordibus noſtris & ſubditorum noſtrorum perfectè extirpare, & excludere,





dere, per tui amoris exercitium & profectum.

12 Et loco eius acquirere & in cordibus noſtris plantare ſanctum noſtri odium: crucemque & pœnas pro refrigerio eligere & aſſumere, tui amore & imitatione, vt ſic in omni euentu verè fortes ſimus, nulliſque tentationibus à te ſeparemur.

*7 Pro Sabbato, Alia obſecratio.*

BOne IESV paſtor ſupreme: ignem diuini tui amoris, quem voluiſti in terram mittere, & voluiſti vehementer accendi: atque in cordibus electorum tuorum, præſertim bonorum prælatorum, feruenter & copioſè accendiſti, digneris etiam in cordibus noſtris abundanter immittere & vehementer accendere, quatenùs ardenti, continuo & efficaci deſiderio & conatu, procuremus in omnibus tuum honorem & beneplacitum, animarumque nobis commiſſarum ſalutem & profectum.

1 Atque in primis exhibeamus nos ſubditis noſtris normam & exemplum, benè & religioſè viuendi: quietis, ſtabilitatis, deuotionis, & aliorum noſtræ religionis exercitiorum viuum & clarum exemplar in nobis exhibentes & oſtendentes.

2 Cum noſtris ſubditis in victu & veſtitu: & in ſequendâ Eccleſia & toto tam diurno quam nocturno officio, nos conformemus: niſi aliud valetudo, vel domus, aut officij negotia, ſiue alia legitima cauſa, exigant & cogant: nec occaſiones

exeundi foras monaſterium, quæramus, vel recipiamus, niſi neceſſarias.

3 Subditos frequenter viſitemus: & ſingulis, ſine perſonarum acceptione de neceſſariis prouideamus, pro vt vnicuique opus erit, iuxta noſtri ordinis formam & intentionem.

4 Infirmos, tentatos & afflictos, paterno amore & cura foueamus, ſupportemus & conſolemur.

5 Timoratos, & in via Dei proficientes, ad meliora ſemper accendamus: & tales nos omnibus exhibeamus: vt poſſint liberè in ſuis neceſſitatibus & tentationibus ad nos, tanquam ad benigni patris ſinum confugere, & ſua ſecreta nobis manifeſtare & committere.

6 Inquietos vero, indiſciplinatos, contumaces, deſides, negligentes & rebelles, fortiter & durè, charitatiuè tamen, reprehendamus, & diſcretè puniamus: nec peccata diſſimulemus, ſed mox vt oriri cæperint, ea radicitùs amputare ſtudeamus.

7 In corrigendis tamen exceſſibus modum teneamus, miſcẽdo tempora temporibus, & terroribus blandimẽta: ne conteramus calamũ cõquaſſatũ: & ne dũ collapſa cupimus erigere, caſũ inde inferam⁹ grauiorẽ.

8 Sciamus & cogitemus nos, domorum noſtrarum miniſtros eſſe, non Dominos, quib⁹ ſola adminiſtratio credita eſt: & de omnibus noſtræ domus negotiis generalẽ ſollicitudinem & prouidẽtiam habentes: curemus ea per fideles & idoneos officiales & miniſtros: rectè ſecundum te, & formam



formam ordinis noſtri & ſtatutorum noſtrorum: adminiſtrari, & diſcretè diſpenſari: ſollicitè curando, ne quid omnino rerum negligatur: ne quid diſpereat, neué quid malè expendatur. Et quæcunque exteriora negotia per alios cõmodè expediri poterunt, aliis credamus & cõmittamus.

9 Lites & proceſſus, quantum poterimus, fugiamus: & pacem cum aduerſariis, via amicabili ſi poteſt fieri, quæramus: vel oblatam amplectamur, & pacem cum omnib⁹ habere cupiamus & procuremus. Nec de factis alienis nos impediamus.

10 Mulierum, quamuis honeſtarũ, familiaritatem, cõſortium & ſuſpecta colloquia, caueam⁹. Et perſonas oẽs & tẽpora, & res, & actiones ſuſpectas & periculoſas deuitemus, ne ponam⁹ maculã in gloria noſtra.

11 Simus in dictis & factis noſtris vbique (maximè coram extraneis) exemplares, diſcreti, compoſiti: humiles, ſimplices, graues & maturi: vt bonum teſtimonium habeamus etiam ab his qui foris ſunt. Sitque in nobis ſimplicitas colũbina, & prudẽtia ſerpentina, vt bonus odor vitæ noſtræ apud te & homines vbiq; redoleat.

12 Denique da, Bone IESV, vt ſtatuta noſtri ordinis ac ordinationes & mãdata capituli noſtri generalis, inuiolabiliter obſeruemus, & obſeruari faciamus. Nihilque negligamus ex his, quæ ſtatum religionis concernunt: & ad quæ ex paſtoris officio aſtringimur, ſed ea omnia fideliter impleamus. Et ſi quę apud nos reformatione digna fuerint, nos ipſi ſollicitè ea refor

ea reformare curemus: vt nos re, ſicut & nomine Priores & paſtores dici & eſſe mereamur: & cum laborum noſtrorum finis aduenerit, eorum fructum à te ſupremo paſtore, miſericorditer ſuſcipiamus. Amen. ſicut ſcis, vis & potes. Benigniſſime IESV.

*Admonitio in ſequens Exercitium generale.*

## CAP. DECIMVMSEXTVM.

EXERCITIVM ſequens complectitur præcipuos actus, qui ad proficiendũ in via ſpirituali magis ſunt neceſſarij, & ſæpius exercendi ac frequentandi.

1 Primò enim hic deuotè recolis & gratias agis, pro eo quòd Deus tam nobiliter & ad tam beatum finem te creauit & ordinauit.

2 Exerces tres animæ tuæ vires ſuperiores in actibus propter quos à Deo ſunt datæ & creatæ.

3 Producis varios actus amoris erga Deum.

4 Exerces te ad ſtandum in Dei præſentia cum reuerentia & timore: & ad faciendum omnia opera tua cum pura & recta intentione propter Dei amorem & beneplacitum.

5 Inclinas voluntatem tuam ad perfectè obediendum Deo & vicarijs eius, in omnibus quæ conſulta vel prohibita tibi fuerint.

6 Excitas te generaliter ad tui abnegationem





nem & odium, ad crucis amplexum: & ad imitationem virtutum Chriſti, per varios fructus qui inde proueniunt, & per ſacra media quibus ad hæc iuuaris.

7 Peculiariter inclinas voluntatem tuam ad proprij iudicij tui perfectam abnegationem & relictionem.

8 Exerces te in odio & abnegatione tuæ propriæ voluntatis, & eorum quæ ei grata ſunt.

9 Inclinas voluntatem tuam ad amplectendum & tolerandum propter Deum crucem omnem.

10 Exerces te in generali odio & deteſtatione omnium & ſingulorum vitiorum: & in amore & deſiderio ſectandi omnes virtutes.

11 Proponis omnia euenientia ſuſcipere de paterna Dei prouidentia & ordinatione.

12 Proponis ſæpius examinare & diſcutere actus tuos: & pro delictis veniam petere ac pœnitere: pro bonis autem, gratias Deo agere, eaque Chriſti operibus vnire & offerre.

Nota autem diligenter, & pondera hæc verba, quæ in hoc Exercitio ſæpius repetuntur: videlicet (volo propter te, & de me diffidens, te confidenter obſecto: ac in te & per te firmiter propono hæc & hæc facere) In his enim verbis primò producis actum voluntatis dicendo (volo) 2. Dirigis intentionem tuam, addendo (propter Deum) 3. de te diffidis. 4. Confidenter Deum obſecrans. 5. Confidis in Dei gratia & adiu-

torio. 6. hac confidentia fundatus & confortatus, facis firmum propoſitum implendi efficaciter actum voluntatis, quem ab initio produxiſti. Quæ omnia ſunt valdè efficacia ad aſſequendum, quod ſic vis & proponis: & ad plantãdum in anima tua bonos habitus, & eradicandum malos. Ex frequentibus enim actibus volendi generantur vel eradicantur habitus: idque efficaciùs, quando illi actus fiunt propter Deum, & cum imploratione diuini auxilij, cui innituntur. Propterea quoties volueris virtutis alicuius habitum acquirere, vel alicuius vitij eradicare habitum: vtere prædictis verbis, & ad ſingulos actus particulares ea repete, aut ſaltem hæc duo, ſcilicet (volo propter te & per te propono) ſub his enim reliqua virtualiter continentur. Vtiliſſimè etiam ſequens exercitium ſemel in die (ſi per otium licuerit) aut ſaltem ſemel qualibet hebdomada, deuotè exercebis. Cæterùm ſi dum dicis (volo hoc & hoc) non ſemper ſenſeris tuam voluntatem inclinari ad hoc acceptandum, quod te velle profiteris: concupiſce ſaltem & deſidera id efficaciter velle: ſic enim iam quodammodo illud voles, ac propterea veraciter dicere poteris. (volo hoc) ſcilicet deſideranter etſi non perfectè & efficaciter.





## *SEQVITVR EXERCITIVM generale, continens praxim præcipuorum actuum, qui ad proficiendum in via ſpirituali magis ſunt neceſſarij.*

1 *Gratiarum actio pro beneficio & fine noſtræ creationis.*

O Domine Deus, toto corde tibi gratias pro eo quòd dignatus es me ad imaginem & ſimilitudinẽ tuam creare, ad hunc finem: vt per memoriam te recolam, recogitem & adorem: per intellectum, te recognoſcam, cõtempler & glorificem: per voluntatem te amem, tibíq; cõgratuler, atq; ex amore tibi obediẽs tuáq; mandata & conſilia obſeruans, gratum tibi obſequium, (quia vis & es ſuperdigniſſimus) exhibeam: atq; in his nunc perſeuerans: poſt hanc vitam particeps efficiar tuę claræ viſionis & laudis: beatificæ fruitionis, & ſecuræ poſſeſſionis: totiúſque tuæ beatitudinis.

2 *Exercitatio trium ſupremarum animæ virium in his actibus propter quos ſunt creatæ.*

ET nunc Domine Deus, vt tanto beneficio tantæq; dignationi & charitati tuæ non ſim ingratus: ſed contendam aſſequi finem propter quem me tam nobiliter creaſti: Ecce gratia tua excitatus, volo propter te, & de me diffidens, ſed confidenter te obſecrans, firmiter in te & per te propono, te ſemper & vbique (quantum donaueris) adorare glorificare, amare, & ex puro amore tibi ſeruire & obedire.

Et nunc, quantum, te adiuuante poſſum, te trinum & vnum Deum Creatorem & gubernatorem omnium, tota mente & memoria recolo, recogito, adoro & reuereor, tibíq; me plenè ſubiicio, humilio & proſterno.

Toto intellectu, te credo, agnoſco, contemplor, laudo & glorifico & ſuperexalto,

Tota voluntate, te amo, diligo & amplector; tibíq; cõgratulor pro omni bono quod es, quod habes & operaris: quæ toto corde & affectione tibi pro omnibus beneficiis tuis mihi & cæteris creaturis collatis, gratias agens: meipſum totum cum anima & corpore, omnibúſque viribus & ſenſibus, offero in omne obſequium & ſeruitium tuum, ad omnia, tàm aduerſa, quàm proſpera, in tempore & æternitate.

### 3 *Sequuntur diuerſi actus amoris Erga Deum.*

O Domine Deus, qui es omnia in omnibus: & in quo ſupereminenter ſunt omnia, & qui es ſuper omnia infinitè excellens:

1 Te ſolum in omnibus, & omnia in te ſolo, & propter te ſolum, téq; ſuper omnia amo & amplector, & ſic ſemper amare volo, & per te propono.

2 Te ſuper omnia appretio, præeligo, appeto, & quæro: paratus cæteris omnibus, propter te abrenunciare, quotieſcunque & quomodocunque volueris.

3 Tibi omne bonum potius quam mihi, appeto, cupio & faueo.





4 Tuúmque honorem, & tui beneplaciti impletionem, magis quam quodlibet bonum meum, amo, appeto, & totis viribus procurare volo, & per te propono.

5 De omni bono tuo, & pleno dominio ac beatitudine, deque tuo honore, & voluntatis tuæ impletione, magis gaudeo tibíque congratulor: & ſemper magis gaudere volo, & per te propono: quàm de quocunque bono meo, vel cuiuſlibet mihi amiciſſimi.

6 Pro mea beatitudine duco & reputo, quod tu (qui es magis meus, quàm ego ipſe: qui etiam es meus pater & amicus fideliſſimus & ſupremus) habeas infinitam gloriam, opulentiam, potentiam, ſapientiam, plenum dominium & omniũ bonorum cumulum, cum æterna ſecuritate.

7 Tuas laudes, perfectiones & virtutes cum maiori gaudio & complacentia recogito, audio & aliis prædico, ſempérque recogitare & prædicare volo, & per te propono: quàm meas, vel cuiuſlibet mihi amiciſſimi laudes recogitarem aut referrem.

8 Volo, deſidero, & millies ac millies opto, totíſque viribus procurare per te propono: vt omnes ac ſingulæ rationales creaturæ te cognoſcant, adorent, glorificent, ament, tibíque congratulentur, & ex puro amore ſeruiant, ac perfectè obediant.

9 Ad tuæ diuinitatis claram viſionem, & continuam laudem: perfectámque dilectionem & fruitionem: ac æternam & ſecuram poſſeſſionem, adorationem, abſorptionem, transformationem & inſeparabilẽ vnionem: quia vis & ſicut vis, tandem peruenire volo,

cupio, & in te confidenter expecto: atque ad hoc tendere & conari ſemper totis viribus, & conuenientibus mediis ac ſtudiis, te donante & operante propono: idque non propter meum bonum & commodum, quod inde mihi prouenit: ſed purè propter te: vt ſic gratiſſimum tibi & perfectiſſimum obſequium exhibeam: & gaudium tuum in me ſit, & ſicut vis impleatur.

10 Volo inſuper propter te, & per te firmiter propono, omnibus diebus vitæ meæ, te ſæpiùs (atq; vtinam poſſem iugiter) ſic adorare, glorificare, amare, amplecti, tibíque congratulari, & ex puro amore ſeruire: atque ad tuam beatificam fruitionem & vnionem tendere, & ardenter aſpirare.

4 *Exercitium pro ſentienda Dei præſentia, & intentionis directione.*

1 O Vnitrinæ Deus Creator & conſeruator omnium: 1. Te mihi ſemper & vbique eſſe præſentiſſimum, intentiſſimum, & ad ſuccurrendũ promptiſſimũ, credo, confiteor & ſentio: atq; volo propter te, & per te firmiter propono, ſic te mihi præſentiſſimũ ſemper & vbiq; ſentire quantũ tu donaueris.

2 Te etiam Omnipotentem & ſupremũ dominũ adoro, reuereor, & cum profunda, intima ac humillima ſubmiſſione, me totum tibi ſubiicio, proſterno & reſigno: magíſque ac magis te ſemper reuereri volo & per te propono.

3 Te Patrem meum ſuperpiiſſimum, filiali & caſto timore timeo, & ſemper timere





volo, & per te propono, ſollicitéque in omnibus præcauere: ne in aliquo te offendam: & beneplacentem voluntatem tuam omiſſione aliqua, vel commiſſione tranſgrediar.

4 Volo etiam, & per te propono: te in omnibus, & ante omnia purè intendere: nullúmque opus internum, aut externum aggredi, niſi propter amorem & beneplacitũ tuum. videlicet, vt tibi propter teipſum (quia es omni ſeruitio ſuperdigniſſimus, & quia vis, & ſicut vis) gratiſſimum obſequium ex puro tui amore exhibeam: nõ autem propter meũ commodum & bonum, quod inde mihi prouenire poſſet: ad quod nolo reſpicere & attendere: niſi quando & quatenus tu volueris vt attendam: videlicet vt pro eo gratias tibi agam: vel per id exciter & conforter ad ſeruiendum tibi feruentiùs.

5 Propterea volo, & per te firmiter propono, ante cuiuſlibet operis inchoationem, cõſiderare & videre, an tu velis me illud aggredi, & ſi videro te id velle: propter te illud perficiam. Si verò animaduertero te nolle, aut minùs tibi placere, vt hoc agam, tui amore ab eo abſtineam.

6 Porrò quæcunque ex debito mei ſtatus aut officij: vel ex tuo aut ſuperiorum meorum expreſſo præcepto vel conſilio: aut pro ſpirituali mea, aut proximi debita neceſſitate agere occurrunt: debeo & volo abſque dubio credere, te velle vt ea aggrediar: & ſic ſtatim illa propter te perficere.

7 In dubiis autem volo propter te, & per te propono cõſulere ſuperiorẽ aut directorẽm meũ (ſi ſub alterius directione fuero) & quic-

quid ille conſuluerit, tanquam à te cõſultum propter te fideliter implere.

8 Si verò non habuerim directorem aut ſuperiorem, quem poſſim & debeam conſulere: volo & per te propono in primis per deuotam orationem te obſecrare, vt voluntatem tuam in hoc dubio manifeſtes. Deinde per maturam tecum deliberationem, rationes ex vtraque parte occurrentes maturè conſiderare, earúmque pondus inter ſe conferre: & omnia rurſus in conſpectu tuo ponere.

9 Atque id demum eligere ac implere, quod omnibus hinc inde conſideratis, te inſpirante iudicauero eſſe tibi magis honorificum: tuæque & ſanctorum vitæ & conuerſationi conformius, proximis vtilius: & meæ propriæ voluntati magis contrariũ, corporique meo & ſenſualitati magis durum & ignominioſum.

10 Quod ſi iſta faciendo, non poſſim clarè intelligere, quid in occurrente dubio velis per me fieri: tunc volo, & per te propono requirere conſilium ab aliquo te timente & experto: idque humiles reputando me indignum, cui tu per te ipſum reueles in hoc tuã voluntatem: & deuotè ac confidenter, obſecrans te, vt per eum, quem ſic conſuluero, mihi rectè conſulas: fideliterque credens id tibi gratius fore, quod mihi ab eo fuerint conſultum: niſi aliud tu poſtea apertiùs mihi ſuggeras.





## 5 *EXERCITIVM PROPTER fecta obedientia, & impletione voluntatis Dei & Superiorum.*

OBedientiſſime IESV, volo propter te, & de me diffidens, ſed te confidenter obſecrans: in te, & per te firmiter propono: quicquid tu, vel per te ipſum, vel per tuum vicarium & miniſtrum mihi conſulueris, id omne aggredi & perficere.

1 AMANTER, ex puro tui amore, & ex deſiderio gratum tibi obſequium propter te præſtandi.

2 SIMPLICITER, non ampliùs diſcutiendo, vel deliberando, an, quod iam conſuluiſti, tibi placeat.

3 FIDELITER, credendo abſque hæſitatione, id tibi placere.

4 HVMILITER, cum mei ipſius diffidentia, & abſque vanæ gloriæ & laudis appetitu vel complacentia.

5 CONFIDENTER, ſperans, quod tu ad id me confortabis.

6 MAGNANIMITER & FORTITER, proſpera contemnendo, & aduerſa tolerando, quæcunque oportuerit pro tui conſilij impletione, relinquere vel tolerare.

7 LIBERALITER & GRATIS, non quærendo, vel attendendo (ſaltem principaliter) in hoc meam vtilitatem, ſed tuam voluntatem.

8 HILARITER, abſque triſtitia, tædio vel querela.

9 FERVENTER, abſque tepiditate & remiſſo langore.
10 VELOCITER, ſine mora & inutili dilatione.
11 INTEGRE, non in vno tantum, ſed in omnibus à te conſultis, obedientiam præſtando.
12 ET PERSEVERANTER, vſque ad perfectam conſilij dati impletionem, & vſque in finem vitæ ſub hac obedientia perſeuerando.

*Exercitium peculiare pro impletione bonorum quæ conſulta ſunt.*

VOlo igitur propter te (bone IESV) & per te propono: quicquid per te aut tuũ vicarium mihi conſulueris agendum & ſectandum: id omne, quantumcunque meo proprio iudicio aut voluntati fuerit contrarium:
1 Credere bonum eſſe & mihi ſalutare.
2 Ac propterea illud tanquam verè bonum, amare & acceptare, ac deſiderare.
3 Et de me deſperando, à te id ſperare.
4 Viriliterque & perſeueranter illud proſequi & perficere.
5 Eóque adepto & perfecto, tibi ſoli, tanquam præcipuo eius auctori, pro eo gratias agere.
6 De illo, non in me, ſed in te ſolo gaudere & gloriari: lætando quod per illud gratũ tibi obſequium præſtiterim: aut quia ex eo ad tuum ſeruitium reddar allacrior.
7 Agnoſcere & deflere, quod non perfecerim





illud in ea puritate & perfectione, quæ decebat te, & quam à me exigebas.
8 Committere illud cordi tuo purgandum, ſupplendum & perficiendum, tuiſque meritis vniendum.
9 Offerre illud ſic vnitum, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.
10 Et nouo feruore ad alia opera tibi placita perficienda me excitare & accingere.

Quòd ſi aliquid tale mihi conſultum, ſine legitima cauſa, omiſerim facere: volo, & & per te propono, inde propter te triſtari, conteri, & dignis pœnitentiæ fructibus id emendare: & propoſitum, illud de cætero fideliùs & perfectiùs implendi, cum tuo adiutorio, renouare & confirmare.

*Exercitium pro eorum, quæ prohibita ſunt, fuga, & continentia.*

QVicquid verò tu, bone IESV, aut tuus vicarius mihi conſuluerit fugiendum, & vitandum: volo propter te, & per te propono,
1 Credere illud, (quantumcunque meo iudicio & propriæ voluntati bonum & gratum apparuerit) eſſe mihi malum & nociuum, ac fugiendum.
2 Ac propterea illud odio habere & horrere.
3 Timere ac præcauere ſollicitè ne illud incurram aut agam.
4 Audacter & conſtanter illud fugere, recuſare & ei reſiſtere.
5 Etſi contigerit (quod abſit) me illud incurriſſe: volo, & propono per te & propter te

inde triſtari, conteri & dolere, propterea quod tuam voluntatem, quam debueram ex puro amore ſequi & implere, ſum tranſgreſſus.

6 Volo etiam, ex zelo tui honoris & iuſtitię fructibus pœnitentiæ dignis, hanc tranſgreſſionem punire & emendare.

7 Et ſic in te, & per te reuocare & cõfirmare propoſitum, & de cæterò cautiùs & fortiùs ab eo & cæteris per te prohibitis continere.

6 *Exercitium generale pro ſui odio & abnegatione, crucis amplexu, & virtutum Chriſti imitatione.*

SVperamandiſſime IESV, qui in Euangelio dixiſti: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me, vt huic tuo conſilio & voluntati ex puro amore obediam: volo, & de me prorſus diffidens, ſed te confidenter obſecrans, in te & per te firmiter propono: de cætero meipſum in omnibus abnegare, crucem, quamcunque volueris amplecti & tolerare: & tuas virtutes imitari & ſectari: quatenus ſicut vis, & quia vis, fructus inde prouenientes aſſequar, nimirum

*Fructus abnegationis & crucis.*

1 Vt iſta agendo gratum tibi obſequium præſtem: tuam voluntatem propter te implendo.

2 Vt tibi (qui es caput meum & totius perfectionis exemplar) conformis & ſimilis efficiar.

3 Vt peccata mea, (quibus tuam voluntatem ſum tranſgreſſus) voluntaria caſtigatione, ſicut vis, puniam.



4 Vt mortificem, & de corde meo eradicem priuatum amorem, ſuperbiam, cupiditatem, voluptatem, & cætera vitia.

5 Vt proficiam & exercear in tui amore, & in vera humilitate, paupertate, patientia & cæteris virtutibus.

6 Vt tuis paſſionibus & meritis communicem, eaque mihi efficaciter applicem.

7 Eorumque virtute & vnione, tecum patrem tuum honorem.

8 Iram eius, quam peccando meruimus, auertam.

9 Gratiam illius & amicitiam, donaque ſui ſpiritus, & virtutes impetrem.

10 Redimar & præſeruer à pœnis inferni & purgatorij, & à præſentibus iræ tuæ flagellis animæ nociuis.

11 Confortet, ad patienter & meritoriè tolerandum præſentis vitæ miſerias, & paternas tuas caſtigationes.

12 Tandemque tuæ beatitudinis æternæ, tantò perfectius efficiar particeps: quantò in prædictis nunc fuero tibi conformior.

Hi enim ſunt fructus prouenientes ex noſtri abnegatione, crucis baiulatione & virtutum tuarum imitatione, quos tu vis nos deſiderare & aſſequi. Horum igitur, quæ tibi ſunt gratiſſima, deſiderio & intentione, iterum atque iterum millies, & centies millies, volo propter te, & per te propono me ipſum abnegare, crucem meam ferre, & te ſequi.

Sequun

*ſequuntur adiutoria & ſacra media, ad ſui abnegationem, crucis baiulationem & chriſti ſequelam obtinendam, vtilia & efficacia.*

SEd quia ad hæc, me prorſus inſufficientem & impotentem agnoſco & confiteor: Te amanter, fideliter, humiliter & confidenter obſecro. Vt

1. Per ignem tui amoris, & ardens, continuum efficax deſiderium tibi placendi, tuamque voluntatem implendi.
2. Per tuæ conformitatis, & imitationis affectum.
3. Per zelum iuſtitiæ, & puniendi peccata mea, mortificandique priuatum amorem cum affectibus vitioſis.
4. Per vitæ & paſſionis tuæ merita infinita.
5. Per tui corporis & ſanguinis ſacratiſſimum ſacramentum, & ſacrificium.
6. Per tui ſpiritus ſeptiforme donum & adiutorium.
7. Per Angelicum miniſterium & auxilium.
8. Per ſanctiſſimæ matris tuæ exemplum & interceſſionem.
9. Per patronorum meorum, & omnium ſanctorum ſuffragia & exempla.
10. Omniumque electorum tuorum, qui adhuc in hoc mundo degunt, conſilium & auxilium.

Per hæc, inquam, omnia obſecro te





confidenter, vt ſicut ſcis expedire ad maiorem tuum honorem, & animæ meæ, proximorumque ſalutem, & ſicut vis & potes, me illumines, excites & confortes ad hoc, vt ſciam, velim & poſſim efficaciter & perſeueranter meipſum ſemper, vbique & in omnibus abnegare: crucem meam, quamcunque baiulare: & te in virtutibus ſequi & imitari.

## SPECIALE EXERCITIVM,
*Pro abnegatione proprij iudicij & ſenſus.*

ET nunc, de tuo adiutorio, per prædicta ſacra media piè confidens & præſumens: & ad aſſequendos prædictos fructus: volo propter te, & per te firmiter propono, proprium meum iudicium de cæterò ſemper abnegare: Sic vt quoties mea opinio vel iudicium contrarium, tuo, vel Vicarij tui, mei ſuperioris conſilio aut iudicio fuerit, illud relinquam: captiuando intellectum meum in obſequium amoroſæ & ſimplicis obedientiæ: Et credendo firmiter id, quod tu per te ipſum, aut tuum Vicarium mihi conſulis, & vis per me fieri, eſſe tibi gratius mihique vtilius, quantũcunque mea propria ratio & iudicium aliter ſenſerit: dummodò non aduertam id, quod ſuperior meus mihi conſulit, eſſe contrarium tuæ expreſſæ voluntati. Tunc enim ſuperioris iudicium non deberem ſequi, ſed tuum: in

cæteris autem, licet ex ſuo genere vilibus aut indifferentibus, ſemper eſt tibi gratiſſimum & mihi ſaluberrimum ſequi ſuperioris, vel directoris mei iudicium & conſilium, tui amore, & deſiderio perfectæ abnegationis, & ſimplicis obedientiæ quam à nobis exigis conſulis & præcipis.

8 *Pro abnegatione propriæ voluntatis, & ſui ipſius odio, Exercitium ſpeciale.*

PRopriam vero meam voluntatem, (quæ non eſt tuæ, vel vicarij tui voluntati conformis) & per quam aliquid cupio & volo, non propter te, neque ſecundum te: ſed propter me, meamque vtilitatem:

1 Credo eſſe radicem & cauſam præcipuam omnis peccati, & transgreſſionis tuę voluntatis, ac totius mali.

2 Ac propterea illam tanquam hoſtem meæ ſalutis certiſſimum & pernitioſiſſimum, perfecte odi, & ſemper odio habere & horrere volo propter te, & per te propono.

3 Ac timere ſemper, continuaque vigilantia ſollicitè præcauere: ne eam ſequar & eius concupiſcentiis obediam.

4 Quicquid etiam illi gratum eſt, quicquid illa ſuggerit & concupiſcit (qualia ſunt huius ſæculi honores, diuitiæ & voluptates ſuperfluæ) id omne, quatenùs tale eſt, hoc eſt, quatenus à propria voluntate, non propter te concupiſcitur verè malum, & mihi nociuum eſſe credo.

5 Ac propterea volo propter te, ac per te propono, illud recuſare, fugere, odio habere & horrere.

6 Et ſi contigerit, me tale aliquid quæſiuiſſe, aut acceptaſſe, volo & propono inde triſtari, & conteri, pœnamque aliquam pro eius expiatione, in vnione paſſionum tuarum aſſumere.

7 Et renouare propoſitum de cæterò cautiùs & fortiùs talia recuſandi & fugiendi.

8 Denique volo propter te, & per te confidenter propono, nihil vnquàm deliberatè quærere vel acceptare, quod huic meæ voluntati gratum ſit, niſi putauero te velle, vt illud ſumam.

9 Et niſi ſenſero me ad illud ſumendum moueri, non ex proprio appetitu & commodo (ſaltem primò & principaliter) ſed ex deſiderio implendæ tuæ voluntatis, quia vis me illud ſumere.

10 Cum integra, & non ficta voluntate, ab eo abſtinendi niſi tu velles me illud ſumere.

9 *Pro qualibet Cruce amplectenda. Exercitium ſpeciale.*

QVicquid etiam propriæ meæ voluntati durum, aut ingratum eſt, quicquid illa non propter te, ſed propter ſe, horret & refugit (qualia ſunt, ſalutares humiliationes, pœnurię, afflictiones & cęteræ cruces) id omne, quatenus à propria voluntate, peſſimo meo hoſtè recuſatur:

1 Credo eſſe mihi ſalutare: ex cuius nimirum dulci tolerantia, fructus præfatos crucis aſſequor.

2 Ac propterea illud amo, eligo ac deſidero: & ſemper amare & deſiderare volo propter te, & per te propono.
3 Peto etiam & ſupplico, vt ſicut videris expedire, tale aliquid mihi, per quemcumque volueris, infernis: aut conſulas, vt tale aliquid, voluntariè aſſumam.
4 Quicquid autem durum & graue mihi conſtitueris per te ipſum, aut tuos Vicarios, vt aſſumam volo propter te, & per te firmiter propono, illud voluntariè hilariter & viriliter aggredi: & fideliter, confidenter ac perſeuerãter, quamdiu volueris, tolerare.
5 Quicquid verò tale mihi aliunde fuerit illatum: volo propter te, & per te propono, illud de manu & ordinatione tua, cum laude & gratiarum actione ſuſcipere, tanquam calicem & medicinam ſalutarem, & pignus tui amoris, occaſionemque maximi lucri ſpiritualis.
6 Atque id cum charitate, gaudio & pace, quamdiu volueris, tolerare, in vnione paſſionum tuarum.
7 Nec vnqnam eum, qui mihi tale aliquid irrogauerit, odio habere, aut vlla maleuolentiæ ſigna illi oſtendere, & multò minùs, vindictam de eo appetere aut ſumere.
8 Sed potiùs ex corde illi ignoſcere: ſicut deſidero mihi à te ignoſci meas contra te, offenſas.
9 Et ipſum propter te, & ſecundum te, verè diligere, ac pro eius ſalute orare: beneficiumque omne, quo ſalubriter indiguerit, illi pro viribus præſtare, tui amore & imitatione.





10 Quod ſi expedierit, vt qui mihi iniuriam intulit, puniatur, vel reprimatur, pro ſua ſalute & emendatione, vel pro zelo iuſtitiæ, & aliorum exemplo, aut alia iuſta cauſa: volo, & in te propono eius repreſſionem & punitionem, non ex propriæ vindictæ appetitu deſiderare aut proſequi: ſed duntaxat propter te, quia tu vis vt id faciam, & ſecundum te, per media tibi placita: cum integra voluntate maiora patiendi, & nullam iniuriantis punitionem procurandi, niſi tu aliter velles & conſuleres.
11 Denique volo propter te, & per te propono: nullam omnino afflictionem, vel crucem, vndecunque veniat, recuſare, aut procurare vt ab ea liberer, niſi putauero te velle, vt illam recuſem, vel ab ea liberari procurem.
12 Et niſi ſenſero me ad eam recuſandam & propulſandam moueri, non ex proprio appetitu, & quia meæ voluntati dura & integra eſt, ſed ex tuo amore & deſiderio implendi tuam volũtatem, qua vis, me eam crucem recuſare & propulſare: idque cum integra, & non ficta voluntate illam amplectendi & tolerandi, niſi tu velles me eam refugere.

### 10 *Exercitium generale, pro deteſtatione & fuga omnium vitiorum: & amore ac amplexu omnium virtutum.*

ET quia tu fons omnis ſanctitatis & puritatis, ſummè odis & deteſtaris omne vitium: & vis etiam nos illud odio habeamus & deteſtemur: ideo tui amore & imita-

tione, tuoque dono & merito odi, deteſtor, horreo, & ſemper magis odiſſe, deteſtari & fugere volo propter te: & de me diffidens, ſed te confidenter obſecrans, per te firmiter propono, omnes motus, affectiones & actus ſuperbiæ, arrogantiæ, vanæ gloriæ, iræ & impatientiæ, odij & inuidiæ, Acediæ & pigritiæ, Auaritiæ & prodigalitatis, Gulæ & intemperantiæ, Luxuriæ & immunditiæ, cæterorumque omnium & ſingulorum vitiorum.

Volo etiam propter te, & per te propono potius quælibet damna & aduerſa ſubire & pati, quam vlli peccato, etiã minimo, ſcienter & deliberatè conſentire: ne te, (quem ſuper omnia amare, tibique in omnibus obedire debeo, & toto corde volo, ac per te propono) offendam tuamque voluntatem transgrediar.

Quia inſuper tu virtutum omnium fons & exemplar, largitor & remunerator, vis vt virtutes omnes amemus, ſectemur & exerceamus: ideo tui amore & imitatione, tuoque dono, & merito: amo, accepto, amplector, eligo, & magis ac magis ſemper amare, ſectari & exercere volo propter te, & per te propono: omnem humilitatem & modeſtiam, patientiam & manſuetudinem, amorem tui & obedientiam, charitatem proximi & beneuolentiam, pium luctum & compaſſionem, orationem & deuotam meditationem, eſuriem iuſtitiæ, ſtrenuitatem & fortitudinem, miſericordiam & iuſtitiam ac liberalitatem: temperantiam, ſobrietatem & cordis munditiam, prudentiam, caſtitatem &





tem & pacificationem, perſecutionum & tribulationum tolerantiam propter iuſtitiam: & in his cæteriſque virtutibus continuum profectum, exercitationem & finalem perſeuerantiam.

11 *Propoſitum accipiendi omnia contingentia, de manu Domini.*

CVm autem, ne vnus quidem paſſer cadat ſuper terram ſine te: nihilque omnino poſſit contingere ſine tua paterna prouidentia, quæ in ſui diſpoſitione nunquam fallitur: & per quam omnia, quantumuis mala ordinas in aliquod bonum, & facis ea cooperari ad ſalutem electorum tuorum: ideò volo propter te & per te propono, omnia quæcunque euenerint, tam aduerſa, quam proſpera, de hac paterna tua prouidentia & diſpoſitione immediatè ſuſcipere, in omnibus te laudare, tibique gratias agere pro bono ad quod occurrentia ordinaſti, me ipſum humiliare & abnegare, te confidenter obſecrare, & omnem ſollicitudinem & anxiam curã, in omni euentu in te fiducialiter proijcere, meque totum & omnia tibi plenè reſignare ac committere: & ex omnibus ac ſingulis fructum aliquem reportare, ad tuam laudem & gloriam animarumque ſalutem.

12 *Propoſitum examinandi conſcientiam.*

DEnique volo propter te, & per te propono, ſæpius, aut ſaltem ſemel in die,

omnes meas cogitationes, affectiones, locutiones, operationes & omiſſiones, coràm te diligenter examinare, diſcutere & ponderare: Atque pro ſingulis tuæ voluntatis transgreſſionibus & peccatis triſtari, conteri, veniam petere, pro illis tuam paſſionem offerre: & in illius vnione meipſum, ad quamcunque volueris pœnam, reſignare: pœnitentiam aliquam particularem, ſicut per te, aut per tuum Vicarium conſulueris pro illis voluntariè & viriliter aſſumere: propoſitumque abſtinendi ab illis, cæteriſque peccatis: fortiùs renouare & inſtaurare.

Pro omnibus autem benè actis ( ſi quæ fuerint ) volo propter te, & per te propono, tibi eorum præcipuò authori & datori, deuotas gratias agere: eademque tuis operibus & meritis vnire, vt illa purgentur, ſuppleantur & perficiantur, tamdemque ſic vnita, ſimul cum tuis meritis offerre Deo patri, ad eius ſupremam gloriam & omnium ſalutem.

*Sequens clauſula, non ſolum hîc in huius generalis exercitij ſine: ſed etiam poſt ſingula particularia, quæ in eo continentur, exercitia, vtiliter repeti poterit pro imploratione cœleſtis auxilij ad impletionem propoſitorum.*

ADiuua me Domine Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, quia ſine te nihil boni ſcio, volo, nec poſſum perficere. Qui ergo das velle & proponere, da etiam perficere pro bona voluntate tua & benignitate.





Eya & tu benigniſſima mater Dei & noſtra, ſemper virgo Maria, monſtra te eſſe matrem ſummatque per te & impleat has & cæteras præces noſtras: qui pro nobis, natus tulit eſſet tuus. O Michael, ô Angele mî cuſtos, & Archangele: ô B. Ioannes Baptiſta & Euangeliſta, cæterique mei ſpeciales patroni: omneſque Angeli & ſancti orate pro me, & impetrate gratiam ad prædicta omnia neceſſariam.

# PRÆFATIO IN SPECIALIA DEVOTIONIS EXERcitia ad beatiſſimam genitricem ſemper virginem Mariam.

QVONIAM *voluntas Dei eſt, vt præcipuo deuotionis affectu totiſque medullis cordium honoremus & veneremur beatiſsimam virginem Mariam Dei genitricem, in qua totius boni plenitudinem poſuit & nihil nos habere voluit quod non per manus eius tranſiret: Quia inſuper totum ad gloriam filij pertinet, quicquid eius genitrici impenſum fuerit, & ipſa in ſe eſt omni honore, veneratione & amore ac obſequio digniſsima ſibique deuotorum & ſe colentium remuneratrix fideliſſima & munificentiſſima: ideo conuenientiſsimum & ſaluberrimum eſt, ſpecialia habere erga eam deuotionis exercitia.*





*Propterea hîc collegimus quaſdam Salutationes, laudes & obſecrationes ad eandem Deiparam virginem: quibus vltra quotidiana & debita officia illius obſequia, ſæpiùs cum licuerit, & præſertim in feſtis eius, aut quoties aliquid eius meritis & interceſſione cupimus efficaciùs obtinere, illam veneremur & exoremus.*

*Porrò ſequentes Salutationes ſunt per duodecim articulos diſtinctæ, in honorem illius coronæ ſtellarum duodecim, quia in Apocalypſi eadem Virgo deſcribitur coronata. Igitur ex duodecim Salutationibus perficitur vna coronula ſeu corona parua: ex quinque autem coronulis perficitur coronula maior, continens ſexaginta Salutationes: quibus ſi addantur tres Angelicæ Salutationes: aut earum loco vnica Angelica Salutatio cum ſua interpretatione, perficitur numerus correſpondens annis, quos in præſenti vita peregit virgo ſanctiſſima: qui ſecundum communiorem opinionem fuerunt ſexaginta tres anni, in quorum venerationem hæc corona maior eſt inſtituta.*

*Ideò autem ſingulis Salutationibus præmittuntur hæc duo verba (Aue Maria) vt deuotior & gratior ſit ſalutatio, ex-*

primens nomen Mariæ, quod poſt nomen Ieſu, eſt efficaciſſimum & omni honore digniſſimum. Dicendo autem (Aue) debemus intendere reuerenter ſalutare, congratulari, & deuotè laudare beatiſſimã Virginem: perinde ac ſi pronunciando (Aue) diceremus: Saluto, congratulor, & laudo te, ô Maria. Quod vt deuotiùs faciamus, & cum maiori eiuſdem Virginis gaudio & acceptatione, vtiliter poſt hoc verbum (Aue) poſſumus cum licuerit & libuerit, addere hæc verba (per cor Ieſu dilecti Filij tui) tanquam ſi diceremus: ex affectu & amore, quo Filius tuus te proſequitur, te ſaluto, amans tibi congratulor, téque laudo, ô ſuauis Maria. Talis enim ſalutio non poteſt non eſſe gratiſſima Virgini matri, & nobis vtiliſſima. Nihilominus, qui hoc toties repetere, eſſe prolixius ſenſerit, ſufficiet vt in prima ſalutatione iſta addat: & in ſequentibus exprimat tantum hæc duo verba (Aue Maria) intendens tamen ſemper, per cor Ieſu eam ſalutare.

Singulis etiam Salutationibus fructuoſè ſubiungitur, (ora pro nobis) quo verbo petimus fructum ſalutationis nobis applicari, aut etiam id impetrare, pro quo ſpecialiùs



cialius exorare intendimus: vel generaliter obtinere omnia ſalutaria. Quibuſdam verò Salutationibus ſubiungitur certa obſecratio. Poterit autem deuotus orator (ſi voluerit) poſt ſingulas Salutationes dicere Angelicam Salutationem. Veruntamen ſi ſenſerit ſe in ea toties repetenda minorem attentionem & deuotionem habere, vtiliùs eam omittet, contentus ſpecialibus Salutationibus quæ hîc ponuntur, quas etiam ſolamente leget & concipiet abſque linguæ officio, ſi hoc modo maiorem habuerit attentionem & deuotionem. In his enim voluntarijs exercitijs, ad quæ ex debito non obligamur, debemus eum modũ & formam orandi ſeruare & retinere, vnde magis iuuamur ad attentionem & deuotionem.

Hîc autem primo loco ponuntur Salutationes continentes articulos ad prædeſtinationem, vitam, compaſſionem & glorificationem beatæ Virginis pertinentes. à folio 490. vſque ad folium 511.

Secundo, ponuntur Salutationes breuiores ex Endologijs deuotiſſimi Abbatis Bloſij pro maiori parte collectæ, à folio 511. vſque ad folium 538.

Tertio, adduntur aliæ Salutationes ex Litanijs beatæ Virginis & alijs deuotis

libris ſumptæ à folio 527. vſque ad folium 535.

Quintò ſequuntur Salutationes ex verbis ſacræ Scripturæ, virgini Deiparæ applicatæ à folio 145. vſque ad folium 554.

Quartò, adiungũtur Salutationes tàm ex ternarijs nominum Deo conuenientium (quæ in libello Pſalterij noſtri Decachordi explicantur beatiſſimæ Virgini applicatæ, quàm ex virtutibus eiuſdem Virginis ſumptæ à folio 535. vſque ad folium 544.

Poſtremò, ponuntur Salutationes prolixiores cum obſecrationibus ex Cantico Canticorum, & libro Eccleſiaſti ſpecialiter deſumptæ & virgini Dei matri conuenienter accommodatæ, cum propria præfatione à folio 555. vſque ad finem libri.

Ideò autem tanta ſalutationum copia & varietas hîc ponitur, vt ad venerationem tantæ Virginis Dei genitricis (quæ maior eſt omni laude) magis excitemur, & libentiùs ſine tædio occupemur, eiuſque excellentiam deuotiùs guſtemus. Sed ne tánta multitudo deuotum oratorem grauet vel confundat, ordinatè & diſcretè has Salutationes legat aut re[illegible] quod per otium ſibi [illegible]



eius requiret: incipiens à primis Salutationibus & vbi finierit, hora ad hoc exercitiũ deputanda, incipiat à ſequenti ſalutatione, quando rurſus voluerit in his ſe exercere & glorioſiſſimam Virginem ſalutare. Sic enim non grauabitur multitudine, & nouum ſemper deuotionis obiectum & exercitium inueniet. Poterit etiam ex his ſalutationibus eas quilibet ſibi ſeligere & frequentare, quibus ſenſerit ſe magis affici, alijs omiſſis.

Poſt ſingulas Coronas maiores, ſeu poſt quinque Coronulas, vel etiam ante illas, ſequentes tres Salutationes (vt compleatur numerus ſexaginta trium) conuenienter addentur.

1 Angelus Domini nunciauit Mariæ & concepit de Spiritu ſancto. Aue Maria gratia plena, &c. Et benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus pro nobis ex te incarnatus, natus, & ſanctiſſimè conuerſatus.

2 Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Aue Maria, &c. Et benedictus fructus ventris tui Ieſus Chriſtus pro nobis crucifixus tibi compaſſus, mortuus & ſepultus.

3 Et verbum caro factum eſt & habi-

*tauit in nobis, ac humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, Aue Maria, &c. Ieſus Chriſtus pro nobis ſuſcitatus, glorificatus, in Sacramento nobis relictus, & in patria nobis in præmium præparatus.*

*Qui volet, poterit ſolas Angelicas Salutationes dicere, omiſſis verbis eas præcedentibus, quæ pro conſequendis indulgentijs ſunt dicenda, quoties datur ſignum pro ſalutatione Angelica, meridie, veſpere, media nocte, & manc, trina voce repetenda.*

*Si cui etiam magis libuerit, loco harum trium ſalutationum, poterit legere hanc, quæ ſequitur, verè auream Salutationem.*

1 AVE Roſa ſine ſpinis, tu quam Pater in diuinis, maieſtate ſublimauit: & ab omni væ ſeruauit.

2 MARIA Stella dicta maris: tu à Nato illuſtraris luce clara Deitatis: qua præfulges cunctis ſanctis.

3 GRATIA Plenam te perfecit Spiritus ſanctus, dum te fecit vas diuinæ bonitatis:





& totius pietatis.

4 DOMINVS TECVM, miro pacto, verbo in te carne facto, & opere trini conditoris: ô quam dulce vas amoris.

5 BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, hoc teſtantur omnes tribus: Cœli fantur te beatam, ſuper omnes exaltatam.

6 ET BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI: quo nos ſemper dona frui, per prægustum hic internum: & poſt mortem in æternum.

## SALVTATIONES AD PRAEdeſtinationem, vitam, compaſsionem & glorificationem beatiſſimæ Virginis pertinentes.

*Coronæ primæ Coronula prima.*

Aue per cor IESV dilecti filij tui ſuauis MARIA.

1 Aue per cor IESV dilecti Filij tui ſuauis MARIA, quàm Deus poſſedit ab initio, & ad maxima elegit, atque prædeſtinauit: videlicet, vt eſſes Dei Patris filia & comparentalis, mater filij, & ſponſa atque ſacrarium Spiritusſancti. ora pro nobis.

2 Quam beatiſſima Trinitas ſuper omnẽ puram creaturã dilexit, & mediatricem inter Deum & homines potentiſſimam, fideliſſimam & benigniſſimam conſtituit. ora pro nobis.

3 Ab Angelis in Dei lumine, mirificè præuiſa, & votis omnibus deſiderata: vtpotè per quam eorum ruinæ erant reſtaurandæ. ora p.n.

4 A Patribus antiquis præcognita, & votiuè deſiderata, velut baculus ſenectutis eorum, & reuelatrix miſeriarum. ora p.n.

5 A cunctis gentibus deſideratiſſima, vtpotè deſideratum cunctis productura, & vtriuſque populi ſalutem fida Mediatrix paritura. ora pro nobis.





6 Variis figuratum tegumẽtis præfigurata, & diuerſis Prophetarum & Sybillarum oraculis promiſſa & prophetata. ora p.n.

7 Nobiliſſima: nimirum ex Patriarcharum, Regum, Sacerdotum, Prophetarum progenie. ora p.n.

8 Parentibus ſanctis Ioachim & Anna, ſterilibus & ſenibus, deuotis & piis poſt multas orationes, eleemoſynas & vota, ab Angelo prænunciata & promiſſa. ora p.n.

9 Ab eiſdem cum timore Dei ſimul conuenientibus mirabiliter & vtiliter concepta. ora p.n

10 A peccato originali præſeruata per prꝗuentionem gratię, qua tua anima in inſtanti ſuę creationis copioſiſſimè fuit ornata. ora p.n.

11 Cuius natiuitas mirabilis, optata ſeculis, expectata gẽtibus, mundum noua luce illuſtrauit, nouóque exhilarauit gaudio. ora p n.

12 Nomine ſuauiſſimo, virtuoſiſſimo, myſteriis grauido, ab Angelo pręnunciato, MARIA vocata. ora.

*Coronula ſecunda primæ Coronæ.*

1 Quam Deus omni corporis pulchritudine omnique morum honeſtate perfudit, atque amabilem omnibus reddidit. ora p.n.

2 Quam ſanctiſſimi parentes in templum adductam Domino obtu-

Aue per cor IESV prædilecti filij tui ſuauis MARIA.

lerunt, & diuinis obſequiis mancipauerunt: vbi tu vitam degens Angelicam, tota humilis, pauper & mitis, tota pia, amans & benigna, tota obediens miſericors & pacifica, omnes te intuentes, ad vitæ integritatem, puritatémque mirificè allicicbas. ora p.n.

3 Virginum primiceria: quæ te totam Deo conſecrans, virginitatis votum ei mente grata obtuliſti, & abſolutum pudicitiæ ſanctitatíſque exemplar fuiſti. Tu enim ſpecioſiſſima pariter & inconcupiſcibilis virgo extitiſti: cuius puriſſima perfectiſſimáque conuerſatio, corda aſpicientium cœleſti quadã luce penetrabat, caſtioráq; reddebat. ora.

4 Quam ſtudiis ſanctis, contemplationibúſque vacantem, Deus, familiari Angelorum conſortio, & ineffabili puræ conſcientiæ gaudio ſolabatur. ora p.n.

5 Quæ magno labore, ardenti deſiderio, profunda deuotione, multis lachrymis, afflictione multiplici, & continua oratione, te coaptaſti ad gratiam Dei in te conſeruandam & exercẽdam: tria præcipuè à Deo obſecrans, nimirum, vt volũtatem eius cognoſceres, eámq; cognitam perficeres ex amore, & vt veniret Chriſtus promiſſus ad humani generis redemptionem: vt eſſes vltima ancilla eius, quæ ipsũ erat paritura. ora.





Aue per cor IESV dilecti Filij tui ſuauis MARIA.

6 Quæ virgo, virgini Ioſeph caſtiſſimo fuiſti Diuino conſilio deſponſata, & vero matrimonio coniũcta, tamẽ citra copulã carnalem. ora

7 Quam rebus cœleſtibus intentam, Gabriel Archangelus ſecretum thalami tui ingreſſus officioſiſſimè ſalutauit, & filiũ Dei ex te concipiẽdũ de Spiritu ſancto nunciauit. ora.

8 Quæ annunciationi per Angelũ factæ conſenſum præbuiſti cum obedientia promptiſſima, humilitate profundiſſima, puritate perfectiſſima, fide certiſſima, ſpe deuotiſſima, & charitate ardẽtiſſima, reſpondens, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdum verbum tuum. ora.p.n.

9 Quę in tuis caſtiſſimis viſceribus, virtute Spiritus ſancti, cõcepiſti Dei filiũ, qui de tuo puriſſimo ſanguine verũ corpus ſibi formauit, cui vera anima rationalis ſtatim fuit infuſa, & vtrũq; ſuę diuinę perſonę vniuit perſonaliter & inſeparabiliter, factus verus homo, & remanens verus Deus. ora.

10 Quæ Regem gloriæ in vtero geſtãs, Spiritu S. admonente, ad mõtana Iudeæ cum feſtinatione cõſcendiſti, cognatam tuam Elizabeth viſitaſti, humillimè eam ſalutaſti, eiq; deuotum obſequium impendiſti. ora p.n.

11 Quæ ab Elizabeth, mater Domini & inter mulieres benedicta, agnita & commendata: non ſuperbiſti, nec tibi quicquam horũ aſcripſiſti:

ſuauis MARIA.

ſed omnia in Deũ refundens, ipſum deuotiſſimo Cantico magnificaſti, omnem gratiam & beatitudiem tuam purè attribuiſti charitati & bonitati eius, qua dignatus eſt reſpicere humilitatem tuam ancillæ ſuæ. ora pro nobis.

12 Quæ à domo Elizabeth, reuerſa in Nazareth, cùm labore, ſciens Ioſeph ſponſum tuum ex eo turbatum, quod te in vtero Filium habentem cerneret, non te excuſaſti: ſed te & omnia diuinę prouidētiæ & diſpoſitioni commendaſti: propter quod Angelica monitione Ioſeph de tua integritate certior factus, te non deſeruit, ſed ſponſali & caſtiſſimo, atq; ſuauiſſimo affectu tecum cohabitauit.

*Coronula tertia Coronæ primæ.*

1 Quæ nouem menſibus Filium Dei verum Deum & verum hominem, in vtero geſtans, incomprehenſibili gaudio & dulcedine repleta fuiſti: & ſanctiſſimè ac deuotiſſimè te occupans & exercens, Angelico miniſterio iugiter recreata es. ora pro nobis.

2 Quæ cùm Ioſeph ſanctiſſimo coniunge tuo non recuſaſti viæ prolixitate affligi quando tu puella tenerrima ac prægnans, profecta fuiſti

à Na



à Nazareth in Bethleem vt edicto Cæſaris obedires. ora p.n.

3 Quæ labore itineris fatigata, caruiſti hoſpitio, & ſtabulum habuiſti pro diuerſorio. or.p.n

4 Quæ poſt ſobriã cœnam, in oratione & contemplatione perſeuerãs, circa mediam noctem peperiſti nobis ſaluatorem ſine dolore & ſine virginitatis detrimento, exultantibus Angelis. ora pro nobis.

5 Quæ filium ex te natum, clara fide agnoſcens eſſe verum Deum, & verum hominem ex tua ſubſtantia natũ ipſum deuotiſſimè adoraſti, & tenerrimè amplectēs oſculata es. or.

Aue p cor IESV dilecti filij tui ſuau. MARIA.

6 Quæ filium tuum panniculis inuoluiſti, faſciolis ligaſti, vagientemque reclinaſti in prę ſepio ſuper fenum, lapide pro puluinari capiti eius ſuperpoſito, cum multa compaſſione. ora pr.n.

7 Quæ IESVM puerulum, caſtiſſimi vteri tui fructum, virgineis vberibus lactaſti & eum vlnis geſtans ꝓ tuo deſiderio tibi ſuauiter aſtrinxiſti, oſculiſque deliniſti. ora p.n.

8 Quæ cũ gaudio vidiſti, paſtores filium tuum viſitare, & ea quæ ab Angelis de eo audierant annuntiantes Deum glorificare. or.p.n.

9 Quæ tenerrimum tuum filium vidiſti cum ſumma cõpaſſione, circuncidi, vulnerari, ſanguinem ſuum fundere, & lachrymari. or.p.n.

10 Quæ

Aue p cor IESV dilecti fili tui ſuauis MARIA.

10 Quæ cum ingenti gaudio vidiſti tres magos ab oriente, ſtella ducente,ad vnigenitum tuum venire, ipſum adorare: & triplici munere auri, thuris & myrrhæ eum regem, Deum & hominem verum eſſe profiteri. ora pro nob.

11 Quæ puriſſima virgo exiſtens,ex humili obedientia, purificationis legem ſeruans, quadrageſimo poſt tuum partum die,filium in templum cũ ſumma deuotione detuliſti. ora.

12 Quæ cum cordis iubilo vidiſti filium tuum à beato ſene Symeone in vlnas ſuſcipi, & tanquam vera pax, ſalutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, & gloria plebis Iſraël agnoſci & prædicari. ora pro nobis.

*Corenula quarta Coronæ primæ.*

1 Cui Symeon ſenex ſanctus benedixit,& quòd tuam animam gladius doloris eſſet tranſiturus in paſſione filij tui in ſignum contradictionis poſiti.prænunciauit. ora p.n.

2 Quæ cũ ſumma deuotione Deo patri filium ſuum & tuum,cum pullis columbarum, in hoſtiam perfectiſſimam & acceptiſſimam obtuliſti, & quinque ſiclis,velut ſeruum, eũm redemiſti. ora p.n.

3 Quæ à templo Hieruſalem, in Bethleem reuerſa, Angelicæ moni-

tioni



tioni promptiſſimè obediens,filium tuum in Ægyptum, cum multa fatigatione,& paupertate,fugiens Herodis ſæuitiam,detuliſti.ora pr.nob.

4 Quæ ſeptem annis exul in Ægypto cum ſponſo & vnigenito tuo,in ſumma humilitate, paupertate,pœnalitate, & deuotione vixiſti. ora p.n.

5 Quæ poſt ſeptennium ab Ægypto cum labore reuertens, propter metum Archelai, in Nazareth perrexiſti, vbi cum filio tuo & ſancto Ioſeph ſponſo, ſobriè, piè & iuſtè vixiſti. ora pr.nob.

Aue p cor IESV dilecti filij tui ſuauis MARIA.

6 Quæ legi deuotè obediens, ad diem feſtum duxiſti dilectiſſimum filium tuum, qui cùm,te non præmonita, manſiſſet in Hieruſalem: triduo cum labore & multis lachrymis ac precibus eum requiſiuiſti. ora pro nobis.

7 Quæ poſt triduum inueniſti cũ gaudio filium tuum in medio doctorum,eique materno affectu dixiſti, Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes, quærebamus te. ora p.n.

8 Cui cum reſpondiſſet filius tuus, quid eſt quod me quærebatis, neſciebatis,quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? ipſe tamen tecum deſcendit:& tibi atque ſponſo tuo Ioſeph fabro ſubditus vſque ad annum triceſimum manſit. or.p.

9 Quæ

9 Quæ cum filio tuo cohabitaſti cum ſumma humilitate, paupertate, penalitate, amore & deuotione omniumque virtutum perfecta exercitatione. ora pro n.

10 Quæ ad nuptias cum filio tuo & diſcipulis eius in canam Galilææ vocata, deficiente vino, compaſſione mota, humiliter & materna fiducia dixiſti filio, vinum non habent. Nec durè accepiſti, quod ipſe reſponderit quid mihi & tibi eſt mulier nondum venit hora mea, ſed nihil hæſitans: dixiſti miniſtris, quodcunque dixerit vobis, facite. ora pro nob.

Aue p cor IESV dilecti filij tui ſuauis MARIA.

11 Quæ vnigenitum tuum Euangelizantem miracula facientem, & virtutum omnium perfectiſſimum exemplar in ſe oſtendentem deuotè ſecuta es, & imitata. ora p.n.

12 Quæ non dedignata es cum Maria Magdalena (de qua filius tuus ſeptem demonia eiecerat) & cum aliis mulieribus ſociari, imò & inter eas humillimam te exhibere: nec durè accepiſti, quod dum quidam vnigenito tuo Euangelizanti turbis, dixiſſet: Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te alloqui ipſe reſponderit. Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manũ in diſcipulos dixerit Ecce mater & fratres mei ſunt hi. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt. Tu namque noueras quod hæc dixerit non te contemnendo vel negando eſſe ſuã matrem carnalem, ſed vt oſtenderet quod haberet ſpirituales matrem & fratres: & doceret nos carnalem affectum parentum abiicere, & nihil operi Dei præferre. ora p.n.



*Coronula quinta Coronæ primæ.*

1 Quæ propter tui vnigeniti labores, perſecutiones, contemptus, odia, iniurias & blaſphemias indoluiſti ex intimis piiſſimi cordis tui viſceribus. or.p.n.

2 Cui imminentem ſuam paſſionem prædilectus filius tuus prænuntians, à te cum intima compaſſione mutua, abſceſſit, cœnam vltimam cum ſuis diſcipulis facturus. or.p.n.

3 Quæ in ſpiritu cognoſcens filij tui triſtitiã in horto, conprehenſionẽ, tractionẽ ad Annã & Caypham, & multiplicẽ illuſionẽ ac afflictionẽ: cordialiter ei condoluiſti, & gratias Deo patri nihilominus egiſti. ora p.

4 Quæ ſummo mane, ſponte ad cõmunicandum vehementiùs filij tui paſſionibus te offerens, in Hieruſalem veniſti, eique iam à Iudeis damnanato cum ad Pilatum duceretur occurrens, gladio cõpaſſionis transfixa fuiſti. ora p.n.

Aue p cor filij tui

5 Quæ

ſuauis MARIA.

5 Quæ intimè condoluiſti vnigenito tuo ad crucis mortem damnato, eidemq; propriã crucẽ baiulanti occurrens, præ dolore defeciſti. or.

6 Quæ dũ prædilectus filius tuus nudus cruci cum clauis affigeretur, malleorum ictus audiens, ſenſiſti in corde tuo dolores, quos ipſe in proprio corpore ſuſtinebat. ora p.n.

7 Quæ iuxta crucem vnici filij tui pendentis conſtanter ſteriſti: fide erecta, voluntate Deo conformata, ratione eleuata, & aquilino intuitu profundè perſpiciens & conſiderans omnia aggrauantia paſſionis filij tui, vnde etiam perfectiùs & intenſiùs, quàm vlla alia creatura eidem condoluiſti. ora p.

8 Quæ filio tuo patiẽti intimè cõpaſſa es, tãquã mater ſola vnico filio tuo, & quia maternitas tua oẽs alias incõparabiliter exceſſit, plus etiã ei cõdoluiſti, quã vlla vnquã mater filio ſuo afflicto, cõdoluerit; eras enim mater electa & optima, filij electiſſimi & optimi: in quo nihil vnquam diſplicẽtiæ habuiſti, & in quo omnia habens, ſine ipſo te nihil habere reputaſti. ora p.n.

9 Quæ tantò cordialiùs tuo vnigenito patiẽti, cõpaſſa es, quãtò teneriùs & intẽſiùs eũ dilexiſti, amore tã naturali, quã acquiſito & gratuito, & maximè propter charitatẽ infuſam, qua illum verum Deũ & verũ homi-





Aue p cor IESV dilecti filij tui ſuauis MARIA.

nem agnoſcens, pluſquam vlla pura creatura perfectiùs amaſti. ora p.n.

10 Quæ in cõplexionis teneritudine, & pietatis affectu filio tuo conformis, ipſiuſque paſſionibus præſens aſſiſtens, eas videns, ponderans, & in corde tuo ſentiens, incomparabiliter condoluiſti. or. p.

11 Quæ ſciens te filij tui paſſione à peccato fuiſſe præſeruatam, & conſtitutam omnium fidelium matrem & mediatricem, tantùm doloris & compaſſionis erga eũ habuiſti, quãtùm ſufficiebat vt pro te & pro toto mundo, maximè pro duris & tepidis, dignũ luctũ filio exhiberes. or.

12 Quæ inter tãtos filij tui dolores, & materni cordis tui compaſſiones, moderatiſſima ſemper fuiſti, nihilq; indecens vel immoderatũ in geſtu, verbis, aut motu oſtẽdiſti: ſed cũ tãta diſciplina, modeſtia, diſcretionis moderamine & religioſitate luxiſti & doluiſti, vt alios ad tibi compatiendum excitares. ora p.n.

*Incipit Corona ſecunda.*

*Coronula prima eiuſdem.*

1 Quæ Martyriũ promptæ voluntatis toleraſti: Stabas enim iuxta crucẽ voluntariè, paratiſſima pro ſalute humani generis etiam crucifigi & mori, ſi ita placuiſſet diuinæ volũtati, & velut magna ſacerdos offe-

rebas & libabas Deo patri pro hominũ ſalute vnicũ cordis tui filium prædilectũ, multò perfectiùs, quam Abraham, Iſaac obtulerit. Ita enim eras diuinæ voluntati conformis & humanæ ſalutis auidiſſima, quod ſi nullus fuiſſet repertus qui filiũ tuũ, ad hoc vt voluntas Dei fieret & ſalus hominũ cõſequeretur, crucifigeret: Tu, ſi ita Deo placuiſſet, ipſum libenter & prõptè in cruce poſuiſſes & obtuliſſes, ſicut Abraham propriis manibus vnigenitũ ſuum colligauit & ſuper ſtruem lignorum mactandum impoſuit. Quantò autẽ promptior fuiſti ad patiendum, tantò cruciatus tuus in hoc genere martyrij fuit maior. ora p.n.

Aue p cor Iesv prædilecti filij tui ſuauis Maria.

2 Quæ martyriũ cõpaſſionis doloroſæ, & pœnalis paſſionis ſuſtinuiſti: tua enim anima & materna affectio per amorẽ & cõpaſſionem erat in corpus filij tui patientis transformata, & verius ibi eras vbi amabas, quàm vbi animabas: vnde illic oẽs vnigeniti tui paſſiones per compaſſionem tolerabas, & quæ libet eius paſſio, etiã parua, tua viſcera & maternum cor gladio doloris transfixit, & quia in mente nobiliori & quaſi impaſſibili parte, martyrium ſuſtinuiſti. ideo præ cæteris martyribus (qui dum corpore patiebantur, mentiere focillabãtur) magis doluiſti. ora p.n.

3 Quæ tantò magis, de filio tuo

patiente



patiente doluiſti, quantò plura priùs gaudia de eo habueras, cytharam tuam videns in luctum eſſe conuerſam. ora p.n.

4 Quam ad condolendum filio, tota Trinitas impellebat tantò ampliùs, quantò ad maiorem conglorificationem te elegerat & diſponebat ora p.n.

5 Cui filius tuus pro dono excellẽtiſſimo dedit intimam ſuæ paſſionis cõmunicationẽ tãtò intẽſiùs, quantò te plus dilexit: ſciẽs nihil tibi eſſe dignius, vtilius & Deo acceptius quàm vt ei compatereris. ora p.n.

Aue p cor Iesv prę dilecti filij tui ſuauis Maria.

6 Cuius mentem Angelorum ordines, (ſcientes quod eorũ ruina reparari non poterat niſi ex his perſonis quæ paſſioni Dominicæ per deuotionem & compaſſionem grati forent) ſuo influxu in doloribus Chriſti immergebant: vt non ſolùm pro te, ſed pro nobis omnibus compaſſionem & gratitudinem filio tuo exhiberes. ora pr.n.

7 Quã amor immenſus erga filiũ, & habitus gratiæ ſingularis, ac præſertim electrix gratia, quæ te elegerat vt eſſes mater Dei, impellebat vt ſuper tali filio dignam à tali matre compaſſionẽ exhiberes. Amor enim, naturaliter cauſat dolorem: & tantùm de aliqua re amiſſa aut afflicta dolemus, quantùm illam amamus. Quia ergo omnem amorem erga

filium

Aue p cor IESV prędi lecti filij tui ſuauis MARIA.

filium in ſummo gradu habuiſti, ideo etiã ſumnè ei condoluiſti. ora.

8 Quæ ſuſtinuiſti Martyrium penetratiui verbi diuini & filialis ſermonis, quando tibi ſub cruce ſtanti, dixit vnigenitus tuus: Mulier ecce filius tuus, pro Deo hominem, pro Domino ſeruum, pro magiſtro diſcipulum tibi in filium aſſignans. Quod verbum pertigit vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus tui, compagum quoque ac medullarum ora pro nobis.

9 Quæ paſſa es martyrium diuturnæ laſſitudinis & fatigationis. Nam propter naturæ tuæ teneritudinem, & diſcurſum ad videndum filium, paſſionumque eius multitudinem & atrocitatem (quas in corde tuo ſentiebas) diuturnamque ſub cruce ſtationem, vbi nullum habebas appodiatorium, adeò fatigata fuiſti: vt iam deficiens vix poſtea ad Chriſti funus peruenire valeres, plus ferre non ſuſtinens. ora pro nob.

10 Quæ filio tuo compaſſa es, tanquam vero Deo ſuperadorando pro nobis contempto & illuſo; tanquam homini tenerrimo, nobiliſſimo, innocentiſſimo, ſanctiſſimo & manſuetiſſimo, crudeliſſimè afflicto, & tanquam amatori ardentiſſimo, fideliſſimo & beneficentiſſimo, tam indignè tractato. or. p.

11 Quæ



Aue per cor IESV dileċtiſſimi filij tui ſuauis MARIA.

11 Quæ charitate vulnerata, & Chriſto verè confixa, eodem moriente quodammodo mortua es, & priuata omni delectabili oculorum tuorum, omnibuſque bonis. Vnde doluiſti, tanquam ſponſa caſtiſſima, videns tibi auferri & morti ignominioſiſſimæ exponi vnicũ animæ tuæ ſponſum, teque viduã ac deſolatam, à viro cordis tui derelinqui. ora pro nobis.

12 Quæ ſub cruce doluiſti velut parturiens: cuius dolor ſummus eſſe deſcribitur. Tunc enim nos omnes fideles, tuis doloribus quodammodo parturiſti & filio tuo genuiſti. Vnde dolores, quorum in partu eiuſdem filij fueras immunis, cum vſura in eius paſſione pro nobis parturiendis recepiſti. ora pr. nob.

*Coronula ſecunda Coronæ ſecundæ.*

1 Quæ quantò ordinatiore charitate teipſam, vt pote innocentiſſimam & ſanctiſſimam, in Deo dilexiſti, eò ampliori dolore de iniuriis tibi & filio tuo iniuſtè illatis: abſque vlla veſtra culpa, doluiſti: innocentia enim patientis valdè grauat, licet alio reſpectu alleuiet. ora pro nobis.

2 Quæ doluiſti intimè de tuis cognatis affinibus, & notis atque

de Apo

de Apoſtolis & diſcipulis filij tui, videns eorũ deſolationẽ mœſtiſſimam, fidei defectionẽ, fugã à Chriſto comprehenſo, & amicitiam erga eum irritam, Quibus tantò amplius quam Paulus Iudæis, condolebas, quantò tenerius eos diligebas. ora pro nobis.

3 Quæ doluiſti de perfidia, cæcitate, ingratitudine & malitia Iudæorum (qui quodãmodò fuerunt Deicidæ) quos diligebas & ſaluos fieri cupiebas magis quàm Paulus, qui volebat pro eis eſſe Anathema à Chriſto: & tantò acriùs pro eorum exceſſu lugebas & pro ſalute illorũ ſuſpirabas, quantò illis magis erat neceſſarium. ora pro nobis.

Aue p̄ cor IESV p̄ dilecti filij tui ſuauis MARIA.

4 Quæ doluiſti & lamentum ſumpſiſti ſuper omnes homines, quos vidiſti, aut præuidiſti fore ingratos paſſioni filij tui, & rurſus eum crucifixuros: maximè autem quia videbas laborem filij tui & compaſſionis tuæ officium in multis reprobis & damnandis fruſtrandum. ora pro nobis.

5 Quæ non ſolùm ſub ipſa filij tui paſſione indoluiſti, ſed futurorum præſcia ſagaciſſima, longè antequã paterentur, præuidiſti cũ compaſſione cordiali quæ & quanta erat paſſurus, & quàm in multis eius labor & tua cõpaſſio ſuo fructu eſſent fruſtranda. ora p.n.





6 Quæ ſub cruce audiens impiorum erga Filium tuũ blaſphemias, ſubſannationes & irriſiones, videns eum vndique nimis afflictum, audiens illum clamãtem, ſe à Patre derelictum: & vehementiſſimè ſitientem, nec habentem qui ei vel modicum aquæ porrigeret, ſed qui inſultantes ei acetum cum felle mixtum propinarent: audiens etiã eum cum valido clamore & lachrymis ſpiritum ſuum in manus Patris commendantem ſupra modum doluiſti. ora p.n.

Aue p̄ cor IESV dilecti Filij tui ſuauis Maria.

7 Quæ videns vnigenitum tuum inclinato capite tibi vale dicẽtem, & Patri vſque ad mortem obedientem expirare, & mortis acerbitatẽ pro omnibus guſtare, terrámque tremere, & lapides ſcindi, Soléq; obſcurari, gladio doloris intimè vulnerata fuiſti. ora p.n.

8 Quæ vnigenito tuo mortuo, adhùc ſub cruce perſeruaſti, dolens & gemens: & dum confractis cruribus latronũ qui cum eo crucifixi erant, latus eius lancea perforari, cor vulnerari, & ſanguinem & aquam inde emanare videres, fuiſti magis quam ille crudeli hac lancea vulnerata. Ipſius enim anima iam in ſuo corpore non erat, ſed tua planè nequibat inde auelli. Vnde te pluſquam martyrẽ nõ immerito prædicamus: in qua nimirum corporeæ ſenſum

paſſiones, exceſſerit compaſſionis affectus. ora.p.n.

9 Quæ vnigenitum tuum de cruce depoſitum in ſinum tuum excipiens, & ſingulos eius cruciatus ac vulnera attentiùs conſiderans, tuis lachrymis ipſum abundè rigaſti, cum multa deuotione & compaſſione oſculata es. ora p.n.

10 Quæ videns filij tui corpus myrrha & aloë condiri, ſindone inuolui, in tumulũ deferri, & in alieno ſepulchro reponi, grandíque lapide cõcludi, vehementiſſimè condoluiſti. ora.p.n.

11 Quæ vix à ſepulchro vnigeniti recedens, crucem eius adoraſti: & loca in quibus eum videras pati, pertranſiens, nouis dolorum aculeis penetrata es. ora.p.n.

12 In qua ſola, vera & ſolida fides in Chriſtum, in triduo ſuæ paſſionis & ſepulturæ permanſit: quæ tamen non minuit, ſed potius auxit in te compaſſionis dolorem: cui teipſam voluntariè immergebas, rememorans quæ & quanta paſſus fuiſſet: & pro omnibus tamen gratias Deo agebas, conſiderans fructum inde prouenientem. ora p.n.

Aue p cor IESV dilecti Filij tui ſuauis Maria

*Coronula tertia Coronæ ſecundæ.*

1 Cui vnigenitus à mortuis reſurgens ſtatim apparuit glorioſus, & omnem



omnem ſuæ Reſurrectiones gloriã & gaudia abundè tibi communicauit: cum indicibili gaudio, & cordis tui iubilo, tanto ampliori, quanto eius paſſionibus cordialiùs fueras compaſſa. ora p.n.

2 Quæ vidiſti Filium vteri tui in monte oliueti te & Apoſtolos amplexantem & oſculantem, eleuatiſque manibus vobis benedicentem, atq; propria virtute in cœlum glorioſè aſcendentem cum iubilo tam cordis ſui, quam Angelorum omnium ac animarum ſanctarum cum ipſo aſcendentium: propter quæ & tu intimè iubilaſti. ora p.n.

3 Quę poſt Aſcenſionem Filij cum Apoſtolis in oratione & ieiuniis perſeuerans vſque ad diem Pentecoſtes: Spiritum ſanctũ in linguis igneis ſimul cum ipſis abundè recepiſti. ora.p.n.

4 Quæ duodecim poſt Filij tui Aſcenſionem annis, in hoc mundo ad fidelium omnium conſolationem & inſtructionem manens: abſtractam vitam in monte Syon duxiſti, orationi & contemplationi vacans, & quæ de Filio tuo videras, audieras, & cognoueras, deuotè reuoluens, frequentérq; viſitans ſacra loca in quibus Filius tuus paſſus, crucifixus & ſepultus fuerat. ora p.n.

5 Quę pro beneficijs tibi & vniuerſo mundo per filium collatis gratias

Aue p cor IESV dilecti Filij tui ſuauis Maria.

Aue p cor Iesv dilecti Filij tui ſuauis Maria.

continuas agens: ardentiſſimis etiã & efficaciſſimis precibus pro omnium ſalute exorabas. ora p.n.

6 Quæ æſtuantiſſimis deſideriis (ſcum perfectiſſima tamen reſignatione) ad Filij tui præſentiam & gloriam peruenire cupiebas:& tandem à Gabriele Angelo intellexiſti poſt tres dies te ex hoc mundo migraturam. ora p.n.

7 Ad cuius obitum omnes Apoſtoli diuina virtute adducti & congregati:Pſalmos & Cantica tecum deuotiſſimè decantauerunt. ora pro nobis.

8 Cuius animam, Filius tuus Angelorum & Sanctorum ordinibus comitatus ad te veniens,in ſuas vlnas abſque vllo dolore ſuſcepit: & cum immenſo iubilo ad ſupremum cœlum perduxit:atque ſuperbeatiſſimæ Trinitatis clariſſima viſione beatificáque fruitione ſatiauit & glorioſiſſimè coronauit. ora p.n.

9 Cuius corpus in valle Ioſaphat ſepultum, ab omni corruptione præſeruatum fuit, & tertia die Chriſto aduenientc, & operante rurſus animæ vnitum & cum dotibus gloriæ ſuſcitatum,aſſumptum eſt ſuper omnes choros & ſedes Angelorum: & in throno gloriæ, proximo ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, & humanitatis Filij tui ſolio, collocatum. ora p.n.





Aue per cor Iesv dilecti Filij tui ſuauis Maria.

10 Quam conſtituit Dominus omnium, & ſingulorum ordinum Angelorum Dominam, ſic vt tibi ad nutum omnes beati ſpiritus obediant. ora p.n.

11 Quam Deus fecit Reginam Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, Pontificum, Confeſſorum, Monachorum, Virginum & omnium Sanctorum, quorum ſicut habuiſti in te virtutes ſupereminenter, ſic eos omnes in gloria dotibus atque aureolis ſuperas. ora p.n.

12 Quam Deus dedit nobis in Matrem, Aduocatam, Reginam, Amicam, Illuminatricem, Nutricem, Mediatricem, Protectricem & Liberatricem. Ora pro nobis.

## *SALVTATIONES EX Eudologijs deuotiſſimi Abbatis Bleſij pro maiori parte collectæ.*

*Coronula prima, Coronæ primæ.*

1 AVe MARIA, adorandæ Trinitatis glorioſum Triclinium à Patre

mirabiliter fabricatum: à Filio nouem menſibus inhabitatum: à Spiritu ſancto ſingulariter adornatum & omni gratia ac ſanctitate repletum: & à tota Trinitate peculiariùs poſſeſſum: Patre memoriam inhabitante: Filio intelligentiam illuſtrante, & Spiritu ſancto voluntatem inflammante & ſibi vniente. ora p.n.

2 Aue MARIA, Comparentalis ſummi Patris: quæ eundem Filium produxiſti in tempore abſque patre: quem Deus Pater ab æterno ſine matre genuit. ora p.n.

3 Aue MARIA, vera Dei mater: quæ ſola cum Deo Patre dicere potes Filio Dei, Filius meus es tu, ego genui te. ora pro nobis.

4 Aue MARIA, ſingularis Spiritus ſancti ſponſa ex millibus præelecta: dote bona dotata, ſingulari amore ei copulata, ab ipſo obumbrata & quodammodo, ſi dici liceat, imprægnata, de quo nimirum Filium Dei IESVM concepiſti. ora p.n.

5 Aue MARIA, gratiſſimum Dei templum. ora p.n.

6 Aue MARIA, Spiritus ſancti venerandum ſacrarium. ora p.n.

7 Aue MARIA, candidiſſimum lilium ſuperglorioſiſſimæ Trinitatis. ora p.n.

8 Aue MARIA, quæ virginea fœcunditate, fœcundáque virginitate admirabilis, IESVM CHRISTVM mundi Saluatorem genuiſti. ora pro nobis.

9 Aue MARIA, magnifica aula & ſplendidiſſimum palatium Imperatoris æterni. ora pro nobis.





10 Aue MARIA, mulier amicta Sole iuſtitiæ, ſapientiæ & diuinitatis. ora p.n.

11 Aue MARIA, mulier habens Lunam (hoc eſt, Eccleſiam fidelium) ſub pedibus tuis, tibi ſubiectam & deuotam. ora p.n.

12 Aue MARIA, mulier habens in capite coronam ſtellarum duodecim, hoc eſt, gratiarum, virtutum, dignitatum & priuilegiorum perfectionem & plenitudinem. ora p.n.

Eya hanc & ſequentes coronulas, duodecim articulis & ſalutationibus tanquam duodecim ſtellis diſtinctas, accepta, & impetra nobis, quæſumus, peccatorum veniam & emendationem: perfectam cordis & corporis puritatem: Spiritus ſancti gratiam & directionem, & virtutum omnium ornatum: vt ex eorum ſimus numero qui vnigenitum tuum, téque cœli reginam, in ſpiritu & veritate laudant, venerantur, amant & grato colunt obſequio.

*Coronula ſecunda Coronæ ſecundæ.*

1 Aue MARIA, benigniſſima miſericordiæ mater. ora p.n.

2 Aue MARIA, veniæ gratiæque conciliatrix optatiſſima. ora p.n.

3 Aue MARIA, conſolatrix afflictorum promptiſſima. ora p.n.

4 Aue MARIA, in rebus dubiis clarum lumen. ora p.n.

5 Au MARIA, in mœroribus certum ſolatium. ora p.n.

6 Aue MARIA, in anguſtiis pium releuamen. ora p.n.

7 Aue MARIA, in tentationibus & peri-

culis tutiſſimum refugium. ora p.n.
8 Aue MARIA, poſt vnigenitum certa fidelium ſalus. ora p.n.
9 Aue MARIA, Domina præcellentiſſima. ora p.n.
10 Aue MARIA, inter ſanctos poſt Deum ſanctiſſima. ora p.n.
11 Aue MARIA, ſpes & auxilium omnium Chriſtianorum certiſſima. ora p.n.
12 Aue MARIA, ad cuius memoriam hilareſcunt & recreantur fideles animæ. ora pro nobis.

Eya inclina quæſumus aures tuæ pietatis precibus ſeruorum tuorum, & miſerorum peccatorum, & caliginem vitiorum noſtrorum radiis tuæ ſanctitatis diſſipa: vt Filio tuo tibíque placeamus, gratúmque exhibeamus obſequiũ. Amen ſicut ſcis, vis & potes, & ſæpiùs te iam feciſſe grati recolimus & profitemur.

*Incipit Corona tertia.*

*Coronula prima, Coronæ tertiæ.*

1 Aue MARIA, odoriferum Deitatis reclinatorium. ora p.n.
2 Aue MARIA, fœminarum omnium præſtantiſſima & iucundiſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA, fœmina amabilis, prudens & generoſa. ora.p.n.
4 Aue MARIA, fœmina admirabilis, elegans & ſuſpicienda. ora p.n.
5 Aue MARIA, cœli terræque Regina, glo-





ri-
6 oſiſſima. ora p.n.
Aue MARIA, Sydus fulgentiſſimum, iubar clariſſimum, ex quo Sol iuſtitię Chriſtus Deus noſter ortus eſt. ora p.n.
7 Aue MARIA, virgo vltra omnem pulchritudinem decora. ora.p.n.
8 Aue MARIA, mater vltra omnem honeſtatem gratioſa. ora p.n.
9 Aue MARIA, quæ benignis oculis, pios Eccleſię filios in toto orbe terrarum intueris. ora p.n.
10 Aue MARIA, cuius dulce nomen recreat defenſos. ora p,n.
11 Aue MARIA, cuius ſerenùs ſplendor illuminat cœcos. ora p n.
12 Aue MARIA, cuius aromatum ſuauis odor lætificat iuſtos. ora p.n.

Eya præſta Domina vt inter procellas huius vitæ ſemper te attendamus, & in omnibus à te dirigamur, protegamur, adiuuemur, atque exaudiamur ſicut ſcis, vis & potes, & ſicut te ſæpiùs feciſſe grati profitemur.

*Coronula ſecunda coronæ primæ*

1 Aue MARIA, ſummæ clementiæ, ſummęquæ lætitiæ beatiſſima parens. ora p.n.
2 Aue MARIA, benedicta inter mulieres, donis cœleſtibus ſuperfuſa. ora p.n.
3 Aue MARIA, per quam cœleſtis benedictio & fœlicitas æterna ad nos dimanauit. ora p,n.
4 Aue MARIA, quæ nobis enixa es Re-

emptorem. ora p.n.
5 Aue MARIA, ex qua carnem aſſumpſit, & ex cuius vtero prodiit infantulus Ille IESVS CHRISTVS vnicus noſtræ ſalutis author: quo nihil ſuauius, nihil pulchrius, nihil præſtantius exiſtit: Poſt quem nihil te dignius, nihil diuinius, nihil optatius cogitari poteſt. ora p.n.
6 Aue MARIA, cuius ſacri vteri fructus benedictus ſatiat beatos. ora p n.
7 Aue MARIA, cuius religioſa memoria mœſtos exhilarat. ora p.n.
8 Aue MARIA, cuius caſta contemplatio ſanctos demulcet. ora p.n.
9 Aue MARIA, cuius fidelis veneratio peccatores emundat. ora p.n.
10 Aue MARIA, totius humani generis gloria & ſingulare miraculum. ora pro nobis.
11 Aue MARIA, in qua omnes filij Dei gratam mentis requiem inueniunt. ora p.n.
12 Aue MARIA, quæ Angelorum hominúmque laudes prima poſt Deum promereris. ora p.n.

Eya fac vt tuis precibus adiuti, à peccatis mundemur, gratia repleamur: & tandem Chriſtum Deum Deorum, téque Dominam Angelorum in Syon videre mereamur. Amen, ſicut ſcis, vis & potes, & à te confidenter expectamus.

*Coronula tertia tertiæ Coronæ.*

1 Aue MARIA, Virgo ornatiſſima. ora pro nobis.





2 Aue MARIA, Virgo Sole ſerenior, & Aſtris lucidior. ora p.n.
3 Aue MARIA, Virgo melle dulcior, & balſamo ſuauior. ora p.n.
4 Aue MARIA, Virgo roſis rubicundior, & liliis candidior. ora p.n.
5 Aue MARIA, vas puriſſimum, omni amaritudine carens. ora p.n.
6 Aue MARIA, vas pleniſſimum, omnis vanitatis expers. ora p.n.
7 Aue MARIA, vas mirabile, opus excelſi. ora pro nobis.
8 Aue MARIA, canalis & aquæductus per quem omnes aquæ gratiarum ad nos à Deo deriuantur. ora p.n.
9 Aue MARIA, cella mundiſſima, longè latéque gratiſſimum odorem diffundens. ora pro nobis.
10 Aue MARIA, deſperantium ſpes opportuna. ora p.n.
11 Aue MARIA, auxilio deſtitutorum adiutrix promptiſſima. ora p.n.
12 Aue MARIA, cœli exultatio, & terræ gaudium. ora p.n

Eya ne auerſeris nos indignos peccatores, ô Domina, ſed ex ſordidis fac mundos: ex iniquis fac iuſtos: ex remiſſis, alacres: ex aridis, deuotos: & in omnibus nos dirige & clementer exaudi: ſicut ſcis, vis & potes: & ſicut te ſæpiùs iam feciſſe grati recognoſcimus.

*Coronula quarta Coronæ tertiæ.*

1 Aue MARIA, quam Dominus creauit

virginem immaculatam. ora p.n.
2 Aue MARIA, quam elegit Deus humilem ancillam. ora p.n.
3 Aue MARIA, quam concupiuit Deus amabilem ſponſam. ora p.n.
4 Aue MARIA, cuius honori tantum tribuit Filius vt quicquid petieris mox impetres: quicquid volueris mox fiat. ora pro nobis.
5 Aue MARIA, cui regni cœleſtis claues, theſauríque commiſſi ſunt. ora p.n.
6 Aue MARIA, poſt Filium Domina vniuerſæ creaturæ. ora.p.n.
7 Aue MARIA, ad cuius nutum ſeſe inflectit omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum. ora p.n.
8 Aue MARIA, cui officioſiſſimè obſequuntur Angelicæ poteſtates & virtutes. ora pro nobis.
9 Aue MARIA, Seraphin ardentior & Deo proximior. ora p.n.
10 Aue MARIA, Cherubin clarior & honoratior. ora p.n.
11 Aue MARIA, Abraham, Iſaac & Iacob patrum tuorum eximium decus. ora pro nobis.
12 Aue MARIA, cuius nominis gloriam, dignitatis ſplendorem, & pietatis abundantiam, omnis ætas, ſexus, & lingua confitetur. ora pro nobis.

Eya Sana nos ô beata, & ſanabimur Saluos nos fac, & ſalui erimus, tibique & filio tuo benedicemus in æternum. Amen, fiat, fiat, ſicut ſcis, vis & potes, & confidenter petimus.





*Coronula quinta Coronæ tertiæ.*

1 Aue MARIA, lucis ſereniſſima mater, quæ mentes te diligentium amanter illuſtras. ora p.n.
2 Aue MARIA, pietatis dulciſſima parens, quæ fideles tui cultores fœliciter transfers ad amœnas paradiſi manſiones. ora pro nobis.
3 Aue MARIA, quam exercitus ſupernorum ciuium laudant & benedicunt iugiter. ora pro nobis.
4 Aue MARIA, incorrupta & ab omni illuuie immunis virgo Deipara. ora pro nobis.
5 Aue MARIA, omnium ad te currentium certiſſimum profugium. ora p.n.
6 Aue MARIA, Turris munitiſſima, cuius muris qui cinguntur ſecuri ſunt. ora pro nobis.
7 Aue MARIA, fideliſſima protectix omnium te laudantium. ora p.n.
8 Aue MARIA, candida nubes, ardorem æſtus temperans. ora p.nob.
9 Aue MARIA, ros opportunus ignem fornacis extinguens. ora pro nob.
10 Aue MARIA, Clauis gemmata, paradiſi ianuam reſerans. ora pr.n.
11 Aue MARIA, granum purum, è palea excuſſum. ora p.n.
12 Aue MARIA, hortus virens cæleſtibus delitiis plenus. ora pro nobis.

Eya ad te Domina ſeſe erigit vultus no-

ſter: Te reſpiciunt oculi cordis noſtri, in te confidit anima noſtra: Miſerere noſtri, & ſicut ſcis, vis & potes in omnibus nos dirige, protege, adiuua: & perduc ad patriam claritatis æternæ.

*Incipit Corona quarta.*

*Coronula prima Coronæ quartæ.*

1 Aue MARIA, Domina ſuper choros Angelorum exaltata. ora p.n.
2 Aue MARIA, patriarcharum gloria & filia ſapientiſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA, prophetarum laus & promiſſio expectatiſſima. ora p.n.
4 Aue MARIA Apoſtolorum doctrix prudentiſſima. ora p.n.
5 Aue MARIA, Euangeliſtarum magiſtra erudiſſima. ora p.nob.
6 Aue MARIA, martyrum confortatrix fortiſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA, Sacerdotum & confeſſorum honor & regula ſanctiſſima. ora p.n.
8 Aue MARIA Monachorum mater & Abbatiſſa piiſſima. ora p.n.
9 Aue MARIA virginum & continentium primiceria, & norma certiſſima. ora p.
10 Aue MARIA, Sãctorum omnium Imperatrix glorioſiſſima. ora p.nob.
11 Aue MARIA, Iuſtitiæ palma ſpecioſiſſima. ora pr.
12 Aue MARIA, pudicitiæ nardus fragrantiſſima. ora p.n.

Eya ſuccurre nobis (ô dulciſſima mater & aduo



aduocata noſtra) & in omnibus nos dirige, perfice, & ſtabili, ſicut ſcis, vis, & potes: & ſicut iam ſæpiùs te feciſſe grati profitemur.

*Coronula ſecunda Coronæ quartæ.*

1 Aue MARIA, quæ Angelos excellis puritate & gloria. ora p.n.
2 Aue MARIA, quæ Patriarchas ſuperas fide & pietate. ora p.n.
3 Aue MARIA, quæ Prophetas vincis prouiſione & paupertate. ora p.
4 Aue MARIA, quæ Apoſtolos excedis charitate & obedientia. ora pro n.
5 Aue MARIA, quæ Euangeliſtas præcellis fraterna dilectione & compaſſione. ora p.n.
6 Aue MARIA, quæ martyres vincis zelo & fortitudine. ora pr.nob.
7 Aue MARIA, quæ Confeſſores ſuperas munditia & Iuſtitia. ora p.
8 Aue MARIA, quæ monachos excedis temperantia & cordis munditia. ora p.n.
9 Aue MARIA, quæ virgines antecellis prudentia, puritate & pace. ora p.n.
10 Aue MARIA, quæ ineffabilibus monilibus & virtutibus ornata, omnes ſuperni palatij ciues in admirationem rapis. ora p.n.
11 Aue MARIA, totius elegantiæ, totiuſque ſanctimoniæ fœmina. ora.p.
12 Aue MARIA, Domina præcellentiſſima, quæ ſupra choros Angelorum reſides, aſſeſſum Deo proximum ſortita. ora p.n.

Eya attende ſuſpiria animarum anhelantium ad te, & in omnibus neceſſitatibus, ſtudiis, negotiis & anguſtiis, clementer nobis

nobis aſſiſte,& ſuccurre,ſicut ſcis, vis, & potes.& ſicut te ſæpius iam feciſſe grati profitemur.

*Coronula tertia, Coronæ quartæ.*

1 Aue MARIA, arca legalis dulciſſimum manna continens. ora pr.n.
2 Aue MARIA, Terra benedicta beatiſſimum fructum proferens. ora p.n.
3 Aue MARIA, Petra ſpiritualis potum copioſiſſimum fundens. ora p.n.
4 Aue MARIA, fons ſacer, in fluuium maximum redundans. ora pro nobis.
5 Aue MARIA, pretioſiſſima Margarita, & humanæ naturæ gemma ſingularis. ora p.n.
6 Aue MARIA, virgo tota mitis, tota amœna, tota fulgens & benigna. ora p.n.
7 Aue MARIA, quæ procul à te conſtitutos, illuminas radiis miſericordiæ. ora pro nob.
8 Aue MARIA, quæ iuxta te poſitos recreas deuotionis ſuauitate. ora p.nob.
9 Aue MARIA, virga ieſſe florida, vniuerſum orbem exhilarans. ora p.nob.
10 Aue MARIA, puriſſima Spiritusſancti officina. ora p.n.
11 Aue MARIA, immaculatum verbi Dei ſacrarium. ora p.n.
12 Aue MARIA, cuius animæ nihil vnquã inhæſit turpitudinis, nihil vnquam defuit ſpiritualis decôris. ora p.n.

O MARIA quam tu ſancta, & quam nos immundi, & iniqui ſumus: quam tu humilis, & nos ſuperbi, quam tu ſublimis, & quam nos viles & indigni.

R epurga



Repurga quæſo cor noſtrum à peccatorum ſordibus, & tolle à nobis quicquid virgineis tuis oculis minus placet, atque in omnibus nos dirige, protege, perfice & clementer exaudi, ſicut ſcis, vis & potes, & te iam ſæpiùs feciſſe grati profitemur.

*Coronula quarta, Coronæ.4.*

1 Aue MARIA, virgo ſacratiſſima, & inter benedictas mulieres ſpeciali benedictione ſingulariter inſignis. ora p.n.
2 Aue MARIA, Sol clariſſimus, defectum prorſus neſciens. ora p.n.
3 Aue MARIA, Sol è terra cælos irradians. ora pro nob.
4 Aue MARIA, Sol è cælis terram illuminans, ora pr.nob.
5 Aue MARIA, Sol peccati nubes diſcutiens. ora pro nob.
6 Aue MARIA, vallis amœna vernans virtutum liliis. ora pr.n.
7 Aue MARIA, Paradiſus beata afflues conſolationum delitiis. ora p.n.
8 Aue MARIA, roſa venuſta inenarrabilem ſuauitatem ſpirans. ora p.n.
9 Aue MARIA, Concha electa, melliſluum amoris adipem ſtillans. ora p.n.
10 Aue MARIA, ſtella Iacob fulgida, cœlos omnes perornans. ora p.n.
11 Aue MARIA, ſingulare cœli ornamentum. ora p.n.
12 Aue MARIA, peculiare terræ præſidium. ora pro nobis.

Eya ne nos quæſumus, deſpicias (ô ſpes

noſtra

noſtra ſuauis ) ſed magnam miſeriam noſtram ſubleuet ingens miſeratio tua, ſicut ſcis, vis & potes, & ſicut te iam ſæpiùs feciſſe grati recolimus.

*Coronula quinta Coronæ quartæ.*

1 Aue MARIA, regis æterni mater glorioſa. ora p.n.
2 Aue MARIA, gratiæ perditæ inſtaurattix optima. ora p.n.
3 Aue MARIA, cuius pulchritudinem, ortum, & dignitatem omnes ſpiritus beati mirantur. ora pr. nob.
4 Aue MARIA Domina ſuprema, quæ rerum imperium cum filio tuo commune obtines. ora pro nobis.
5 Aue MARIA, cui omnis ætas & ſexus meritò verticem inclinant. ora pr.n.
6 Aue MARIA, ad cuius nomen dæmones contremiſcunt. ora pro nobis.
7 Aue MARIA, ad cuius fulgorem poteſtates tenebrarum diffugiunt. ora p.n.
8 Aue MARIA, ad cuius nutum paradiſi portæ reſerantur. ora pro nob.
9 Aue MARIA, cuius pedibus totus orbis iure prouoluitur. ora pro no.
10 Aue MARIA, Regina miſericordiæ. ora p.
11 Aue MARIA, vitæ dulcedo & ſpes noſtra poſt filium ora pr.nob.
12 Aue MARIA, ſuauiſſima ſereniſſimaque regis Meſſiæ genitrix. ora pr.nob.

Eya, ne nos (precamur) auerſeris ô Domina, ſed laborantes adiuua, pugnantes protege, vacillantes confirma: & benedictum

fructum



fructum ventris tui IESVM Chriſtum nobis poſt hoc exilium oſtende benignum.

*Incipit Corona quinta.*

*Coronula prima Coronæ quintæ.*

1 Aue MARIA, turtur pudiciſſima, cuius vox aures omnipotentis mirificè demulcet. ora.
2 Aue MARIA, Columba caſtiſſima, cuius gemitus ſpiritui ſancto modis omnibus placet. ora p.n.
3 Aue MARIA, virgo gratioſa, virgo decoris ſtupendi. ora p.n.
4 Aue MARIA, puella amabilis & filia gratiæ electa. ora pro nob.
5 Aue MARIA, virgo verecunda & taciturna. ora p.n.
6 Aue MARIA, virgo Deo gratiſſima. ora p.
7 Aue MARIA, immaculata beatiſſimæ Trinitatis amica. ora pro nob.
8 Aue MARIA, Ancilla Dei ſolitaria. ora p.n.
9 Aue MARIA ſecretiſſimi ſponſi, ſponſa ſecretiſſima, ora pr.n.
10 Aue MARIA, filia Syon millies beata. ora pro nobis.
11 Aue MARIA, mellitiſſima Dei mater & virgo. ora pro nob.
12 Aue MARIA, porta orientalis inuiolata, per quam ſpecioſus forma præ filiis hominum princeps, ad nos venit oro nobis.

Eya noſtri quæſumus patrocinium apud filium tuum ſuſcipias, peccata excuſes, gratiam impetres, lumen infundas, & ad vitam æternam nos perducas.

Coronula

*Coronula ſecunda Coronæ quintæ.*

1 Aue MARIA tam mirabilis, vt poſt ineffabilem Trinitatem nihil habeat cœleſtis aula mirabilius. ora pro nobis.

2 Aue MARIA, virgo puritatis pluſquam Angelicæ. ora pr.n.

3 Aue MARIA, virgo ante partum, virgo in partu & virgo poſt partum inuiolata & integra. ora p.n.

4 Aue MARIA, fœmina honeſtate admirabilis. ora pr.n.

5 Aue MARIA ſapientia ineffabiliter adornata. ora p.n.

6 Aue MARIA, virgo inter filias Hieruſalem ſpecioſa, & electa. ora pro nob.

7 Aue MARIA, fragrantiſſimum diuinitatis tabernaculum. ora pr.n.

8 Aue MARIA, ſacrarum delitiarum amœna paradiſus. ora p.n.

9 Aue MARIA, cœleſtis ſponſi Thalamus. ora p.n.

10 Aue MARIA, tubens roſa charitatis ardentiſſimæ. ora p.n.

11 Aue MARIA, virgo ſuauis, & chariſſima in delitiis. ora pro nob.

12 Aue MARIA, diuinorum ſacramentorum apotecha odorifera. ora p.n.

Eya eijce (obſecramus) è cordis noſtri penetralibus quicquid ſordidum, minuſque decôrum eſt: illumina tenebras noſtras interiores radio ſplendoris tui: vt vitiis diſſipatis atque deletis pulchritudinem tuam purè contemplemur: & gratum tibi obſequium ex amore preſtemus.





*Salutationes beatiſsimæ virginis ex litaniis eiuſdem & aliis deuotis libris collectæ.*

*Coronula tertia Coronæ quintæ.*

1 Aue MARIA, redolens viola altiſſimæ humilitatis. ora p.n.

2 Aue MARIA Salus infirmorum. ora p.n.

3 Aue MARIA refugium peccatorum. ora pro nobis.

4 Aue MARIA Speculum iuſtitiæ. ora p.n.

5 Aue MARIA, Sedes ſapientiæ. ora p.n.

6 Aue MARIA, cauſa noſtræ lætitiæ. ora pro nobis.

7 Aue MARIA, vas ſpirituale & honorabile. ora p.n.

8 Aue MARIA, vas deuotionis inſigne. ora p.n.

9 Aue MARIA, turris eburnea. ora pr.n.

10 Aue MARIA, domus aurea. ora p.n.

11 Aue MARIA, paradiſus voluptatis. ora pro nobis.

12 Aue MARIA, lignum vitæ. ora p.n.

Eya beati qui diligunt te Domina, beati qui te venerantur; beati ter quaterque & ampliùs qui per vitæ ſanctimoniam tibi familiares effecti ſunt.

Tuæ pietati, prouidentiæ & benignitati commendamus animas & corpora noſtra, omniaque exteriora bona, ſtudia & negotia noſtra: dirige, doce protege, adiuua, & perfice nos ſingulis horis & momentis, ſicut ſcis, vis & potes, & ſicut ſæpiùs iam te feciſſe grati profitemur.

*Coronula quarta, Coronæ quintæ.*

1 Aue MARIA Gloria hieruſalem. ora p.n.
2 Aue MARIA, Clypeus omnibus in te ſperantibus. ora pro nob.
3 Aue MARIA, Sanctuarium Dei altiſſimi. ora p.nob.
4 Aue MARIA, Altare Thymiamatis. ora p.
5 Aue MARIA, Stella maris. ora p.nob.
6 Aue MARIA, baculus imbecillium. ora p.
7 Aue MARIA, Speculũ Angelorum ora.
8 Aue MARIA Scala ſanctorum ad cœlos aſcendentium. ora pr.n.
6 Aue MARIA, tutum peccatorum & pauperum refugium. ora p.n.
10 Aue MARIA, Margarita orbis terrarũ. ora.
11 Aue MARIA, lampas ardentiſſima. ora p.n.
12 Aue MARIA, hortus deliciarum, quem ſic perflauit auſter diuinus vt vndique effluãt chariſmata tuarum gratiarum. ora pro nob.

*Coronula quinta Coronæ quintæ.*

1 Aue MARIA, Angelis reuerenda & admiranda. ora pro nobis.
2 Aue MARIA, patribus ante promiſſa & diu deſiderata. ora p.n.
3 Aue MARIA, à Propheris prænũtiata. ora.
4 Aue MARIA, filia ſuperni regis, altiſſimo eius filio preparata. ora pro nobis.
5 Aue MARIA, mater Dei, verbi æterni, mater vitæ, mater increati luminis. ora.p.
6 Aue MARIA, genitrix genitoris tui, & nutrix tui nutritoris. ora p.n.
7 Aue MARIA benedicta virgo Deipara, & puerpera ſublimis. ora pro nobis.
8 Aue MARIA, virgo admiranda, inclyta ineffabilis & præclara. ora pro nob.

9 Aue



9 Aue MARIA, virgo inuiolata, incorrupta, immaculata, illibata, intemerata, & penitus incontaminata, virgo ſancta corpore & ſpiritu. ora p.n.
10 Aue MARIA, virgo regia, auguſtiſſima, omni honore digniſſima. ora pro nobis.
11 Aue MARIA, virginũ caput, faſtigium, gloria, mater & regina. ora p.n.
12 Aue MARIA, virginitatis imago, magiſtra, exemplar perfectum, princeps, & mater admirabilis. ora p.n.

*Incipit ſexta Corona.*

*Coronula prima eiuſdem.*

1 Aue MARIA, glorioſiſſima & glorificandiſſima. ora pro nob.
2 Aue MARIA, præclariſſima & illuſtratiſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA, benedicta imò benedictiſſima, ora pro nobis.
4 Aue MARIA, electiſſima & præelectiſſima omnium creaturarum. ora p.n
5 Aue MARIA, affectuoſiſſima & præcordialiſſima. ora pro nob.
6 Aue MARIA, admiranda & incomparanda. ora pro nob.
7 Aue MARIA, ditiſſima & ſuper pleniſſima. ora p.n.
8 Aue MARIA, luminoſiſſima & lympidiſſima. ora p.n.
9 Aue MARIA, immaculatiſſima & intemeratiſſima. ora p.nob.
10 Aue MARIA tenerrima & delicatiſſima. ora pro nobis.
11 Aue MARIA, illuminatiſſima & docilliima. ora p.n.

12 Aue

12 Aue MARIA, capaciſſima & præparatiſſima. ora p.n.

*Coronula ſecunda Coronæ ſextæ.*

1 Aue MARIA diuiniſſima & Deificatiſſima. ora p.n.
2 Aue MARIA ſacratiſſima Dei puerpera. ora p.n.
3 Aue MARIA ornatiſſima & compoſitiſſima. ora p.n.
4 Aue MARIA fideliſſima & ſubiectiſſima. ora pro nobis.
5 Aue MARIA ſpiritualiſſima & ſubtiliſſima. ora p.n.
6 Aue MARIA ſolidiſſima & robuſtiſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA dignantiſſima & fructuoſiſſima. ora pr.n.
8 Aue MARIA vernantiſſima & venuſtiſſima. ora pro nob.
9 Aue MARIA virentiſſima & floridiſſima. ora pro nobis.
10 Aue MARIA amœniſſima & redolentiſſima. ora pro no
11 Aue MARIA liberrima & fideliſſima. ora pro nobis.
12 Aue MARIA præcellentiſſima, & ſupernaturalis. ora p.n.

*Coronula tertia Coronæ ſextæ.*

1 Regina cœlorum & totius mundi.
2 Regina gentium, & omnis humanæ creaturæ.





Aue Maria.
3 Domina Regum & omnium rerum.
4 Mediatrix noſtra & totius mundi.
5 Mediatrix ſalutis pacificans ima cum ſummis.
6 Aduocata iniquorum.
7 Reparatrix parentum.
8 Reſtauratrix ſeculorum.
9 Purificatrix poſterorum.
10 Inuentrix gratiæ.
11 Auctrix meriti.
12 Cauſa ſalutis noſtræ.
Ora pro nobis.

*Coronula quarta Coronæ ſextæ.*

Aue Maria.
1 Obſes fidei noſtræ apud Deum.
2 Præſes vitæ noſtræ & directrix.
3 Auxiliatrix præſentiſſima & efficaciſſima.
4 Spes vnica peccatorum & miſerorum.
5 Studioſorum lumen.
6 Vexatorum portus, & oppreſſorum ſubſidium.
7 Tutiſſimum & ſingulare perditorum refugium.
7 Ægrotãtium exultatio, & infirmorum conſolatio.
9 Liberatrix clauſorum, & captiuorum redemptio.
10 Vnicũ moleſtiarũ leuamẽ
11 Omnium dolorum cordis medicamentum.
12 Expectatio præmiorum noſtrorum.
Ora pro nobis.

*Coronula quinta Coronæ ſextæ.*

Aue MARIA.

1 Orphanorum ſuſceptio.
2 Dulcedo animarum credentium.
3 Spes deſperantium & omnium Chriſtianorum.
4 Præmium gloriæ magnũ, & lætitia ſanctorum.
5 Gaudium noſtrum ineffabile,&mœſtorum cõſolatio.
6 Contritio prauitatis hæreticæ.
7 Forma diſciplinæ, & omnium diſciplina.
8 Remedium aduerſus dæmones & omnes hoſtes.
9 Miraculorum effectrix.
10 Aſſectatrix IESV perpetua.
11 Obſequium deuotionis.
12 Exemplum totius perfectionis.

Ora pro nobis.

*Incipit Corona ſeptima.*

*Coronula prima eiuſdem.*

Aue MARIA.

1 Angelorum gloria.
2 Decus Patriarcharum.
3 Vaticinium Prophetarum.
4 Præconium Apoſtolorũ.
5 Magiſtra Euãgeliſtarum.
6 Honor & robur Martyrũ.
7 Doctrix doctorum & gloria Sacerdotum.
8 Exemplar & forma religioſorum.

Ora pro nobis.





9 Lumen Virginum & corona continentium.
10 Abyſſus gratiæ.
11 Armarium vitæ.
12 Hortus delitiarum.

*Coronula ſecũda Coronæ ſeptimæ.*

Aue MARIA.

1 Aula cœleſtis Regis ęterni
2 Circumſcriptio Incircumſcripti Dei.
3 Clauſtrũ pudoris integrũ.
4 Introitus vitæ, & cœli ianua.
5 Lucerna Eccleſiæ, & fidelium lumen.
6 Habitaculum verbo Dei dignum.
7 Radix & Theſaurus bonorum omnium.
8 Officina medicinæ ægrotãtib⁹,& fõs perẽniscurationũ.
9 Propugnaculũ fidei Chriſtianorum.
10 Sceptrum verendum.
11 Sedes glorificata Deo digna.
12 Pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti.

Ora pro nobis.

*Coronula tertia Coronæ ſeptimæ.*

1 Norma rectæ fidei.
2 Reparatio vitæ noſtræ.
3 Salus vniuerſorum.
4 Feſtiuitatis noſtrę principium.
5 Vnicũ nobis in terra ſolatiũ
6 Magnum mũdi miraculũ.

Aue MARIA.
7 Theſaurus deuotionis.
8 Pelagus gaudij immenſi.
9 Vmbraculũ Spiritusſancti
10 Fons indeficiens.
11 Ager inaratus.
12 Vinea non irrigata.
Ora pro nobis.

*Coronula 4. Coronæ 7.*

Aue MARIA.
1 Inconſumptus vitæ theſaurus.
2 Sacrum & ſalutiferum cellarium.
3 Laborum noſtrorum ſolatium.
4 Sudorum noſtrorum refrigerium.
5 Vena vitæ.
6 Tabernaculum Dei cum hominibus.
7 Pons fluctuantium.
8 Lucerna inextinguibilis.
9 Corona virginitatis.
10 Omniũ fœminarũ decus.
11 Creaturarum omnium ornamentum.
12 Ianua cœli, & porta Paradiſi.
Ora pro nobis.

*Coronula 5. Coronæ 7.*

1 Mulier illa fortis, quæ hoſtis antiqui caput cõtriuiſti, cuius pretiũ procul eſt, & de vltimis finibus terrę.
2 Caſtellum, in quod intrauit IESVS, quando in vtero tuo carnem noſtram ex te ſumpſit.





Aue MARIA.
3 Martha in exceptione & obſequio Filij circa multa ſollicita.
4 Optimę partis electrix quę à te non auferetur.
5 Sydus ſine læſione & claritatis diminutione emittens radium, quia ſine corruptione & integritatis detrimento Virgo peperiſti Filium.
6 Præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis & illuſtrans exemplis.
7 Quam ſequentes non deuiamus.
8 Quam rogantes non deſperamus
9 Quã cogitãtes nõ erramus
10 Qua tenẽte nõ corruimus
11 Qua protegente non metuimus.
12 Qua duce nõ fatigamur, ſed ad portũ peruenimus.
Ora pro nobis.

*Salutationes ex Ternariis nominum Deo conuenientium applicatæ Beatiſſimæ Virgini.*

*Incipit Corona octaua.*

*Coronæ octauæ Coronula prima.*

1 Aue MARIA præſentiſſima, intentiſſima & promptiſſima. ora p.n.
2 Aue MARIA miſericordiſſima, patientiſſima & beneuolentiſſima. ora p.n.

3 Aue MARIA placabiliſſima, clementiſſima,& beneficentiſſima. ora pro nobis.
4 Aue MARIA amabiliſſima, amantiſſima,& amatiſſima. ora p.n
5 Aue MARIA, piiſſima, compatientiſſima,& dulciſſima. ora.p.n.
6 Aue MARIA, eſurientiſſima,fortiſſima, & conſtantiſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA, opulentiſſima, liberaliſſima & magnificentiſſima. ora.p.n.
8 Aue MARIA, potentiſſima, ſapientiſſima,& ſanctiſſima. ora p.n.
9 Aue MARIA, benigniſſima,fideliſſima, & certiſſima. ora p n.
10 Aue MARIA, nobis proxima, omni affinitate cõiunctiſſima & officioſiſſima.ora.p.
11 Aue inſeparabiliſſima, charitate pleniſſima & ſuperamandiſſima. ora p.n.
12 Aue MARIA gaudioſiſſima, lætiſſima & fœliciſſima. ora p n.

*Coronula ſecunda Coronæ octauæ.*

1 Aue MARIA digniſſima,affabiliſſima,& delitioſiſſima. ora.p.n.
2 Aue MARIA, reuerendiſſima, metuendiſſima,& obſeruandiſſima. ora.p.n
3 Aue MARIA, laudabiliſſima,honorandiſſima,& colendiſſima. ora p.n.
4 Aue MARIA, deſiderabiliſſima,deſiderantiſſima, & deſideratiſſima. ora p.n.
5 Aue MARIA, maxima, glorioſiſſima & optima. ora.p.n.
6 Aue MARIA excellentiſſima,victorioſiſſima, & iucundiſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA, iuſtiſſima, veraciſſima, & gratioſiſſima. ora.p.n.





8 Aue MARIA altiſſima,pulcherrima & ſuauiſſima. ora.p.n.
9 Aue MARIA vtiliſſima, honeſtiſſima & delectabiliſſima. ora p.n.
10 Aue MARIA præſtantiſſima, lucidiſſima & ſereniſſima. ora p.n.
11 Aue MARIA pretioſiſſima, familiariſſima & ſecretiſſima. ora.p.n.
12 Aue MARIA perfectiſſima,nobiliſſima & beatiſſima. ora.p.n.

*Coronula tertia Coronæ octauæ, quæ cum duabus ſequentibus continet virtutes, dona & fructus Beatiſsimæ Virginis.*

1 Aue MARIA humillima,reuerentiſſima & timoratiſſima. ora.p.n.
2 Aue MARIA, ſummè taciturna, verecundiſſima & modeſtiſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA paupertima,ſummè ſobria & caſtiſsima. ora p.n.
4 Aue MARIA auſteritatis ſtudioſiſsima, patientiſsima & manſuetiſsima. ora p.n.
5 Aue MARIA, erga Deum & proximos omnes piiſsima & benigniſsima. ora p.n.
6 Aue MARIA, diuina & fraterna charitate pleniſsima & amantiſsima. ora.p.n.
7 Aue MARIA, intentione rectiſsima, illuminatiſsima & Deiformis. ora p.n.
8 Aue MARIA, abnegatiſsima,atque erga Superiores reuerentiſsima,& obedientiſsima. ora p.n.
9 Aue MARIA lugentiſsima,compatientiſsima,& orationi deditiſsima. ora.p.n.
10 Aue MARIA,eſurientiſsima,ſtrenuiſsima,& vigilantiſsima. ora p.n.

11 Aue MARIA diligentiſſima, deuotiſſima & feruentiſſima. ora p.n.
12 Aue MARIA zelantiſſima, & diſcretè ſeuera ac benigna. ora p.n.

*Coronula quarta coronæ octauæ.*

1 Aue MARIA generoſiſſima, confidentiſſima & magnanimiſſima. ora p.n.
2 Aue MARIA fortiſſima, tolerantiſſima, & virtuoſiſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA conſtantiſſima, ſtabiliſſima, & perſeuerantiſſima. ora pro nobis.
4 Aue MARIA miſericordiſſima, veraciſſima, & innocentiſſima. ora p.n.
5 Aue MARIA iuſtiſſima, gratiſſima, & liberaliſſima. ora p.n.
6 Aue MARIA temperantiſſima, ſenſuum continentiſſima ſilentij & ſolitudinis ſtudioſiſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA corde mundiſſima, & in affectionibus concupiſcibilis & iraſcibilis appetitus ordinatiſſima, atque ab omni paſſione immoderata, & perturbatione alieniſſima. ora p.n.
8 Aue MARIA ſpiritu eleuatiſſima, illuminatiſſima, & ardentiſſima, cõtemplatiuorum omnium ſupereminentiſſima. ora p.n.
9 Aue MARIA prudentiſſima, ſapientiſſima & eloquentiſſima. ora p.n.
10 Aue MARIA ſimpliciſſima, pudiciſſima, & pacatiſſima. ora p.n.
11 Aue MARIA ſummè pacifica cum Deo, cum hominibus & inter Deum & homines. ora p.n.





12 Aue MARIA, perſecutionum propter iuſtitiam patientiſſima tàm in te, quàm in tuo Filio, & in omnibus fidelibus afflictis: quorum omnium perſecutiones & tribulationes in corde tuo per intimam compaſſionem pertuliſti. ora p.n.

*Coronula quinta coronæ octauæ.*

1 Aue MARIA, in fide, ſpe, & charitate perfectiſſima. ora p.n.
2 Aue MARIA, donis ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, atque timoris Dei pleniſſima. ora p.n.
3 Aue MARIA, in laude & gratiarũ actione aſſidua. ora p.n.
4 Aue MARIA, in obſecratione confidentiſſima, & reſignatione perfectiſſima & feruentiſſima. ora p.n.
5 Aue MARIA, fructibus charitatis, gaudij & pacis refertiſſima. ora p.n.
6 Aue MARIA, patientia, longanimitate, & manſuetudine pleniſſima. ora p.n.
7 Aue MARIA, bonitate, benignitate & beneficentia abundantiſſima. ora p.n.
8 Aue MARIA, fide, fidelitate & modeſtia copioſiſſima. ora p.n.
9 Aue MARIA, continentia, caſtitate & puritate integerrima. ora p.n.
10 Aue MARIA, innocentia, ſecuritate, & mentis tranquillitate ſemper ornatiſſima. ora p.n.
11 Aue MARIA, prudentia ſerpentina, oris ſapientia, & ſimplicitate columbina pollentiſſima. ora p.n.

12 Aue MARIA, omnibus gratiis, virtutibus, & meritis cumulatiſsima. ora p.n.

*Incipit Corona nona continens Ternaria nominum Ieſu, in quibus honoratur B. Virgo tanquam eius Mater.*

*Coronula prima Coronæ nonæ.*

1 Aue MARIA Mater IESV noſtri præcognitoris, electoris, & gratificatoris. ora pro nobis.

2 Aue MARIA mater IESV noſtri Plaſmatoris, Creatoris, & aſſimilatoris. ora p.n.

3 Aue MARIA mater IESV noſtri Conſeruatoris, gubernatoris inſpiratoris. ora p.n.

4 Aue MARIA mater IESV noſtri regeneratoris, redemptoris, viuificatoris. ora p.n.

5 Aue MARIA mater IESV noſtri purgatoris, illuminatoris, & inflāmatoris, ora p.n.

6 Aue MARIA mater IESV noſtri nutritoris, veſtitus & hoſpitij largitoris, & promiſſoris. ora p.n.

7 Aue MARIA mater IESV culpæ remiſſoris, pœnæ perſolutoris, gratiæ & continentiæ reſtitutoris. ora p.n.

8 Aue MARIA mater IESV, noſtri eductoris, vocatoris, & aſſumptoris. ora p.n.

9 Aue MARIA mater IESV, noſtri diſpenſatoris, dotatoris, & fœcundatoris. ora p.n.

10 Aue MARIA mater IESV noſtri defenſoris in morte Conſolatoris & ſuſceptoris. ora p.n.

11 Aue MARIA mater IESV noſtri ſuſcitatoris, præſeruatoris & configuratoris. ora pro nobis.

12 Aue MARIA mater IESV meritorum diſcuſſoris, glorificatoris bonorum, & malorum reprobatoris. ora p.n.

*Coro*



*Coronula ſecunda Coronæ nonæ.*

Aue MARIA Mater IESV noſtri

1 Patris, fratris, & ſanctificatoris.

2 Iudicis, Aduocati, & Abſolutoris.

3 Regis, Principis, & Rectoris morum.

4 Domini, Emanuelis, & amici.

5 Præceptoris, magiſtri & legiſlatoris.

6 Paſtoris, hoſpitis, & viſitatoris.

7 Creditoris, fideiuſſoris & debitorum dimiſſoris.

8 Protectoris, cuſtodis & Medici.

9 Liberatoris, Saluatoris, Pacificatoris.

10 Dei, Hominis, & omnia continentis.

11 Reparatoris, Reconciliatoris & Deificatoris.

12 Correctoris, Reformatoris & Ædificatoris.

Ora pro nobis.

*Coronula tertia Coronæ nonæ.*

1 Patris miſericordiarū, participis noſtrarū miſeriarum & Dei totius conſolationis.

2 Patris futuri ſeculi, comitis itineris, & ſubleuatoris in via.

3 Regis æternæ glorię, Socij exilij noſtri & conſolatoris.

4 Dominatoris, Miniſtratoris & amatoris.

Aue MARIA Mater IESV. { 5 Inſtructoris, conſultoris, & eruditoris.
6 Imperatoris, ducis, & pugnatoris, ac triumphatoris.
7 Largitoris omnium bonorum, Mediatoris, & Sacerdotis, ac cōſeruatoris bonorum datorum.
8 Tutoris, Samaritani, & curatoris.
9 Antiqui dierũ iuuenis floridiſſimi, & caſtiſſimi amatoris & affectoris.
10 Adoptatoris benigniſſimi, promiſſoris fideliſſimi, & redditoris certiſſimi.
11 Agricolæ, vitis, purgatoris & fructificatoris.
12 Excitatoris, adiutoris, & conſummatoris. } Ora pro nobis.

*Coronula quarta Coronæ nonæ.*

1 Iuſtificatoris, Mediatoris & præmiatoris.
2 Scrutatoris, reuelatoris, & deſtructoris vitiorum.
3 Suppletoris omiſſorum, reſtauratoris perditorum, & cōſeruatoris reſtauratorum.
4 Viuificatoris operum mortificatorum, retributoris nouarum gratiarum & multiplicatoris talentorũ datorũ.





Aue MARIA mater IESV. { 1 Authoris & amatoris libertatis, pacis & vnitatis.
6 Inhabitatoris, conuiuæ, & Refectoris.
7 Pontificis ſummi, conſecratoris, & Epiſcopi.
8 Propugnatoris ad ſaluandum, calcatoris torcularis, & conculcatoris impiorum.
9 Zelatoris, præliatoris, & victoris.
10 Dei exercituum victionum, & victoriarum.
11 Doctoris, ducis itineris, & directoris in deuiis.
12 Plantatoris, recreatoris, & paracleti } Ora pro nobis.

*Coronula quinta Coronæ nonæ.*

*Continens nomina appropria filio Dei, cuius mater eſt B. virgo.*

1 Filij Dei, artis ſummi opificis, & ideæ patris.
2 Sapientiæ patris per quem omnia, & ſecundum quem omnia.
3 Splendoris ſolis iuſtitiæ, ſpeculi ſine macula diuinæ maieſtatis, & candoris lucis æternæ.
4 Archetypi ſummi artificis, exemplaris, & ſpeciei.

| | | |
|---|---|---|
| Aue MARIA mater IESV. | 5 Imaginis primi principij, Pulchritudinis & lucernæ diuinæ claritatis.<br>6 Gloriæ diuinæ maieſtatis, luminis de lumine, & fontis lucis inextinguibilis.<br>7 Dexteræ patris, Brachij Dei, & virtutis altiſſimi.<br>8 Vultus & faciei patris, formæ & decoris vniuerſi.<br>9 Splendoris paternæ gloriæ, figuræ ſubſtantiæ eius, & imaginis bonitatis illius.<br>10 Veritatis infallibilis, intelligentiæ puræ, claritatis paternæ.<br>11 Oſculati à patre, dilecti, & vncti præ participibus ſuis.<br>12 Verbi Dei, flammæ ignis lucentis, profluuij fontis viuifici. | Ora pro nobis. |

Si volueris, poteris ternari à nominum IESV in hac corona vltima expreſſa diuidere, & per ſingula cuiuſlibet ternarij nomina, ſingulariter B. Virginem ſalutare, & ex quatuor ternariis vnam coronulam ſic facere, dicendo autem (ora pro nobis) poteris per preces B. Virginis petere & impetrare obſecrationes dictis ternariis, vel ſingulis nominibus congruas quas inuenies, in pſalterio decachardo. Idem obſeruabis, in ternariis nominum ſuperlatiuorum, in corona ſexta propoſitorum.





*Salutationes ex verbis ſacræ ſcripturæ ſumptæ, & beatiſſimæ virgini applicatæ.*

### *Incipit Corona Decima.*

### *Coronula prima Coronæ decimæ.*

1 Aue MARIA paradiſus voluptatis, habens lignum vitæ in medio tui, ac lignum ſcientiæ boni & mali, atque omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: ex qua etiam egreditur fluuius irrigans vniuerſam terram. ora pro nobis. *Gene. 2.*

2 Aue MARIA, ſecunda Eua viuentium omnium vita, gratiæ mater, virago dicta, Xpo Adæ ſecundo in adiutoriũ ſimile ſibi data. or. *Ibid.*

3 Aue MARIA, mulier illa quę contriuiſti caput ſerpentis antiqui Diaboli, inter quem & ſemen illius & inter te & ſemen tuum perpetuæ ſunt inimicitiæ. ora p.n. *Gen. 3.*

4 Aue MARIA, arca Noë de lignis leuigatis fabricata, & intus ac exteriùs bitumine caſtitatis & cõtinentiæ linita, extra quã exiſtẽtes, diluuio pereunt: quia ſoli cultores & ſerui tui ſaluantur per filium tuum. ora p. n. *Gen. 6.*

5 Aue MARIA Columba ſimplex euolans ex arca, & reportans ramum oliuæ virentibus foliis in ore tuo: dum tuis precibus & meritis peccatores Deo reconcilias. ora. p.n. *Gen. 8.*

6 Aue MARIA, arcus & ſignum fœderis & reconciliationis poſitus in nubibus: quo apparente recordatur Dominus fœderis ſui, & placatur peccatoribus. ora pr.n. *Gen. 9.*

7 Aue MARIA Sara, Domina gentium, pulcherrima veri Iſaac Chriſti mater. ora p. *Gen. 24.*

Gen.24 8 Aue MARIA, Rebecca puella formoſiſſima, quæ de hydria tua potum tribuiſti ſeruo Abrahæ, & camelis eius aquam hauſiſti: præparata vero Iſaac, & mater Iacob, hoc eſt omnium ſupplantantium vitia, & Deum per fidem videntium: quæ etiam illis obtinuiſti benedictionem à patre. ora pr. nob.

Gen.28 9 Aue MARIA, ſcala quam vidit Iacob ſtantem ſuper terram, cuius cacumen tangebat cœlum, & Angeli per eam deſcendebant & aſcendebãt: cui etiam Dominus erat innixus. ora pro nob.

Gen 29 10 Aue MARIA Rachel decora facie, & venuſto aſpectu: quam præ cæteris Iacob Chriſtus dilexit: mater veri Ioſeph & Beniamin. ora p.n.

Gen.49 11 Aue MARIA, deſiderium collium æter norum. ora pr.n.

Exod.3 12 Aue MARIA, Rubus in medio tui flammam ignis, id eſt, Dei verbum geſtans & ardens, & tamen incombuſtus per virginitatis integritatem permanens. ora p.nob.

*Coronula ſecunda Coronæ decimæ.*

Exod.4 1 Aue MARIA, virga Moyſi, in qua & per quam fecit Deus ſigna mirabilia aduerſus diabolum & ſeruos eius: quæ etiam deuotaſti virgas maleficorum, quia omnes hæreſes deſtruxiſti.

Exo.25. 2 Aue MARIA, arca vera de lignis Sethim cõpacta intus & foris auro mundiſſimo deaurata, habens coronam auream per ſupra circuitum. ora p.n.

Ibid. 3 Aue MARIA, arca Teſtamenti, & taber-

nac



naculum fœderis: in qua eſt propitiatorium reconciliationis humanæ. ora pr.n.

4 Aue MARIA, propitiatorium de auro mundiſſimos habẽs duos Cherubin aureos ex vtraque parte extendentes alas, & vtrumque latus oraculi tegentes, reſpicienteſque ſe mutuo verſis vultibus in propitiatoriũ. ora. Ibid.

5 Aue MARIA, menſa propoſitionis, de lignis Sethim auro puriſſimo inaurata, in qua nobis eſt propoſitus panis vitæ. ora p.n. Ibid.

6 Aue MARIA, ſtella ex Iacob orta, & virga quæ conſurrexiſti de Iſrael ex qua proceſſit homo Chriſtus, qui percuſſit omnes duces alienigenarum. ora p.n. Num. 24.

7 Aue MARIA, virga Aaron quæ ſola germinauit & ex qua turgentibus genuis eruperunt flores, qui foliis dilatatis, in Amygdalas deformati ſunt. ora pro nob. Num. 17.

8 Aue MARIA verum vellus Gedeonis, in qua ſola fuit ros diuinæ gratiæ ſuperabundantis & ab omni peccato etiam originali te preſeruantis, atque fonte gratiæ verbo Dei te replentis, & in omni terra fuit ſiccitas, quia cæteri puri homines peccato ſaltẽm originali, infecti, ſicci fuerunt. ora pro nob. Iudic. 6.

9 Aue MARIA, Noemi pulchra, & mara, id eſt amara quam in ſua paſſione valdè amaritudine Chriſtus Dominus repleuit. ora p.n. Ruth.1.

10 Aue MARIA, Ruth formoſa: filia à Domino benedicta & mulier virtutis: mater Obed patris Iſai, patris Dauid. ora p.n. Ruth.3.

11 Aue MARIA Templum veri Salomonis, de lapidibus dolatis & perfectis ædificatum: & malleus & ſecuris, & omne ferramentum non eſt auditum in eo cum ædificaretur, 3.Reg.6

quod

quod eſt ex omni parte auro tectum. ora p.n.

*Iud.8.* 12 Aue MARIA, Iudith caſtiſſima & victorioſiſſima, eleganti aſpectu, famoſiſſima, timens valde Dominum: de qua non fuit qui loqueretur verbum malum: mulier ſancta, quæ Holofernis diaboli caput abſtuliſti, quam ſperantem in ſe Dominus non deſeruit, ſed in te ancilla ſua adimpleuit miſericordiam ſuam quam promiſit domui Iſrael, & in manu tua interfecit hoſtem populi ſui. Propter quod tu benedicta es filia à Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram: quia Dominus benedixit te in virtute ſua, & per te ad nihilũ redegit inimicos noſtros nomenque tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominũ in æternum. ora p.n.

*Coronula tertia Coronæ decimæ.*

*Iud.15.* 1 Aue MARIA, gloria Hieruſalem, lætitia Iſrael, honorificentia populi Chriſtiani: quæ feciſti viriliter & cõfortatũ eſt cor tuũ contra Diabolum: eo quòd caſtitatem amaueris, & virum non cognoueris, & ideo benedicta eris in æternum. ora p.n.

*Eſthe.2.* 2 Aue MARIA, Eſther pulchra nimis & decora facie, formoſa valdè, & incredibili pulchritudine, omniũ oculis gratioſa & amabilis: quam rex cœleſtis adamauit pluſquã oẽs mulieres: & quæ habuiſti gratiã & miſericordiã corã eo ſuper oẽs mulieres, & poſuit diadema regni in capite tuo. Quæ Amã diabolũ populi tui inimicũ & hoſtẽ peſſimũ interemiſti. Propter ꝙ te naſcente Chriſtianis noua lux oriri viſa eſt, gaudiũ, honor & tripudũ. ora.

3 Aue



3 Aue MARIA, Mons ſanctus Domini, de quo nos voce noſtra ad ſe clamantes exaudit Dominus. ora p.n. *Pſal. 3.*

4 Aue MARIA, dies cui dies Gabriel Archangelus eructauit & annuntiauit verbum ex te incarnandum. ora p.n. *Pſa.18.*

5 Aue MARIA, Sol ſplendidiſſimus, in quo filius Dei tabernaculũ corporis ſui poſuit. or. *Ibid.*

6 Aue MARIA Thalamus ex quo filius Dei, tanquã Eccleſiæ ſpõſus proceſſit, & exultauit vt gigas ad currendã noſtræ ſalutis viam. or. *Ibid.*

7 Aue MARIA, firmamentũ annuntians opera manuũ Domini, *firmamentum* in quã virtutis Domini, in quo Dñs eſt laudandus. ora p. *Pſa.150*

8 Aue MARIA, Regina quæ à dextris IESV filij tui aſtitiſti, in veſtitu deaurato charitatis circundata varietate cæterarũ virtutum. ora. *Pſa.44*

9 Aue MARIA, filia Dei patris quæ audiſti ab Angelo ſalutationẽ & filij Dei incarnationem ex te futurã: & vidiſti ac credidiſti eã in te perficiendã: & inclinaſti aurẽ tuam, conſentiẽdo & reſpondẽdo, ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. ora. *Ibid.*

10 Aue MARIA, cuius decorẽ id eſt, fidẽ, ſpẽ & charitatẽ: obedientiã, humilitatem, & caſtitatẽ Rex Xpus Dominus Deus tuus (quem oẽs odorant) ſic concupiuit, vt ex te carnem ſumere, & filius tuus fieri dignatus ſit. ora p. *Ibid.*

11 Aue MARIA, Regina cœli & terræ, cuius vultũ deprecãtur & aſpicere deſiderãt oẽs diuites plebis, id eſt, perfectiores & tibi deuotiores, & filiæ Tyri, id eſt animæ peccatis oneratæ & anguſtiatæ, in muneribus precum humilium, & fructuum pœnitentiæ ad te accedunt. ora p. *Ibid.*

12 Aue

12 Aue MARIA ſilia regis æterni, *cuius omnis gloria eſt abintus*, ex teſtimonio bonæ cõſcientiæ relucẽs etiam *in fimbriis aureis*, operum ex ardenti charitate factorum: *circumamicta varietatibus* omnium virtutum, donorum, fructuum & beatitudinum. ora p.n.

*Coronula quarta Coronæ decimæ.*

*Ibid.* 1 Aue MARIA, virginum primiceria: poſt quam & per quam Regi Chriſto filio tuo *virgines*, id eſt animæ caſtæ *adducuntur* deſponſandæ, & *proximæ* tuæ, id eſt, mentes puræ & ardentes charitate eidem Regi per te *afferuntur in lætitia & exultatione*, & omnes *adducuntur in templum Domini* cæleſte, perpetuo fœdere eidem copulandæ. ora p.n.

*Ibid.* 2 Aue MARIA virgo ſpecioſiſſima, mater præ filiis hominum ſpecioſa, quæ *ſpecie tua* exteriori, & *pulchritudine* interiori, tibi deuotis *proſperè intendis*, & *procedis* in eis, faciens illos in virtutibus & gratiis proficere, *ac regnas*, dirigens eos in omnibus iuxta filij tui beneplacitum. ora p.nob.

*Ibid.* 3 Aue MARIA cuius *dextera*, filius tuus verus Deus, & adiutor tuus, *mirabiliter* te in omnibus *deduxit, propter* tuam *veritatem*, id eſt illuminatam contemplationem & notitiam, & propter *manſuetudinem*, & *iuſtitiam* tuam. or.

*Ibid.* 4 Aue MARIA quæ *dilexiſti iuſtitiam* & omnem virtutem, atque *odiſti iniquitatem* & omne vitiũ, ac propterea *vnxit te Deus* omnium *Deus* tuus filius, *oleo letitiæ* & ſpiritualis gaudij, *præconſortibus tuis*, & omnibus puris creaturis. ora pro nobis.





5 Aue MARIA, à *cuius veſtimentis* & exemplis procedunt *Myrrha* caſtitatis, & *gutta fidei*, & *caſia* humilitatis, *ex quibus filiæ regum*, id eſt, animæ Apoſtolorum doctrina in Chriſto genitæ, *delectabiles* ſe eidem Chriſto exhibent ad honorem ipſius. ora p.n. *Ibid.*

6 Aue MARIA in cuius *labiis gratia* ſeptiformis eſt *diffuſa*, propter quod te benedixit Deus in æternum. ora p.n. *Ibid.*

7 Aue MARIA, *Tabernaculum altiſſimi* ab ipſo ſanctificatum, in *cuius medio* Deus extitit & ideo non es cõmota, ſed ſemper adiuuit te Deus vultu ſuæ præſentiæ & fauoris. ora p.n. *Pſal. 45*

8 Aue MARIA ciuitas Dei, quam fluminis impetus, id eſt, ſpiritus ſancti gratia, ſuperabundans, letificat. ora pro n. *Ibid.*

9 Aue MARIA Templum Domini, in cuius medio ſuſcepimus miſericordiã Dei patris. or. *Pſa. 47.*

10 Aue MARIA, terra quæ dediſti fructum per quem benedicit nos Deus pater, & Deus filius, noſter frater nobis datus & ex te natus: benedicit etiam nos ſpirituſſanctus, quem metuunt omnes fines terræ. ora.p.n. *Pſa. 66.*

11 Aue MARIA, *Terra* quam benedixit Dominus, & ſic auertit captiuitatem Iacob, & quæ Domino dante benignitatem, dediſti & genuiſti fructum tuum IESVM Chriſtum, ante quem iuſtitia ambulauit & in te præceſſit, ſicque in te tanquã in via ſaluris, poſuit greſſus ſuæ humanitatis. ora p.n. *Pſa. 84.*

12 Aue MARIA, ciuitas Dei, de qua glorioſa dicta ſunt, cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis, & ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. ora pro nob. *Pſa. 86.*

*Coronula quinta Coronæ decimæ.*

*Ibid.* 1 Aue MARIA, *Syon* ſancta, cuius portas Dominus diligit ſuper omnia tabernacula Iacob: in qua natus eſt homo Chriſtus, qui altiſſimus Deus exiſtens, te fundauit. ora p.n.

*Ibid.* 2 Aue MARIA, quæ *memor es Raab & Babylonis*, id eſt omnium peccatorum *ſcientium te* eſſe miſericordiæ matrem. ora p.n.

*Pſa.89.* 3 Aue MARIA, terra de qua veritas Chriſtus orta eſt, & de qua Deus verum panem, *Pſa.103* cor hominis confirmantem, & vinum cor hominis lætificans, atque oleum exhilarans faciem nobis, eduxit. ora p.

*Pſa.131* 4 Aue MARIA, arca ſanctificationis ſacra & animata, in requiem cum Chriſto vero Dauid aſſumpta. ora pr.nob.

*Pſal.51.* 5 Aue MARIA, Oliua fructifera in domo Dei. ora p.

*Prou.31* 6 Aue MARIA, mulier illa fortis, cuius pretium procul eſt & de vltimis finibus: in qua confidit cor viri tui, id eſt ſponſi cœleſtis, cui etiam reddidiſti bonum & non malum omnibus diebus vitæ tuæ. ora p.

*Ibid.* 7 Aue MARIA, quæ facta es quaſi nauis inſtitoris de longè portans panẽ tuum. ora p.

*Ibid.* 8 Aue MARIA, cuius indumentũ eſt fortitudo & decor, quæ etiam aperuiſti os tuũ ſapientiæ: & lex clementiæ eſt in lingua tua: tu etiã ſupergreſſa es vniuerſas filias, quæ congregauerunt diuitias. ora p.

*Sap. 3.* 9 Aue MARIA, virgo incoinquinata, quæ neſciſti thronum in delicto: propter quod habes iam fructum in reſpectione animarum ſanctarum. ora p.n.





10 Aue MARIA, cuius caſta generatio cum claritate eſt pulcherrima: & apud Deum & homines notiſſima, in perpetuum coronata, triumphans, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. ora pro n. *Sap. 4.*

11 Aue MARIA virga de radice Ieſſe egreſſa: de cuius radice & puro ſanguine conceptus eſt, & aſcendit IESVS Chriſtus flos verus, ſuper quẽ requieuit ſpiritus ſeptiformis. ora. *Eſai.11.*

12 Aue MARIA virgo inuiolata, quæ iuxta Eſaiæ vaticinium concepiſti, & peperiſti filium, cuius nomen vocatum eſt Emanuel. or. *Eſai. 7.*

*Coronula vnica.*

1 Aue MARIA, terra benedicta, quæ rorantibus cœlis deſuper, aperta es, & germinaſti ſaluatorem, cũ quo iuſtitia ſimul eſt orta. ora. *Eſa 45.*

2 Aue MARIA, nubes illa leuis, & virgo grauida ſine onere: ſuper quam Dominus IESVS ingreſſurus Ægyptũ huius mundi aſcendit & in vtero tuo requieuit: ad cuius ingreſſum omnia Ægypti ſimulachra commota ſunt, & demones contremuerunt & contabuerunt. ora pro nob. *Eſai.19.*

3 Aue MARIA, in qua nouum creauit Dominus ſuper terrã, ſcilicet vt tu fœmina circundares & in vtero geſtares, virum, id eſt IESVM perfectum Deum & hominem. ora. *Hie.31.*

4 Aue MARIA, porta quam vidit Ezechiel clauſam perpetua virginitate, per quam nullus vir tranſiuit, ſed ſolus Dñs Deus Iſrael per te clauſam eſt ingreſſus, & tu manſiſti porta clauſa principi Chriſto, qui etiam in tuo vtero nouem menſibus ſedit. ora pro nobis. *Eze.44.*

Dan.2. 5 Aue MARIA, mons ille ſublimis, de quo abſciſſus eſt ſine manibus, apis verus, id eſt Chriſtus ſine ſemine virili ex te conceptus & genitus, qui omnia huius mundi regna contriuit, & comminuit ſuoque ſubiugauit, imperio, & factus eſt mons magnus qui impleuit vniuerſam terram. ora p. nob.

Ioſu.20. 6 Aue MARIA, ciuitas refugij, & ſecuritatis. ora p, nob

Hebr.9. 7 Aue MARIA, vrna aurea, continens virgam Aaron quæ fronduerat, & tabulas teſtamenti. ora p.n.

Eſa.26. 8 Aue MARIA vrbs noſtræ fortitudinis, in qua ſaluator nobis poſitus eſt murus & antemurale. ora p.n.

Gen. 1. 9 Aue MARIA cœlum ab initio per prædeſtinationem creatum, quæ numerum inſtar cœli puriſſima virginitate, cœleſtem vitam duxiſti, & dignitate altiſſima fuiſti. ora p.n.

Gen.1. 10 Aue MARIA terra humilitate infima & maternitate fæcundiſſima, & mare inundans gratiis. ora pro n.

Gen 1. 11 Aue MARIA lux & nubecula de qua Sol lumen aſſumpſit quia de te carnem accepit verus Sol Iuſtitiæ Chriſtus. ora p.n.

12 Aue MARIA, firmamentum in medio aquarum ſtabilis in fide, omnibus virtutibus tamque ſtellis ornata, Dei & hominum mediatrix. ora pr.nob.

PRÆ



## PRÆFATIO IN SAlutationes Beatæ Virginis ex Cantico Canticorum, & ex Eccleſiaſtico deſumptas.

*QVIA in feſtis Conceptionis Natiuitatis, & Præſẽtationis beatiſſimæ Dei genitricis iuxta morem noſtri Cartuſienſis ordinis Canticum Canticorum, in lectionibus matutinarum totum perlegitur. Et pleráque reſponſoria earundem ſolennitatum ſumuntur ex eodem Cantico (in quo etiam excellentiſſimæ laudes eiuſdem glorioſiſſimæ virginis côtinentur.) Ideò hic collegimus ex noſtri Patris Dioniſij Cartuſiani expoſitione in dictum Canticum, ſequentes Salutationes ex ipſiuſmet Cãtici verbis eidem Virgini, mirabiliter & deuotiſſimè ab eodem Patre applicatis, ſumptas. Quarum ſingulis adiunximus vnam obſecrationem, qua eiuſdem Cantici verba mirabiliter nobis tanquam Chriſti ſponſis accommodantur, iuxta eiuſdem Patris expoſitionem: cuius propria verba breuiùs collecta hic inſeruimus. Habent enim ſpecialem energiam, & ſpiritum intimæ deuotionis. Habes igitur, deuote lector &*

 *Orator*

*Orator, hic duplicem expoſitionem Cantici Canticorum deuotiſſimam. Nam in Salutationibus, verba Cantici fœliciſsimæ Virgini Dei matri applicantur: in obſecrationibus autem, cuilibet animæ fideli & deuotæ Chriſti Sponſæ. Et quia tàm in prædictis feſtis, quàm in Viſitatione, Compaßione, & Aſſumptione eiuſdem virginis, more Cartuſiano epiſtolæ in Miſſæ officio leguntur ex 24. capite libri Eccleſiaſtici, cuius etiam verba in capitulis ad horas quotidianas eiuſdem Virginis repetuntur. Ideò poſt Salutationes ex Cantico Canticorum ſumptas, ſubiunximus alias Salutationes ſumptas ex verbis Eccleſiaſtici, iuxta dicti Patris Dioniſij Cartuſiani expoſitionem eiuſdem Dei Genetrici applicatis, quibus obſecrationes conuenientes addidimus.*





# SALVTATIONES BEATAE MARIAE EX Canticis Canticorum deſumptæ cum congruis petitionibus.

*Incipit Corona vndecima,*

*Coronula I. eiuſdem.*

AVe MARIA, quam vnigenitus Dei ſponſus cœleſtis, *Oſculatus eſt ore ſuo*, dum & amoroſiſſimè & intimè mentem tuam luce ſapientiæ & charitatis ſuæ perfudit, accendit & amplexatus eſt, & ex te corpus ſibi aſſumpſit: atq; ſimul cum anima rationali, ſuæ increatę perſonalitati, vnione perſonali, copulauit & vniuit: qui etiam ſui oris oſculo corporali ſæpiùs te, præſertim in infantia & pueritia ſua, eſt oſculatus.

Eya ora pro nobis, vt dulciſſimus ille Spōſus dignetur nos pauperculos ſibi gratioſè applicare & immediatè coniungere, illuminando apicem intellectus noſtri, & inflāmando verticem voluntatis ad ipſum contemplandum & amplexandum.

2 Aue MARIA, Cuius vbera meliora ſunt vino, fragrantia vnguētis optimis: quia charitas tua, qua zelo honoris Dei ferues, & proximos tuos orationibus atque exemplis foues: & pietas tua, qua pereuntibus condoles & ſubuenire deſideras: *meliora ſunt vino*, id eſt, legis rigore & omni corporali dulcore: *Et fragrantia* odore ſuauiſ-

ſimo procedente *ex vnguentis optimis.* i. ex ſublimi contemplatione, qua diuinæ maieſtatis honorabilitatem---- contemplaris, & ex diſcretione, qua cuncta ordinatè & decenter peragis.

Eya his vberibus charitatis & pietatis tuæ, nos lacta,& nutri ac refoue: & fac vt in odore eorum, carnalia & terrena cuncta contemnamus, faſtidiamus & relinquamus.

3 Aue MARIA,*cuius nomen eſt oleum effuſum*: quia cum ſis viſceribus internæ pietatis tota redundans, & omni miſericordia affluens, es præclariſſimę famę:& portas pię memorię nunquam abſque inſitę tibi dulcedinis aſperſione,ingrederis:ſed recordatio tui nominis ſemper mentem reficit.

Eya ſemper recodemur tui nominis ſuauiſſimi, & in omnibus anguſtiis fiducialiter illud inuocemus & exoremus.

4 Aue MARIA, quam *adoleſcentulæ*, id eſt, animæ innocentes & ſimplices, ſeu recenter conuerſæ & adhuc puſillæ, & vniuerſæ fidelium animæ, *diligunt*, & præ omni creatura pura amant, tanquam ſummam & optimam Dominam, ſanctarum ſanctam: Aduocatam & matrem, præcipuúmque refugium & cooperatricem reparationis humanæ, cui regnum miſericordiæ eſt commiſſum.

Eya aſcribe nos inter adoleſcentulas, innocentes, ſimplices & humiles, quæ te ſingulariter diligunt, amant, colunt & venerantur.

5 Aue MARIA, quæ tibi deuotos, *trahis*

*poſt te*



*poſt te*: i. & præcordia illorum indeſinenter allicis & applicas tibi cum ſublimiori contemplatione, & affectu calidiori: *Vt currant in odore vnguentorum.* i. vt odore ſpiritualium chariſmatum & virtutum tuarum allecti, & tuis orationibus, exemplis & meritis confortati, currant & indefeſſè feſtinent imitari tua veſtigia, atque aſpirent ad æternam beatitudinem.

Eya nos à terrenis abſtractos,& ab omnibus impedimentis abſolutos trahe & eleua ad te contemplandam, venerandam & amandam: & fac vt in odore & pura delectatione tuorum actuum virtuoſorum curramus, & cum ingenti promptitudine ac ſpirituali lætitia ad te imitandum, properemus.

6 Aue MARIA, quam Rex regum Chriſtus,*introduxit in cellaria ſua*.in ſecreta & abliſta ſapientiæ ſuæ:in occultiſſimas & profundiſſimas cœleſtium contemplationes: tanquam familiariſſimam ſuam ſecretariam & & conſiliariam, & tanquam ſapientiſſimam ſponſam ac dilectiſſimam ſuam matrem,cui vtique ſecretiora ſua aperuit.

Eya ora pro nobis,vt & nos dignetur Rex cœleſtis introducere in cancellaria ſua, nobis oſtendendo effluentiam gratiæ in præſenti paratæ,atque ſuper affluentiam gloriæ nobis,ſi ei perſeuerauerimus in futuro præſtandæ, & quam ſit ipſe infinitè delitioſus, perfectus,fœlix, altiſſimus, & ad dandum ac remunerandum liberaliſſimus.

7 Aue MARIA,*in qua omnes pij fideles exultant & lætantur*, ac gloriantur, tanquam in

Aa 3 pul

pulcherrima, præſtantiſſima, piiſſima, chariſſima & optima Domina. *Memores*, ſpiritualium, *vberum tuorum*, hoc eſt, totius charitatis & miſericordiæ tuæ ad nos, quibus animas noſtras, tanquam benigniſſima mater, dulciter foues: quæ nobis ſapiunt *ſuper* & pluſquam *vinum*, ſeueritatis & rigoris iuſtitiæ diuinæ.

Eya ora pro nobis, vt & nos ſanctitati, maternæ dignitati gratiis, priuilegiis, perfectioni & excellentiæ tuæ ex puro amore cõgratulemur: exultemus etiam quod tu tanta ac talis, ſic maternè nos diligis, præuenis & foues: memores tuæ charitatis & pietatis, tuarúmque miſerationum & beneficiorum, quibus iugiter nos reficis & conſolaris, vt ex horum recordatione in tui amorem accẽdamur, & ad gratias agendas excitemur.

8 Aue MARIA, *quam recti*, & diuinæ voluntati per charitatem coformes, *diligunt*, tanquam deificatiſſimam matrem, celeberrimam virginem, amabiliſſimam Sponſam, totam bonam, piam, dulcem, ſpecioſam, & in qua nihil prorſus ſeueritatis inuenitur.

Eya ora pro nobis, vt & nos recti & iuſti ſimus, Dei mandata & voluntatem obſeruantes: téque amore ſpirituali, puro, feruenti & infuſo diligamus, veneremur & imitemur.

9 Aue MARIA, quæ in conſideratione paſſionis dilectiſſimi Filij tui, *Nigra fuiſti, ſed tamen formoſa*: quia licet tu nubilo doloroſiſſimæ, compaſſionis, triſtitiæ ac mœroris fueris tunc cooperta, impleta ac penetrata, atque gladio doloris in anima perforata: tamen in tantis doloribus & anguſtiis permanſiſti formoſa, mitis, humilis & benigna: neque enim in tota vnici Filij tui paſſione amariſſima, mota es vel modica indignatione, auerſione aut impatientia aduerſus Filij tui crudeliſſimos perſecutores: & hæc tua compaſſio & tanta afflictio fuit tibi ineffabiliter meritoria: atque per eam promeruiſti facultatem & efficaciam præcipuam ſuccurrendi omnibus nobis. Verè ergo nigra fuiſti, ſed formoſa.



Eya ora pro nobis, vt & nos Filij tui, & tuis paſſionibus cordialiter condolentes & compatiẽtes, nigri ſimus: & tamẽ per dulcem patientiã, manſuetudinẽ & deuotionẽ formoſi.

10 Aue MARIA, quam impij perſecutores & crucifixores Filij tui reputauerunt nigram, vilem & deformem, *ſicut tabernacula Cedar*; videlicet, vt impiiſſimi ſeductoris infœlicem matrem: quæ tamen pulchra eras in anima, *ſicut pelles Salomonis*, cœliformi pulchritudine perornata: aſſimilata decori veri pacifici, qui extendit cœlum ſicut pellem.

Eya ora pro nobis, vt qui ex noſtra iniquitate ſumus deformes, viles & contemptibiles, ſicut tabernacula Cedar: tuis exemplis, precibus & meritis efficiamur pulchri, mundi & decori ſicut pelles Salomonis, imitando mores, virtutes & geſtus exteriores veri Salomonis CHRISTI IESV, pacifici noſtri.

11 Aue MARIA, *quam decolorauit Sol iuſtitiæ*, Chriſtus Filius tuus: cuius amore, omnia quæ in ſua paſſione ſuſtinuit, tu in anima

tua toleraſti, cum intima compaſſione: & ideò non ſic debemus *conſiderare quod fuſca ſis*; nec ita conſiderationi anguſtiarum & compaſſionum tuarum intendere: vt formidine ſuſtinendi afflictiones, retrahamur ab imitatione tuarum virtutum: imò tui exemplo debemus libenter, amore Filij tui (qui tot & tanta pro noſtra ſalute pati dignatus eſt) aduerſa quælibet occurrentia ſuſtinere & ei condolere.

Eya ora pro nobis, vt & nos intuitu & amore veri Solis iuſtitiæ & ſapiẽtiæ Filij tui pro nobis tot & tanta paſſi, exponamus nos laboribus diuerſis, doloribus, perſecutionibus & tribulationibus: quatenùs veraciter & efficacíter cum eo patientes, etiam conglorificemur.

12 Aue MARIA, *contra* quam *Filij matris tuæ pugnauerunt*, & adhuc pugnant: quia Sacerdotes ac Scribæ & Phariſei, ſynagogæ matris tuæ acriter te perſecuti ſunt: quando tuum dilectiſſimum & incomparabilem Filium, Sponſum & Conſolatorem tam immaniſſimè tibi abſtulerunt, eúmque tot conuitiis & iniuriis afflixerunt: quia eius innocẽtiam, ſanctitatem & dignitatem præ cunctis perfectiùs noueras: & eras vnus cum eo ſpiritus: eúmque plus quàm teipſam diligebas: Nunc etiam hæretici, Eccleſiæ quondam filij, quia in ea regenerati, pugnant contra te, inuidiæ iaculis, blaſphemiis, conuitiis, & oblocutionum & irriſionum aculeis.

Eya ora pro nobis, vt te impugnantibus, blaſphemantibus aut contemnentibus, forti zelo reſiſtamus: tuúmque honorem, lau-





dem dignitatem & venerationem, toto corde quæramus & procuremus.

*Coronula ſecunda, Coronæ vndecimæ.*

1 AVe MARIA, quæ, *vineam tuam*, id eſt ſynagogam Iudęorum, de qua fuiſti, & pro cuius ſalute eras ſollicita, *non cuſtodiſti:* ſed iuſtè deſeruiſti, atque ab ea es auerſa propter obſtinationem & incorrigibilitatem & rebellionem ipſius, qua tam feraliter filium tuum occiderunt, & dixerunt, ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Ac propterea illis derelictis, *Tu poſita es cuſtos in vineis*, & facta mater, aduocata & Domina omnium vinearum & particularium congregationum totius Eccleſiæ ex gentibus congregatæ.

Eya ô cuſtos noſtra vigilantiſſima, prouidentiſſima & fideliſſima, non repellas nos à tua protectione & cuſtodia, propter ingratitudinem, irreuerentiam, & multiplicem iniquitatem noſtram: ſed horum plenam remiſſionem & emendationem nobis impetrans, cuſtodi & tuere nos ab omni malo.

2 Aue MARIA, *Cui*, præamantiſſimus Filius tuus, *Rex* gloriæ, *quem*, ſemper ſuper omnia, *dilexit anima tua*, dum adhuc eſſes in præſenti vita mortali, *Indicabat vbi paſcebat, & vbi cubabat in meridie*; quia fecit te lucidè contemplari, qualiter in throno ſempiternæ beatitudinis reſideat, & beatos omnes ſuperſubſtantiali ſuæ deitatis pane reficiat, & in eis pacatiſſimè requieſcat, & hac conſideratione fecit *ne tu*, *vagares poſt greges ſodalium*

*eius*, id eſt, ne impatienter ferres poſt eius paſſionem, adhuc manere inter Iudęos perfidos, greges & ſubditos Pontificum, qui ſe iactabant eſſe vicarios & miniſtros Dei, ac per hoc ſodales Filij tui.

Eya ora pro nobis, vt & nos videamus, in quibus membris tam triumphantis, quam militantis Eccleſiæ Deus commoretur, ea nutriendo ſalubriter, & in eis per lumen contemplationis aut gloriæ conquieſcendo, quatenus ad eorum imitationem & conſortium ſuſpiremus, nec ſequamur animas errantes, & ſub ſpecie ſanctitatis decipientes.

3 Aue MARIA, *Pulchra inter mulieres*, & omnium perfectiſſima fœminarum, quæ, *te non ignoraſti*: ſed per ſpiritum, qui ex Deo eſt, ſciuiſti quæ à Deo erant tibi donata, & nouiſti te fuiſſe omni puræ creaturæ in dignitate prælatam, quam nimirum omnes generationes beatam erant pronunciaturæ: propterea hæc ſciens, ſine periculo, *egreſſa es & abiiſti poſt veſtigia gregum*, id eſt, incredulos & auerſos Iudæos piè conſideraſti, & eorum pericula patienter attendiſti: *Atque hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum pauiſti*, dum eoſdem carnales & vitioſos Iudæos tuis orationibus & exemplis refouiſti, & quoſdam eorum per Patriarcharum & Prophetarum fidem, & ſpiritualem Scripturæ intelligentiam nutriuiſti ac informaſti & ſaluaſti.

Eya ora pro nobis, vt & nos non ignorantes, quod ſimus ad imaginem Dei creati, ſanguine Filij tui redempti, &



& per eius fidem, ſapientiam & charitatem reformati: eius amore egrediamur, ad actus charitatis, & per compaſſionem abeamus poſt peccatrices animas: pro earum miſeriis & peccatis feruentiùs deprecando: & gratias agendo quod ab earum prauitate ſimus præſeruati, aut liberati: paſcamus etiam hædos noſtros, id eſt, motus carnales, & indomitos paſſionum impetus reprimamus & reformemus, ſecundum ſanctorum Patrum doctrinam, exempla & iuſſa.

4 Aue MARIA, *Amica*, & Sponſa Chriſti chariſſima: *Aſſimilata equitatui Dei in curribus Pharaonis*: hoc eſt, vniuerſis Angelicis ſpiritibus beatis (qui ſunt equitatus, caſtra & exercitus Dei viuentis) facta es dignior, meritis maior, & ad expugnandas poteſtates tenebrarum & acies vitiorum (quæ per currus Pharaonis intelliguntur) fortior & efficacior: illas enim prorſus in teipſa & tuo auxilo in aliis multis deuiciſti.

Eya ora pro nobis, vt celeſtis Sponſus nos aſſimilet Angelis ſanctis, & phalangis Sanctorum, dando nobis Angelicam vitam in terris, & cœleſtem conuerſationem: & hoc in curribus Pharaonis, hoc eſt, contra aciem vitiorum & dæmonum victorialiter reſiſtendo.

5 Aue MARIA, *Cuius genæ pulchræ ſunt ſicut turturis*: quia nunquam fuiſti procax, audax, aut garrula: ſed caſtiſſimo pudore verecunda, timorata & taciturna, &

inſtar turturis ſoli Deo in ſecreto intentiſſima:& in tuo roſeo vultu ac genis corporeis interna erubeſcentia ſancta, pulcherrrimè reſplendebat.

Eya ora pro nobis, vt ex conſideratione propriè prauitatis, & imperfectionis & indignitatis, ſimus ſemper verecundi, careamúſque amaritudinis felle, & amemus ſecretum ſponſóque cœleſti ſeruemus fidelitatem:nec ab eius amore, dum abſens nobis eſt, recedamus, ſed in eius deſiderio anhelemus & gemamus.

6 Aue MARIA, *cuius collum eſt ſicut monilia*: quia altitudo tuæ magnanimitatis: ac libertas tuæ voluntatis (quæ nomine, colli, ſignificantur) fuit ſemper ornata omni humilitate, ſubiectione, & obedientia; ita quod nec magnanimitas tua ſe immoderatè extulit: nec tua humilitas, ſe inordinatè depreſſit: nec propria libertate vnquam abuſa es: imò quantò fuiſti maior, tantò humilior extitiſti.

Eya ora pro nobis vt nunquam erecto, per eleuationem & vanitatem collo incedamus, ſed in omni contemplatione & exercitatione noſtra qua ad Deum erigimur, per veram cordis humilitatem noſmetipſos profundiſſimè deiiciamus.

7 Aue MARIA, *Cui murenulas aureas, vermiculatas argento facere debemus*, & facimus: dum prædicamus glorioſa præconia tua, quæ aurea ſunt, quando de Dei Filij tui conceptione, natiuitate & educatione te laudamus:& vermiculantur argento, quãdo cõmendamus tuã humilitatẽ, patientiã, ſobrietatem



tatem cæteraſque virtutes, & beatitudinem ac gloriam tuam.

Eya ora pro nobis, vt & pura ac deuota mente tuæ maternæ dignitatis tuarumque virtutum præconia laudemus: & habeamus murænulas aureas, argento vermiculatas, hoc eſt, contemplationes de diuinis, permixtas conſideratione propriæ vilitatis, & vanitatis ac inſufficientiæ rerum creatarum.

8 Aue MARIA, *cuius nardus dedit odorem ſuum, dum eſſet Rex in accubitu ſuo*: quia humillima tua charitas, & ardentiſſima tua humilitas (quæ per, Nardum, herbam ſpicoſam, ſuauiter redolentem & calidæ naturæ deſignatur) fructuoſorum actuum fructibus plena, tam ſuauiſſimè, coram ſuperexcellentiſſimo Rege fragrauit: quod Regem ipſum, in ſinu patris quieſcentem oblectauit atque attraxit, ad aſſumendam ex te præelecta virgine, naturam humanam. Deinde eodem Rege per incarnationis myſterium in vtero tuo (tanquam in ſuauiſſimo accubitu) commorante, aucta eſt plurimum, & latius odorem ſuum diffudit eadem nardus tua & humilis deuotio, virtus ac gratia.

Eya ora pro nobis, vt quum Dominus Rex & ſaluator noſter dignatur in mente noſtra per gratiam & contemplationem deuotam requieſcere, cœnareque nobiſcum, humilitas noſtra erumpat in actum ſublimem, & ſuauitatem gratiſſimam diffundat per profundiſſimam noſtri deiectionem, humiliationem, abnegationem & ſubmiſſionem.

9 Aue MARIA, *cuius dilectus*, filius, *tibi tanquam myrrhæ faſciculus*, exiſtens, *inter vbera*

tua

*tua*, iugiter quandiù cum eo in terris fuiſti, *eſt commoratus:* quia, quicquid ipſe pro humani generis redemptione ſuſtinuit, tu per modum faſciculi recollegiſti, colligaſti, & cordi tuo firmiſſimè ad recolendum & compatiendum impreſſiſti, & iugiter portaſti.

Eya ora pro nobis vt & nos vniuerſa, quæ Chriſtus Dominus pro nobis pertulit, & iniurias, quas à peccatoribus adhuc patitur, ſuique metuendi iudicij rigorem, in memoria noſtra, velut faſciculum myrrhæ retineamus, & ex his ad piam triſtitiam, amaritudinem & mœrorem excitemur.

10 Aue MARIA, *cuius dilectus filius fuit tibi Botrus cypri in vineis Engaddi:* dum ex conſideratione abundantiſſimi fructus paſſionis filij tui, & ex gloria ſaçRes urrecti onis, Aſcẽſionis, ac plenæ victoriæ maximam conſolationem percepiſti, & per quotidianam gratioſam ſuam viſitationem internam, factus eſt tibi, *Botrus cypri.i.* materia exhilarationis, & ſpirituale vinum, inebrians mentẽ feruore amoris, plenitudine deuotionis, & exuberantia internæ ſuauitatis, quod totum rectè per Botrum cypri inſinuatur, quia in inſula Cypro vinum creſcit optimum: Et hoc, *in vineis Engaddi.i.* loci ſic dicti, quæ etiam ſunt optimæ: id eſt, in eccleſiis fidelium, in fonte Baptiſmatis, aut in ſacramẽto confeſſionis & pœnitentiæ à peccatis purgatorum. *Engaddi*, enim interpretatur fons hœdi: Hœdus autem immolabatur pro remiſſione peccatorũ, ideò per hœdũ peccatores ſignãtur, & per fontem hœdi, Baptiſmus, ſeu pœnitentię ſacramentum, in quibus iniqui à ſuis peccatis lauantur.

Eya



Eya ora pro nobis, vt & nos fructum Dominicæ paſſionis, Chriſtique gloriam & fœlicitatem, & miſericordiam in conuerſione & iuſtificatione impiorum, in memoria, tanquam botrum cypri recolligentes & conſiderantes, amoris feruore & internæ conſolationis deuotione inebriemur.

11 Aue MARIA, *cui*, congratulans filius meritò dicit: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. oculi tui columbarum:* quia tu ſplendore mundiſſimæ virginitatis incomparabiliter radians, atque ſupernaturali fœcunditate, ac diuina genitura præfulgens: corporali etiam decore, & omni exteriori moralitate, atque cunctorum diuinorum chariſmatum claritate coruſcaſti: Et oculi tui, columbina ac ouina ſimplicitate, ſemper fuerunt conſpicui.

Eya ora pro nobis, vt ſicut animæ noſtræ per imaginẽ Dei in eis relucentẽ, naturaliter ſunt pulchræ: ſic etiam per charitatem cæteraque gratificantia dona & venuſtatem in moribus, ſint decoræ, quatenus cœleſtis Sponſus nos agnoſcat & vocet amicos ſuos.

12 Aue MARIA, quæ viciſſim prædilecto filio tuo congratulans, dicis ei: *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus*, non enim immenſa pulchritudo, infinitaque ſanctitas tuæ Deitatis vllam incurrit labem aut minorationem, aſſumendo ex me carnis ſubſtantiam, & in medio vteri mei requieſcendo, atque ex me naſcendo: imò per hæc, tuam pietatem, dignationem, & immenſam charitatem clariùs demonſtraſti, & in vtraque natura tua pulcherrimus apparuiſti.

Eya

Eya ora pro nobis, vt & nos non in noſtra pulchritudine gloriemur: ſed cęleſtem ſponſum plus quàm nos diligentes, in eius ſpecioſiſſimo decore & pulchritudine, tam diuina quam humana tanquàm in beatitudinis noſtræ obiecto occupemur, contemplando, laudando, congratulando: & ex eius pulchridine & perfectione, noſtram vilitatem & imperfectionem clariùs videntes, nobis vileſcamus.

*Coronula tertia vndecimæ Coronæ.*

1 AVe MARIA, *cuius lectulus fuit ſemper floridus:* quia & cellula vteri tui, in qua filius tuus nouem menſibus quieuit: omni flore fæcunditatis & virginitatis altiſſimæ fuit decoratus: Et ſpiritalis lectulus tuus: i. pax interna, conſcientia pura, contemplatio ſancta, & gremium charitatis ſemper fuit floridiſſimus & inuiolabilis.

Eya ora pro nobis & impetra pacem pectoris, conſcientiæ puritatem, contemplationem amoroſam, & coniunctionem cum Deo ſanctam, ſpiritualem & cœliformem, in qua Sponſus cæleſtis, tanquam in lectulo florido dignetur libenter & libentiſſimè requieſcere.

2 Aue MARIA, cuius, & filij tui, *domorum tigna fuerunt cedrina, & laquearia cypreßina:* quia & membra varia corporum veſtrorum inſtar cedri & cypreſſi fuerunt odorifera, & ab omni putrefactione & corruptione ſeu incineratione penitus aliena. Et virtutes perfectæ ac eminentes animarum veſtrarum (quæ per tigna ſignantur) earumque digniſ-





ſimi actus, qui per laquearia intelliguntur, fuerunt ſummè odoriferi & imputribiles. Prælati etiam Eccleſiarum veſtrarum (qui velut tigna domorum, ſubditos ſuos charitatiuè ſuſtentant & confortant ac ſtabiliunt) inſtar cedrorum creſcunt in eminentia virtutum, abſtinent quoque à putrefactione: & ſuarum virtutum ac documentorum odore & vigore fugant infernales ſerpentes Boni vero ſubditi & obedientes filij (qui per laquearia, domum intrinſecùs ornãtia, ſignantur) ſunt cypreſſini, quia ſicut cypreſſus eſt arbor velociter creſcens, baſſa, ſeu humilis & imputribilis, cuius fructus ſeu folia cum oleo cocta nobile vnguentum efficiunt: Sic boni ſubditi ac obedientes, ex ſuperiorum ſuorum exemplis ac documentis citò proficiunt: vitia deuitant, & intra ſuæ vocationis humilitatem manentes, præſtant proximis exempla ſalutaria, tanquam vitalia medicamenta, ac bonæ famæ odorem, tanquam vnguenta dulciſſima & curatiua.

Eya ora pro nobis, & impetra ſpem, & charitatem Dei ac proximi cum actibus ſuis, quæ velut tigna, domum noſtram ſpiritualem. i. virtutum omnium ſtructuram & connexionem ſuſtentent & conſolident: impetra etiam octo beatitudines, dona & virtutes ſpiritus ſancti, & ſanctas meditationes virtuoſaſque affectiones, quæ velut laquearia, & teſtudines ornẽt domum noſtram: vt ex his omnibus, tanquam ex cedro & cypreſſo bonum odorem diffundamus, & ab omni corruptione vitij alieni, infernales ſerpentes repellamus.

3 Aue MARIA, *flos*, vernantiſſimus, pulcherrimus ac redolentiſſimus, *campi*, huius ſeculi, in quo tanquam in loco certaminis ſumus conſtituti: *Et flos campi*, cœleſtis, ſcilicet paradiſi, horti delitiarum: Atq; etiam, *flos cāpi*, Eccleſię militantis, in terra peregrinātis: cuius es mater, flos, Regina & aduocata: tuis orationibus ac meritis procurans Eccleſiæ ornamēta virtutū ac redolentiā meritorum.

Eya ora pro nobis, vt ſimus campi floridi & decori, gratijs, donis, ac virtutibus ornati, ſpinis & tribulis vitiorum carentes, per charitatem ad omnes, etiam inimicos, extenti, plani & lati: atque à Deo exculti, impinguati & fœcundati, quatenùs & tu, & dilectus filius tuus: verus *flos campi*. i. cuiuſlibet intellectus creati, feruidi & deuoti: dignemini in nobis, tanquam in campo & paradiſo, morari, florere, & nos florentes efficere.

4 Aue MARIA, *lilium conuallium*: quæ inſtar lilij venuſtas corda humilium: & ſicut lilium eſt flos creſcens in altum, & tamen habet dependentia & repentia folia, granaque aurea: ſic tu optima & amabiliſſima virgo, floridiſſima proles tuorum parētum humilium creuiſti in omnem arcem virtutum & nihilominùs excellentiā tuarū virtutum, per humilitatem depreſſiſti: fide quoque ac ſpe & charitate, ac donis ſpiritus ſancti, tanquam granis aureis, ornatiſſima extitiſti.

Eya ora pro nobis, vt tuo exemplo & ſuffragio ſimus corde humiles, conuerſatione ſuaues, fama bona fragrantes, humilitate proſtrati: quatenùs in nobis & tu, & filius tuus (qui eſt lilium aſpectu, candore & odore

delecta



delectabile, in humilium mentibus habitans) dignemini commorari, & veſtrarum chariſmata gratiarum diffundere.

5 Aue MARIA, ſuperbeatiſſimæ Trinitatis, *amica*, quæ es, *inter filias, ſicut lilium inter ſpinas*: Quia ſicut lilium ſpinis multipliciter eminet, pulchritudine, odore & aliis: ſic tu præſtantior, pulchrior, ſuauior & amabilior exiſtis, non ſolùm animabus ſecularibus, quæ aculeis paſſionum ſuarum pungunt ſeipſas, & per iram & detractionem alios lacerant: ſed etiam alijs virginibus ſanctis, quæ quamuis in ſe mundæ fuerint, non tn̄ conceptæ ſunt ſine peccato, nec fomes peccati fuit in eis prorſus extinctus: & aliis ex earum intuitu cōcupiſcentiæ occaſionē dare potuerūt, ac per hæc quaſi ſpinæ fuiſſe videntur in tui cōparatione, quæ fuiſti ab omni etiā originali culpa immunis, & in te fomes fuit plenè extinctus, & à nullo potuiſti concupiſci, imò intuentiū te corda ad caſtitatē inuitaſti.

Eya ora pro nobis, vt & nos inter ſeculares, impios, iracundos, iniurioſos & iuſtorum perſecutores, ſimus tanquā lilium, æquanimiter eos tolerātes, bona pro malis illis reddentes: dulcedinēmque manſuetudinis, ac pij & charitatiui ſermonis eis effundentes: quatenùs illorum iram, elationem & auerſionē in bono vincamus, & eos Deo lucremur.

6 Aue MARIA, *cuius dilectus*, filius & ſponſus, *eſt inter filios, ſicut malus eſt inter ligna ſyluarum*: quia ſicut malus, arbor poma ferens, cæteris arboribus ſylueſtribus (quæ cōmuniter infructuoſę sūt) antefertur viſu, odore, fructu & guſtu, ita ſponſus cæleſtis vniuerſis filiis

homi

hominum præeminet omni pulchritudine & odore virtutũ: fructu operũ ac doctrinæ: guſtu cõſolationis refectionis internæ: cuius cõparatione alij ſunt quaſi ligna ſylueſtria, ex ſeipſis ſterilia, ſed per gratiam eius fœcunda.

Eya ora pro nobis, vt credamus & experiamur IESVM dilectum filium tuum, eſſe verum lignum vitæ omnibus apprehendentibus ipſum: eiuſque odore virtutum attrahamur, ac paſcamur fructu operum & doctrinæ ipſius: guſtuque conſolationis & deuotionis reficiamur & recreemur.

7 Aue MARIA, humillima & quietiſſima virgo: *quæ ſub vmbra filij tui, quem deſiderabas, ſediſti*: quia eius Deitatem omnipotentiamque cognoſcens tantò perfectiùs ſub eius protectione quieuiſti, & eius auxilio innixa es, quantò eras humilior: conuerſando quoque in hoc mundo cum dilectiſſimo Sponſo ac filio tuo, ſub eius pietate degebas, ſub eius exemplariſſima conuerſatione proficiebas, & coram ſermocinante reſidebas frequenter, verba eius intentiſſimè aduertendo.

Eya ora pro nobis, vt & nos cordis noſtri euagationes & diſperſiones, in illud vnum, quod eſt neceſſarium recolligentes, ſtudeamus ſub dilecti vmbra quieſcere per deuotam meditationem, quæ à concupiſcentiarum, paſſionum & vitiorum æſtu & feruore nos refrigeret: & ſub vmbra omnipotentiæ eiuſdem dilecti, à malignorum poteſtate ſpirituum ſimus ſecuri.

8 Aue MARIA, præſtantiſſima Dei mater. *Cuius gutturi fructus dilectiſsimi filij tui*, & Sponſi, *fuit dulciſsimus*, quia copioſiſſimis ac





ſuauiſſimis refectionibus mentis, Dominus maieſtatis munificentiſſimus, te, ſuam matrem, refecit, illuminando mirificè, inflammando Deificè, exhilarando aſſiduè, & renouando atque augendo in te continuè pretioſiſſima gratiarum munera.

Eya ora pro nobis, vt & nos guſtemus dulcedinem fructuum ſponſi cæleſtis, in intelligentia ſcripturarum, in profectu ſpirituali, in ſacra communione, in profunda, pura ac feruida ſuæ diuinitatis ac dulcedinis contemplatione, & in omnium virtutum amoroſa ac delectabili exercitatione, fructuumque ſpiritus deguſtatione, hæc enim omnia ſunt fructus Sponſi cæleſtis.

9 Aue MARIA, *quam, Rex* regum filius tuus, *introduxit in cellam vinariam*: imò & in ipſum vinum, cui totaliter te intinxit: quia in abyſſum diuitiarum ac deliciarum ſuarum te prorſus immerſit: omni benedictione te adimpleuit, & iucunditatibus inebriauit frequenter.

Eya ora pro nobis, vt tandem aliquandò (ſicut ſcit expedire, & vult & poteſt) Sponſus cæleſtis faciat nos orando ſic mente excedere, & in abyſſum increatæ lucis rapi, abſorberi, affici & inflammari: vt indè mox redeuntes, diuino amore flagremus vehementiſſimè: iuſtitiæ zelo æſtuemus, & ſpiritualibus ſtudiis totaliter ferueamus, quatenus dicere poſſimus, introduxit me Rex in cellam vinariam.

10 Aue MARIA, *in qua Rex* cæleſtis *ordinauit charitatem*, quia quicquid de naturali aut quocunque alio amore fuit in te, totum

plenè & poteſtatiuè fuit ſubiectum charitati, & informatũ ab ea, ac iuxta eius imperium etiam paſſiones appetitus tui ſenſitiui plenè regebantur ac mouebantur: Nec vnquam fuit in te inordinata affectio: neque ad filium tuum, quamus vnicum, ſpecioſiſſimum, præſtantiſſimum atque chariſſimum, fuiſti vnquam ſenſualiter affectata. Deniq; tua charitas fuit circa ſua obiecta, in ſuis actibus decentiſſimè ordinata, ita quod Deum primò & maximè propter puram & infinitam eius bonitatem dilexiſti puriſſimè: Deinde quoniam prior dilexit te, atque ad tanta & talia te præ omni creatura elegit, vt eſſes mater ipſius: Et propter cætera beneficia eius generalia, ſpecialia & ſingularia ipſum etiam amaſti. Ad aſſumptam vero humanitatem filij tui dilectiſſimi, habuiſti charitatem valdè præcipuam, imò & vehementiſſimum naturalem amorem geſſiſti ad eum. Proximos autem omnes, licet ab inſtanti tuæ conceptionis quo vti cepiſti ratione, valdè dilexeris, & in eorum charitate profeceris, tamen ab ea hora qua propter eorum ſaluationem, facta es Dei genitrix, inæſtimabiliter dilexiſti genus humanum: & in eius amore quotidie creuiſti: imò nec paſſionem filij tui, in quantum erat ſaluatiua generis humani, abhorruiſti. Verè ergo Deus ordinauit in te charitatem.

Eya ora pro nobis, vt dignetur Rex cæleſtis in nobis etiam ordinare charitatem, gratiam diſcretionis largiendo: ne ex ſpiritualiter feruore, aut indiſcreta corporis afflictione nos inordinatè affligamus, & corpus no-





ſtrum deſtruamus: ſed zelus noſtræ charitatis ſit ſemper ſecundum ſcientiam, ne nimio & indiſcreto feruore zelantes, nos & alios præcipitemus. Impetra etiam, vt nos Deum ſuper omnia & in omnibus diligentes, cætera propter eum ordinatè, purè & ſpiritualiter amemus, & ad ipſum referamus.

11 Aue MARIA, *quæ*, præſertim poſt filij tui Aſcenſionem, *amore languens*, & ardenti charitate ſuſpirans ad immediatum, inſeparabilem & æternum cæleſtis Sponſi amplexum lætiſſimum, deſideraſti interim *fulciri floribus*. i. cœleſtibus conſolationibus confortari: & copioſis profectibus, ac plurimorum conuerſionibus tanquam malis & pomis ſtipari, & recreari: quod vtique conſecuta es copioſiſſimè.

Eya ora pro nobis, vt & te, charitate Dei & proximi languentem, fulciamus deuotis tuis laudibus, & amoroſis affectibus, continuiſque bonorum operum profectibus te ſtipemus: Et nos ſic diuino langueamus amore, vt extra eum conſolari renuamus, ſed actibus ſapientiæ & Theologicarum virtutum, tanquam floribus, & pijs ac virtuoſis operibus, tanquam malis ſuſtentemur.

12 Aue MARIA, *ſub cuius capite læua*, cæleſtis tui ſpōſi, *fuit*, quia in præſenti te gratioſiſſimè ſuſtentauit. *Et dextera illius iã te eſt amplexata:* quia in tua aſſumptione ad dexteram ſuam te collocauit, & Aſſumptam cũ tēpore, corporaliter ſibi vniuit: atque ad tam claram & voluptuoſiſſimam ſuæ deitatis intuitionem te promouit, quantam pura creatura, ſine vnione perſonali capere poſſet.

Eya ora pro nobis, vt Sponſus æternus ſua pia & gratioſa viſitatione, nunc noſtram imbecillitatem & labilem fluxum mentis noſtræ ſuſtentet & ſtabiliat, nec pondere corporis aut ptopria imperfectione à contemplatione impediamur: Et poſt hanc vitam dextera ſua nos amplexetur, manifeſtando nobis per claram ſpeciem & intuitionem ſuam gloriam & beatitudinem: & nos totaliter in ſe rapiendo ac iucundiſſimè amplexando.

### *Coronula quarta Coronæ vndecimæ.*

1 AVE MARIA, *quam* in quietiſſimo actu contemplationis & beatificæ fruitionis dormientem & inhærentem. Nos, *filiæ Hieruſalem*: perſonæ fragiles, puſillæ, & ad culpam procliues, *non debemus ſuſcitare, nec facere vt euigiles*: importunè inquietare & cum impatientia rogare, vt nobis ſuccurras, *quo ad vſque tu ipſa velis*: hoc eſt tempore congruo, & quando rationabiliter & ſponte vis nobis ſuccurrere, & ſcis noſtræ ſaluti expedire.

Eya ora pro nobis, vt & te cum omni reſignatione, & longanimi patientia inuocemus: & prælatos noſtros aut alios contemplatiuos, dum diuinæ contemplationi vacant, importunè inquietare, abſtrahere, aut conturbare caueamus: ſed expectemus donec congruo tempore ipſi velint nobis ſuccurrere & prouidere.

2 AVE MARIA cuius *dilectus venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* dum Dei filius





vno vehementiſſimo ſaltu, à throno paterno in vterum tuum virgineum: proſiliit: & à ſummo cœlo egrediens, per incarnationis myſterium venit in mundum: in ordinibus Angelorum velociſſimè operans: & per carnis propagationem à Patriarchis proſiliens: *atque tranſiliens colles*, quia à prophetarum oraculis ad Apoſtolos ſe ſubduxit, omnique virtutes ac prodigia ſua omnipotentia ac perfectione tranſcendit: ſed & ſuperbos Iudæorum Pontifices & Scribas, in ſuis dignitatibus & ſcientiis gloriantes, relinquendo tranſiliit. Ac per hoc, *ſimilis factus eſt capreæ hinnulóque ceruorum*, ob ſuam perſpicacitatem & celeritatem: exultauit enim vt gigas ad currendam viam.

Eya ora pro nobis, vt ad nos etiam ſponſus cœleſtis cum celeritate venire dignetur: & tam familiariter ſe nobis adiungere, quaſi nobis ſolis velit vniri, cohærere, ac loqui: ſicque nos viſitans reddat interiori viſu acutos & ad bona veloces.

3 Aue MARIA *cuius dilectus filius ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*, quia in carne mundiſſima, quam ex te aſſumpſit, ſuam latere voluit Deitatem: & in noſtra humanitate, quam ſuſcepit, nobis apparet: & tamen in ea nobis Deitatem ſuam celans, reſpicit nos per aſſumpti corporis ſenſus, documenta & miracula, per quæ tanquam per feneſtras nos illuſtrare dignatus eſt: atque per ſanctos Apoſtolos & alios prædicatores & paſtores inueſtigat, diſcutit, ac docet ſubditos & *proſpicit per cancellos*: id eſt, per ſecretas inſpira-

tiones, & per arduas vias internæ exercitationis, allocationéſque abditas nos docet & illuminat.

Eya ora pro nobis, vt & nos ſentiamus cœleſtem ſponſum ſtare poſt parietem noſtræ mortalitatis & ſenſualitatis (quæ à claro eius intuitu nos impedit) & ipſe dignetur nos reſpicere & illuſtrare tam per prælatos noſtros, quàm per internas inſpirationes: & per directiones tam præceptorum, quàm Euangelicorum conſiliorum, quibus vehementiùs incaleſcamus, atque ad eius beatificam viſionem calidiùs inardeſcamus.

3 Aue MARIA *cui locutus eſt dilectus* intrinſecus, dum Archangelus Gabriel ipſum annuncians intrinſecùs loquebatur tibi: & inſtinctu ſecreto dixit tibi: *Surge*, à conſideratione humillima tuæ paruitatis, ad actum nobiliſſimæ magnanimitatis: quatenùs pietati meæ omnipotentiæ innitendo, credas mox agendum per me, fiendum ex te, atque complendum in te, quod tibi ore nunciatur angelico, *propera*, id eſt, feſtinanter ſic age, crede, conſenti, loquere verbum, præpara vterum, præpara materiam vt concipiar à te, & gignar à te. *O amica mea*, ſingularis & vnica cuius reſpectu aliæ ſunt ancillæ: *Columba mea*, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, vel fellea auſteritas, ſed ſimplicitas ſapientialis inuiolata. *Formoſa mea*: in naturalibus valdè perfecta, corpore ſpecioſa, mente ingenioſa, optimæ indolis priuilegio decorata: ex naturali diſpoſitione mitiſſima, piiſſima, honeſtiſſima, & ad vniuerſatum virtutum perfectionem in termino excellentiæ diſpoſitiſſima: moribus venuſtiſſima & muneribus gratiarum infuſis ſplendidiſſima. *Et veni*, vt poſt frequentiam Angelorum, & hominum tandem in te requieſcam.



Eya ora pro nobis, & impetra vt dignetur cœleſtis ſponſus, ſuo oculto inſtinctu, ſeu Angelica vel humana directione & exhortatione nobis loqui, & iubere, vt ſurgentes à contemplationis ſopore cum omni promptitudine & ardore exerceamus exteriora, quę nobis incumbunt: ſimúſq; eiuſdem ſponſi *Amicæ*, per mutuam charitatis affectionem. Et *columbæ*, per verecundiam, ſimplicitatem & manſuetudinem: ac *formoſæ*, per decorem donorum, virtutum ac meritorum: ſicq; tã repetitis vicibus inuitati, & tã amoroſis nominibus vocati, cũ maiori charitatis feruore ad eum ſuęq; volũtatis impletionẽ curramus.

4 *Iam enim hyems tranſiit*, & rigor legis per Euangelicæ legis ſuauitatem excluſus eſt. *imber abijt* quia copia & impetus comminationum & vltionum, quę lex vetus ſuis trãſgreſſoribus infligi iubebat, & moleſtiſſima multitudo legalium obſeruantiarum ceſſauit per Euangelicæ legis libertatem.

Vtinam à nobis tranſeat *hyems*, id eſt, torpor acediæ, frigus inuidiæ & ſterilitas vitiorum. Et *Imber*, hoc eſt, profluuium perſtrepentium cogitationum, & tumultuantium deſideriorum inſtar imbris decidentium abeat.

5 *Flores apparuerunt in terra noſtra*, quia ſigna & miracula pręclara mei aduẽtus impleri cæperunt, & bonæ diſpoſitiones & incohationes ad actus virtutum inueniũtur in hominibus.

*Tempus putationis aduenit*, quia inchoatum nunc eſt tempus ab æterno præordinatum ad conuerſionem gentium, in quo ipſæ gentes incredulę & iniquę ſunt ſpiritualiter circumcidendę à paſſionibus vitiis & perfidia.

Vtinam in agro cordis noſtri virtutum ornatus appareant: & nunc quando iam tempus putationis aduenit, cæleſti ſponſo in animas adueniente omnem culpam quamlibet paruam, & quicquid oculos eiuſdem ſponſi offendere vel ab eius contemplatione & amplexu obfuſcare & impedire nos poteſt amputemus & reſpuamus.

6 *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, quia in ſynagoga inſonuit ſermo legis, vaticinium prophetarum & annuntiatio de proximo Regis Meſſiæ aduentu. Electa etiam plebs gentilis cępit habere deſiderium veræ ſalutis & ad gratiam ſe pręparare pręuenta à Domino, vel interna vel angelica inſpiratione, vel ex aliqua auditione legis. *Ficus protulit groſſos ſuos*: quia ſynagoga, quę fuit aliquando arbor fęcunda, iam protulit ſuos carnales ſequens literam occidentem, & ſpem ponens magis in obſeruantia legalium cæremoniarum quam in fide & gratia ſaluatoris. Et eccleſia etiam primitiua fructifera & electa, quæ prius obſeruauerat diligenter ea quæ legis erant, illa abiecit tanquam fructus ineptos & immaturos.

Vtinam ſimus turtures, pudici, caſti & ſolitarij ſponſóque cæleſti fideles, ſic vt vox orationis & laudis noſtræ ad aures eius perueniat & ſit ei grata & accepta. Simus

etiam



etiam *ficus* id eſt fructuoſi, charitatis, pietatis & deuotionis ſuauitate referti: nec expectemus benè agere, & deuotioni inſiſtere donec perfecti ſimus: ſed ſtatim, vbi poſſumus incipiamus bona exercitia frequentare, licet adhuc imperfecta & immatura, faciliterque vento tentationis ſeu aduerſitatis cuiuſlibet labentia.

*Vineæ florentes dederunt odorem ſuum* quia virtuoſæ perſonæ ipſius ſynagogę effuderunt coram me dulciſſima deſideria ſua de meo aduentu rogantes aſſidue; pro aduentu, regis meſſię, quorum me trahit pia affectio & deuotio ſancta vt exaudiam preces eorum & per eorum miniſterium & doctrinam incipiam gentiles conuertere.

Vtinã animæ noſtræ ſint vineæ florentes, per ſpiritum ſanctum à ſuperfluitate purgatæ ab æſtu concupiſcentię præſeruatæ, deuotione impinguatę, putatę à vitiis, bonis operibus tanquam botris repletę, & ad perſeuerantiæ maturitatem ac vbertatem perductæ: ſicque odorem bonum proximis demus, & ad meliora eos trahamus.

7 Itaque propter hęc omnia iam, *Surge propera amica mea ſpecioſa mea*, ſponſa ſingularis & optima, *& veni*, per mentis conſenſum, vt me concipias tuum creatorem & ſaluatorem omnium.

Vtinam & nos à negligentia & vitiis ad virtutum opera & cęleſtem contemplationem aſſurgamus: ſimulque ſponſi cęleſtis amicę per mutuam amicitiam, & ſponſę ſpecioſę,

 per

per fidem,ſpem & charitatem ei adhęrentes & ab eo fœcundatæ.

8 *Columba mea*, pudiciſſima,ſummè faceta, *habitans in foraminibus petræ*, id eſt, in viribus ſeu potentiis animæ tuæ in omni gratia ſolidatæ, conſtantiſſimæ & firmatæ, puta in intellectu & voluntate quia per fidem & ſapientiam tui intellectus, atque per ſpem & charitatem tuæ voluntatis potiſſimè mihi ſponſo cœleſti placuiſti.

Et *in cauerna maceriæ*,id eſt,in intellectuali memoria, per quam iugiter me recolis & meditaris, & quæ eſt receptaculum ſpecierum rerum intelligibilium, & dicitur *cauerna maceriæ*,id eſt,animæ virtuoſæ, quæ interponit ſe murum inter Deum ſponſum & iudicem,& inter animas peccatrices, pro quibus Deo reconciliandis & à maligno protegendis,laborat. Dicitur etiam memoria cauerna maceriæ,quia taliter in corpore,quod inter Deum & animam, quaſi murus eſt, in quantum frequenter impedit à diuinis:

Vtinam ſimus *columbæ* ſimplices,ſine felle, amaritudinis & inuidię:& habitemus in tutis ac robuſtis latibulis gratiæ, videlicet in humili recognitione propriæ defectuoſitatis, in timore Dei ſincero, in ſpe diuinæ ſubuentionis, in propria mortificatione ac refugio ad Deum,in quibus tanquam in foraminibus petræ tuti quieſcamus,& à noſtrę ſalutis hoſtibus abſcondamur: & in penetratiua conſideratione ſupernorum, tãquam in cauerna maceriæ protegamur.

Commoremur etiam in vulneribus pedũ & manuum,atque in aperto latere, & vulnerato



rato corde Chriſti, quæ ſunt foramina petræ & cauerna maceriæ, paſſionem dominicam deuotè ſapientialiter & cõpaſſiuè meditãdo: eiuſq; meritis & virtuti innitendo fiduciámque noſtram ponendo.

9 *Oſtende mihi faciem tuam*.i.obedientialem prõptitudinem tuæ mentis,& cor tuum conuerte ad meũ amplexũ:vt celebrẽtur in vtero tuo nuptiæ perſonales.i.vnio naturæ humanæ cũ diuina,in vnitate perſonali,& tu ipſa in nuptiis illis efficiaris ſponſa mea ſingularis.

Vtinã ſatagamus& ſtudeamus noſmetipſos puros & irreprehenſibiles ſponſo cœleſti exhibere, conuertendo mentem noſtram ad eum: effundendo coram eo ſyncerè cor noſtrum,pura intentione omnia propter eũ faciendo,& promptè ei in omnibus obediendo. Sed & vicariis ſponſi, ſuperioribus noſtris, faciem noſtram oſtendamus, ſecreta noſtra illis pandentes, præſertim in foro confeſſionis, & quando tentatione, ſcrupulo, dubitatione & anxietate grauamur, effundamus ante eos cor noſtrum.

10 *Sonet vox tua in auribus meis*: ita vt dicas, Ecce ancilla Domini,fiat mihi ſecundũ verbum tuum: ac deinceps cõpleto in te incarnationis meæ myſterio, pro beneficiis tibi impenſis gratias mihi referens dicas: Magnificat anima mea Dominum.

Vtinã ſic deuotè inſiſtamus diuinis laudibus,precibus & doctrinis,& omne quod loquemur tale ſit,vt à ſpõſo audiatur & acceptetur.

11 *Vox enim tua dulcis eſt*, quia ex plenitudine virtutũ,ſumma charitate, feruẽtiſsima deuotione,ſynceriſsima intẽtione emanat.Ideóq;

tuis laudibus,tuis orationibus, tuíſque irre-præhenſibilibus verbis delector.

Vtinam vox mentis noſtræ, hoc eſt, amor, deſiderium ſanctum & affectio virtuoſa, ſint Deo dulcia & placentia, quatenùs etiam vox oris noſtri, ex interiori clamore procedens, ſit Deo grata.

12 Et *facies*, mentis tuæ, *decora eſt*, & pulcherrima, donis gratiæ, ſapientiæ & virtutis ſummè decorata, & ad intuendum iucunda.

Vtinam interior facies mentis noſtræ, ſit per dona gratiæ, & virtutes reformata & decorata.

Omnia prædicta, ab eo loco (*Surge amica mea*) poſſunt exponi & applicari verbis quæ Chriſtus Dominus dixit matri ſuæ in eius Aſſumptione.

*Coronæ vndecimæ Coronula quinta.*

1 Aue MARRIA Regina cœlorum, quæ cum tuis miniſtris deuotis prælatis & prædicatoribus cœpiſti, *capere* non deſinis *vulpes paruulas quæ demoliuntur* vineas: quia & tu ſola omnem hæreticam prauitatem (quæ Eccleſias fidelium demolitur) interemiſti: & tuis meritis ſancti viri hæreſiarchas conuicerunt. Dæmones etiam doloſos ac viles (qui paruuli ſunt valore non malignitate, & tanquam paruuli inuidentes bonis, inuiſibiliter circumquaque diſcurrunt, & *vineas* id eſt, Eccleſias & animas pias demoliuntur) tu ſacratiſſima aduocata & ſponſa capis, reprimis, & ne noceant tibi deuotis, impedis.

Eya



Eya ora pro nobis, vt & nos tuis meritis adiuti ſpirituales vulpes capiamus, & de cordibus noſtris auferamus, ſcilicet fraudem dolum, hypocriſim, duplicitatem, calliditatem & vitia virtutum ſpecie operta, quæ animas deſtruunt, & quicquid in eis eſt gratiæ & meriti tollunt.

2 Aue MARIA virgo Chriſtifera, Regina, Mater & Aduocata Eccleſiæ vniuerſalis, quæ tanquam *vinea* tuis meritis & precibus *floruit* & floret in gratia, omníque decore virtutum: & creſcit quotidie numero & merito.

Eya ora pro nobis vt & noſtra particularis congregatio, & animæ noſtræ ſingulares tanquam vineæ in gratia & decore virtutum floreant.

3 Aue MARIA vniuerſarum electiſſima creaturarum: *cui ſponſus* cœleſtis, omnibus quidem ſanctis *dilectus*: ſed tantò ſpecialiùs tibi charus, quantò præ cæteris te ſibi in matrem & ſponſam ſingularem elegit: *eſt tibi* familiariſſimè *intentus*, cohærens & innixus: *& tu ſimiliter illi.* Qui etiam dulciſſimus ſponſus tibi ſummè placet & congruit, & tu illi.

Eya ora pro nobis, vt dignetur cœleſtis ſponſus nobis eſſe intentus, familiaris, amoroſus, atque dulciſſimus: & nos pro viribus noſtris intenti etiam familiares, fideles, & affectuoſi ſimus illi.

4 Aue MARIA virgo puriſſima, *cuius dilectus* filius & ſponſus *paſcitur inter lilia*: quia in cordibus continentium & purè viuentium, & in ſplendore virtutum dele-

 ctatur

ctatur, quieſcit & quaſi nutriri ſe proteſtatur: *donec aſpiret dies*, ideſt, vſque ad diem iudicij, & quouſque dies gloriæ æternalis adueniat, in quo transferet candidos viatores (inter quos nunc paſcitur) ad pleniſſimam beatificæ fruitionis refectionem: & *donec inclinentur vmbræ*, & ceſſet imperfectio noſtræ cognitionis: quando mortale hoc induet incorruptionem: nec amplius erunt electi ſedentes in tenebris & vmbra mortis.

Eya ora pro nobis, vt excludentes à mentibus noſtris omnes apprehenſiones fantaſticas, cogitationéſque fœdas, & omnem turpem ac ſenſualem affectum: vacemus mundis meditationibus, virtuoſis affectionibus, & ſanctis actibus, quibus tanquam liliis delectetur & reficiatur cœleſtis ſponſus in nobis, donec aſpiret dies quo nos remuneret in gloria.

5 Aue MARIA tenerrima & affectuoſiſſima virgo quæ vnigenito tuo tibi per paſſionem & mortem corporaliter ad modicum tempus ablato, deſolata ac prorſus mœſtiſſima facta es: atque de proxima eius Reſurrectione certiſſima exiſtens: deſideraſti vt ſtatim poſt Reſurrectionem ad te reuerteretur, & tibi appareret: propterea tunc ardentiſsimis votis ei dicebas: *Reuertere* ad me ſuſcitatus: *Similis eſto dilecte mi capreæ hinnulóque ceruorum*, implendo celeriter deſideriũ meũ, ſicut animalia iſta ſunt velociſſimi motus: tu iuquam *dilecte mi* qui exiſtis & habitas *ſuper montes Bethel*, (quod interpretatur domus Dei) id eſt, ſuper eos qui ſunt





triumphantis Eccleſiæ (quæ eſt ſumma & perfectiſſima Dei domus) ciues & principes.

Eya ora pro nobis, vt quoties ſponſus cœleſtis ſubſtraxerit & ſuſpenderit ad tempus ab anima noſtra conſolationis ſuæ præſentiam, deuotionem ſenſibilem, viſitationem ſolitam, atque alacritatem in cultu ſuo: non deſperemus, nec tædio & negligentia à bono torpeamus: ſed humiliantes nos, frequentiùs & feruentiùs ad ipſum ſponſum ſuſpiremus, erogantes vt reddat nobis lætitiam ſalutaris ſui: & propriæ fragilitatis memores, de cætero cautiùs nos ab omni malo cuſtodiamus.

6 Aue MARIA diuiniſſima & ſpiritualiſſima virgo: quæ licet eſſes maximè in gratia confirmata, & inſeparabili charitate Filio tuo & ſponſo coniuncta: tamen *in lectulo tuo per noctes cum quem diligebat anima tua quæſiſti*: quia in tranquilliſsimi tui pectoris pace, nocturno præſertim tempore (quod ad ſpiritualia exercitia ſpecialiter eſt aptum) & in tribulationibus poſita: ipſum dilectum tuum præ cæteris ineffabiliter ardentiùs, frequentiùs, ſtabiliùs, fructuoſiúſque quæſiuiſti: intentiſsimè deprecando, precordialiùs deſiderando, ſublimiùs contemplando, & copioſiùs obtinendo. Fuiſti enim in hac vita viatrix: & incomparabili ardens dilectione, excellentiſsimè profeciſti omni die in vniuerſis chariſmatibus Spiritus ſancti.

Ora pro nobis, vt & nos in tranquilitate mentis, & in quiete meditationum & exercitationum internarum, per noctes tribulationum, & in ſubſtractionibus conſolationum, ac in ariditate & contriſtatione cordis noſtri quæramus ſponſum celeſtem, & ab exterioribus curis nos abſtrahentes, eius gratiam ardentiſſime poſtulemus nobis reſtitui, & lætitiam ſalutaris ſui reddi.

7 Aue MARIA Deifera ſponſa: quæ dilectum filium tuum *quæſiuiſti* non tibi ipſi *Duntaxat*: ſed & omnibus pro quorum ſalute fuiſti ſollicita & preces fudiſti, vt eis gratiam conuerſionis reformationis ac conſolationis internæ acquireres: & non inueniſti eum: quia non fuiſti exaudita *ad votum pro omnibus* illis pro quibus orabas: quidam enim illorum propter nimiam ſuam peruerſitatem, indignos ſe reddiderunt fructu tuarum orationum.

Ora pro nobis, vt non impatienter feramus nec à quærendo Dilectum deficiamus, licet non ita celeriter & ſuauiter vt optamus, illum quærentes inueniamus.

8 Aue MARIA, humillima virgo, quæ de tuis meritis nunquam præſumens *Surgens* per meritis eleuationem, *circuiuiſti ciuitatem celeſtem* & eccleſiam triumphantem: *& per vicos & plateas eius queſiſti quem diligebat anima tua*: quia per angelorum miniſteria & merita: & patriarcharum & prophetarum cæterorumque beatorum virtutes ac merita, humiliter petiſti





[illegible] catoribus exaud[illegible] ſic *eum quærens non inueniſti*: quia nec tu exaudita es pro omnibus.

Ora pro nobis, vt, quando dilectum ſponſum orando non inuenimus, ſurgamus, ab orationum & meditationum quiete ad tempus ceſſantes: & per ieiunia, diſciplinas & alia exteriora pœnitentiæ opera ipſum quæramus. *Circuiamus* ſpiritualiter *ciuitatem*, & congregationem fidelium vndique diligenter conſideremus, *per vicos*, id eſt religioſos, qui conſiliorum ſtrictiorem ſemitam ambulant, *& per plateas*, id eſt per ſeculares viam mandatorum latiorem ſectantes: & in hominibus contemplatiuis & actiuis *quæramus dilectum*: à ſingulis deuotorum quærendo ædificationem & aliquid virtutis hauriendo. Nec deſperemus ſi etiam ſic eum *quærentes*, *nondum inueniamus*: nec hoc ex ira dilecti prouenire putemus: ſed ex pia diſpenſatione, & benigna diſſimulatione: qua ſe nobis ideò ſubſtrahit, vt gemendo, quærendo, & affectando mereamur paulo poſt exuberantius eum inuenire.

9 Aue MARIA ſanctorum omnium ſanctiſſima: quam ſic dilectum quærentem, *inuenerũt vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem*: quia Angeli ſancti ſepiùs te, viſitarunt: quibus ex vehemẽtia feruoris erga dilectum dixiſti. *Num quem diligit anima mea vidiſtis*: num ſcitis vbi & qualiter inueniatur. *Cum autem paululum pertranſiſſes eos*, nolens in illis ſubſiſtere & gradum figere: ſed in ſolo dilecto qui creauit te propter ſe, quieſcere requirens, *illum inueniſti.*

Ora pro nobis vt Angeli, ſancti nos aſſiduè

viſitent, & nos rogemus, illos pro directione & ope continua ad quærendum & inueniendum dilectum: Prelati etiã ac Doctores fidelium & omnes in charitate feruidi zeloque fraternæ charitatis ſuccenſi (qui pro communi bono eccleſiæ ſunt ſol liciti & cum vigilantia cordis, cuſtodiunt fideles ab infernalibus lupis, à tentationum periculis, & vitiorum laqueis) nos dilectum tam anxiè quęrentes & ſalubriter ſuſpirantes *inueniant* & confortent: Nec tamen in illis ſubſiſtamus & quieſcamus: ſed *paululum pertranſeamus* eos: to tam ſpem noſtram ponendo in pietate & gratia ſponſi: eumque, omni externo ſolatio relicto perſeueranter quærendo: vt ſic *illum* inuenire mereamur iuxta ſuum promiſſum quo dixit. Omnis qui quærit inuenit.

10 Aue MARIA virgo conſtantiſſima *quæ dilectum tuum tenuiſti* & conſtanter ei adhæſiſti, tanto delectabilius *obediſti. brachiiſque* charitatis illum amplexata es quantò ardentius eum quæſiuiſti: Nec vnquam dimiſiſti, eum, mentem tuam ab eo per negligentiam aut tranſgreſſionem auertendo, donec introduxit te in domum matris tuæ *& in cubiculum genitricis tuæ*: id eſt quouſque tu cum illo introducta es in regnum triumphantis eccleſię, quæ eſt mater Eccleſiæ militantis & omnium viatorum, cuius *Domus* eſt tota illa patria beat[illegible]. *Cubiculum* verò eſt pax illa ſupernę hieruſalem omnem ſenſum exuperans, ſeu puritas beatorum confirmata in bono, in qua ſecuriſſimè conquieſcunt.

Eya ora pro nobis, vt ſponſum cęleſtem per fidem ſpem & charitatem ac obediẽtiam

tenea



*teneamus*: brachiiſque dilectionis tantò auidius amplectamur, quantò amplius nobis eſt neceſſaria eius gratia & præſentia: nec vlla tentatione aut cupiditate victi *illum dimittamus*, aut ab eo recedamus, ſed nec ab oratione & prece ceſſemus *donec* per gratiam gratum facientem, ſapientiamque infuſam ipſe ſponſus *mentem noſtram* atque ſynteresim firmiter inhabitare ac omnino poſſidere dignetur. *Mater* enim noſtra ritè vocatur gratia Dei, per quam regeneramur in Domino, *cuius domus* eſt mens ſeu intellectus noſter. *Cubiculum* verọ eſt ipſa ſynteresis quæ ſemper remurmurat malo & ad bonum inclinat.

11 Aue MARIA honorabiliſſima virgo, *quæ per deſertũ* per vallẽ hãc calamitatũ & fletuũ, per terrã peregrinationis præſentis *aſcendiſti* quotidiano profectu in omni virtute, ſanctitate ac Deiformi perfectione, atque ſublimi cõtẽplatione myſteriorũ noſtrę ſalutis *ſicut virgula fumi*, linealiter & prorſus rectiſſimè progrediẽs in omni bono, abſque curuitate culpę & vlla negligẽtia: exiſtẽs ſimilis vapori reſoluto *ex aromatibus Myrrhæ & Thuris & vniuerſi pulueris pigmentarij*: quia in tuo profectu prętacto concurrebant, *Myrrha* mortificationis & cruciformis Chriſti imitationis: & *Thus* ſuauiſſimæ deuotionis, ac bonæ famæ & delectationis in actu virtutum: *& cæterarum virtutum* atque donorum actiones & delectationes, luce diſcretionis commixtæ, ac diuini amoris igne ſuccenſæ, *ſuauiſſimè* redolentes apud altiſſimum. Tu etiam in Aſſumptione tua velociſſimè ac ſplendidiſſimè aſcendiſti de deſerto huius ſeculi in cœlum:

&

& ſuper vniuerſos Angelorum choros ſcandiſti vſque ad dexteram ſponſi.

Eya ora pro nobis, vt & nos tuo exemplo & merito *per deſertum* & ſolitudinem huius ſeculi per medium nationis peruerſæ à Deo deſertæ, *aſcendamus* ad ſublimitatẽ virtutum, ad contemplationis faſtigium, ad altitudinem regni cœlorum. *Aſcendamus* etiam *per deſertum* ſanctæ religionis à mundi voluptatibus, inquietudinibus & vanitatibus remotæ, *ad verticem* charitatis: ad lucem contemplationis & ad plenitudinem cœleſtis fœlicitatis.

*Aſcendamus* inquã *ſicut virgula fumi*, ſubtiles graciles, ornati, ſuaues, & in altum linealiter & rectiſſimè nos erigentes per ſpiritalem profectum & feruidum affectum: purgati & alieni ab omni priuato commodo & improbo noſtri amore: eſurientes ſolius Dei honorem, gloriam, & beneplacitum ſicque cum pura, rectiſſima, ſubtili ac dulci & feruenti ad Deum affectione conſurgente *ex aromatibus mortificationis*, deuotæ orationis, & cæterarum virtutum ac donorum actionibus & delectationibus, ad Deum tendamus & perueniamus.

12 Aue MARIA immaculatiſſima virgo: quæ es *lectulus Salomonis quẽ ſexaginta* fortes ambiũt *ex fortiſſimis Iſrael*: verè enim es humilis lectus Salomonis, id eſt, Chriſti: nam in te ſummus ille pacificus elegit concipi, incarnari, ac habitare in medio vteri tui, & ſpiritualiter in mente tua gratioſiſſimè quieſcere, & ſtatim vt tu electiſſima omnium creaturarum, in vtero matris tuæ fuiſti concepta: Deus





Trinitas, Angelis ſanctis cuſtodiam tui commiſit: teque frequenter vallauit & honorauit multitudo cœleſtis militiæ: non tam ob tui indigentiam, quam ob tui reuerentiam. Sed & glorioſi Apoſtoli cæterique primitiuæ Eccleſiæ ſancti ad te multoties cum ingenti reuerentia confluxerunt.

Eya ora pro nobis, vt & mens noſtra virtuoſa & tranquilla, ſit *lectulus* in quo ſponſus cœleſtis gratioſè quieſcat. Et nos ambiant non ſolum Angeli noſtri cuſtodes, ſed vniuerſi cœleſtes ſpiritus, & omnes electi. Impetra etiam nobis bonos paſtores & prædicatores: qui *tenentes gladios* id eſt arma virtutum contra aëreas poteſtates & acies vitiorum: vel *gladium* verbi diuini, quo reſecantur peccata & cordis aperitur duritia: atque *gladium* rigoris iuſtitiæ & debitæ peccatoribus vltionis, *tenentes* in memoria, in ore & in effectu: *nos cuſtodiant* prædicando, hortando, comminando, corripiendo, & noſtræ ſalutis aduerſarios expellendo. Qui etiam cuſtodes ſint *ad bella doctiſsimi*, & valde exercitati in prælio ſpirituali, in modo ac arte præliandi & reſiſtendi hoſtibus animarum: vt poſſint ſubditis ſuis & imperitis conſulere qualiter ſic præliari & vincere debeant. Inſuper *vnuſquiſque horum cuſtodum habeat ſuper femur ſuum enſem ſuum propter timores nocturnos:* hoc eſt habeat in intellectu ſuo per fidem & ſapientiam informato (per quem generat ſpirituales filios eos inſtruendo & conuertendo) *gladium* verbi diuini: & ex intellectus diſcretione verba ſacræ ſcripturæ proferat, *propter timores nocturnos*, id eſt ad preca-

uendum ſponſæ & lectulo Chriſti ab inordinatis timoribus, quæ in tenebris & ignorantiis, in aduerſitatibus & tentationibus vitæ preſentis ſolent occurrere à quibus homo eripitur per verbum Dei.

*Incipit Corona duodecima.*
*Coronula prima Coronæ duodecimæ.*

1 Aue MARIA præclariſſima virgo: verum *ferculum quod fecit Rex Salomon de lignis Libani:* quia es Thronus & Solium veri Salomonis: qui fuit in te Deus ſibi mundum reconcilians, dum ipſum hominem factum in tuo inuiolatiſſimo vtero portaſti: & in mente tua per fidem, charitatem ac iugem memoriam venerationemque præcipuam iugiter retinuiſti. Ipſe autem ſecundum quod eſt Deus, fecit & formauit corpus tuum ex membris ſanctis & incorruptis: & animam tuam ſanctificauit ac decorauit ex perfectis inuictis & dulciſſimis virtutibus tanquam ex lignis Libani.

Eya ora pro nobis, vt & Chriſtus faciat animam noſtram ſibi *ferculum*, cibum & ſolium atque habitaculum, in qua reſideat & eam quaſi manducando ſibi incorporet: igne quoque charitatis conſumat in ea priuatum amorem & quicquid prauum eſt: & ſtructurã ſpiritualem in illa ſuperædificet, *ex lignis Libani* id eſt ex virtutibus pretioſis redolentibus & excelſis.

2 Aue MARIA pudiciſſima virgo, *cuius columnas Rex fecit argenteas*: quia ſapientia ædificauit ſibi in te domum, in qua excidit columnas





lumnas ſeptem: dum ſeptem donis ſpiritusſancti te copioſiſſimè impleuit, quibus tua anima fulciretur & ſuſtentaretur: quæ etiam dona *argentea* dicuntur quia reſpectu Theologicarum virtutum (in quarum adiutorium ſunt data) ſunt inferiora & nitida.

Eya ora pro nobis, vt & nos fulciamur atque ad benè operandum agiles reddamur per ſeptẽ dona ſpiritusſãcti: & per quatuor cardinales virtutes videlicet tẽperãtiã, iuſtitiã, prudentiã & fortitudinẽ, tanquam per columnas ædificiũ noſtrũ ſpirituale ſuſtentetur. Impetra etiã vt paſtores & pręedicatores Eccleſiæ ſint *colũnæ argẽteæ* cęteris clariores & in ſciẽtia ſcripturarũ ac eloquẽtia pręfulgẽtes, ſuaq; doctrina ac exẽplari vita alios ſuſtentantes.

3 Aue MARIA virgo feruentiſſima, in qua *verus Salomon* ſibi fecit *Reclinatorium aureum* quia per ardentiſſimam charitatẽ, qua Dei honorem & proximorum ſaluationem æſtuantiſſimè concupiſti, ipſe te proximè diſpoſuit, dignificauit & placentiſſimam preparauit ad conceptionem, verbi æterni: & in tua charitate ſuauiter reſedit & quieuit.

Eya ora pro nobis, vt & filius tuus per feruidam charitatẽ in cordibus noſtris reclinatoriũ ſibi conſtruat, in quo gratioſè requieſcat.

4 Aue MARIA beatiſſima virgo, in qua Chriſtus fecit *aſcenſum purpureũ*: quia poſuit aſcenſiones in corde tuo in hac valle lachrymarum: hoc eſt ordinatũ & ſucceſsiuum profectum ab imo humilitatis vſque ad apicem charitatis. Tuaque doloroſa compaſſio fuit aſcẽſus purpureus, qa filio tuo paulatim tãtò intẽſiùs cõdolebas, quãtò paſsio eius magis

appropinquabat: qui tamen dolor tuus fuit conſolationibus frequenter admixtus.

Eya ora pro nobis & impetra ordinatam in anima noſtra virtutum & donorum connexionem & ordinationem, in quibus ab inferioribus ad ſublimiora paulatim & ordinatè aſcendamus & proficiamus.

5 Aue MARIA affectuoſiſſima virgo, *cuius* omnia *media verus Salomon, charitate conſtrauit*: quia quicquid in te habuiſti, feciſti & pertuliſti ſpõſus ac filius tuus, pleniſſimo amore Dei & proximorum ordinauit: & tu ex infuſa charitate in omnibus diuinæ maieſtatis honorem & animarum ſalutem ſemper intendiſti.

Eya ora pro nobis vt *media* ſeu pauimentum ſtructuræ noſtræ ſpiritualis, hoc eſt virtutes morales & actus earum & etiam opera indifferentia ſyncera *charitate ſint conſtrata* complanata & informata: ſic vt ex charitate omnia perficiamus & ad charitatis perfectionem omnia referamus: & hoc propter *filias Hieruſalem* id eſt ad ſalutem fidelium animarum, quatenùs fideles omnes in charitate exiſtentes ſibi inuicem ſuffragentur, & merita ſua communicent & participent.

6 Aue MARIA ſapientiſſima virgo, quæ fructum incarnationis & paſſionis filij tui ardentiſſimè cupiẽs fructificare in nobis omnibus, adhortaris dicens. *Egredimini & videte filiæ Syon regem Salomonem in diademate quo coronauit eam mater ſua.* id eſt, in aſſumpta ex me humanitate, præclariſſimè decorata regia, ſacerdotali & iudiciaria poteſtate.

Eya ora pro nobis filiabus *Syon* ad ſpeculandum



landum diuina creatis, *vt egrediamur* de negligentia & torpore, de conſuetudine praua: de intellectus obtenebratione, diſtractione, imaginationeque vana, ſtolida & fœda: & mentes noſtras eleuantes *videamus* & oculo deuotæ conſiderationis contemplemur *Regem Salomonem*, id eſt Chriſtum verum pacificum & reconciliatorem noſtrum, *in diademate quo tu mater eius* ipſum *coronaſti*, hoc eſt in humanitate quam ex te aſſumpſit: & qua verbum Dei æternum, quaſi diademate coronatur, quia ex eius incarnatione præclariſſimè relucet, ac declaratur infinita ipſius pietas, dignatio, & munificentia ad genus humanum: & ipſum verbum æternum aſſumendo noſtram humanitatem nos coronauit & noſtram naturam maximè honorauit videamus inquam illum in diademate quo coronatus eſt à te, *in die deſponſationis*, illius, id eſt in hora incarnationis, quando ipſe filius Dei deſponſauit ſibi Eccleſiam: & te virginem matrem, fecit ſuam ſponſam ſingularem: atque cum aſſumpta natura nuptias perſonales celebrauit ac iniit: quod totum ex charitate pleniſſima iucũdiſſimè fecit *in die letitiæ cordis ſui*, ſummè gaudẽs de recuperatione honoris patris æterni, & ſaluatione generis humani hoc ergò modo cõſideremus regem & ſponſum noſtrum qui tãta propter nos tolerauit, tamque glorioſiſſimè triumphauit: quatenùs eius exemplo patientiam addiſcamus: atque in omni iniuria, afflictione & perſecutione maneamus tranquilli & immobiles: vt ſic conformemur eidem noſtro ſponſo, & tandem ab eo & cum eo glorificemur.

7 Aue

7 Aue MARIA virgo formoſiſsima,cuius pulchritudinem ſponſus & filius tuus commendans tibi dixit. *Quam pulchra es amica mea,quam pulchra.* Tantò enim cæteris puris creaturis pulchrior es: quantò in omni gratia,dono, virtute, beatitudine, & fructu perfectior:quantò purior,innocentior & ab omni culpa immunior:quantò fonti totius pulchritudinis ac decoris propinquior , vt pote mater illius.Imò tam pulchra es, quod fons ille ſuperpulcherrimus tuum decorem concupiuit:tamque delectabilis & iucunda fuiſti ſuperſpecioſiſſimo vnigenito patris æterni,ad intuendum , ad conuiuendum, ad diligendum , quod in te & tecum præcunctis commorari & conuerſari elegit in terris.

Eya ora pro nobis vt & animæ noſtræ *pulchræ ſint,*nulla paſſionum fœditate inquinatæ, imaginæ ſuperbenedictæ Trinitatis nō ſolum decoratæ per ſplendorem intellectus, libertatem voluntatis , & memoriæ tenacitatem : ſed etiam in eius ſimilitudinem transformatæ , ſic vt ratio noſtra per ſcientiam , prudentiam & ſapientiam ſplendeat: voluntas charitate Dei & proximi ardeat, cor noſtrum circa Deum omnino afficiatur, atque in diuinis totaliter occupetur :& ex Deo habeamus conſcientiæ puritatem , ad proximos ædificationis fulgorem : & in verbis ac ſenſibus in vultu , geſtu & progreſſu ſeruemus moralitatem.

8 Aue MARIA ſimpliciſsima virgo *cuius Oculi ſicut columbarum* id eſt , maxime columbini, pudiciſsimi plenéque cuſtoditi , numquam inordinatè aperti : nunquam in aliquem

inde



indecenter directi aut fixi:cuius etiam intentio fuit inuiolabiliter recta , ſimplex puriſſima nunquam ad proprium commodum aut honorem reflexa.

Eya ora pro nobis:vt deteſtemur omnem duplicitatem , calliditatem , ſimulationem, fraudem hypocriſim obliquitatem ac verſutiam : & ſectemur ſimplicitatem columbinam ac puram mentis intentionem : qua purum intuitum ac pudicum ſemper dirigamus ad ſponſum celeſtem, aliunde nos auertendo & ab omni felle amaritudinis ac æmulatione inuidiæ precauendo.

9 Aue MARIA dilectiſſima & capaciſſima Dei mater in qua *quod intrinſecus latet* eſt incomprehenſibile. Incomprehenſibilis enim ſponſus,munificentiſſimus,optimus & omnipotens filius tuus, incomprehenſibiliter, ſecretiſſimè, liberaliſsimè , operabatur,radiabat,& communicabat ſe in te ſua matre, copioſiſsimè omnia tua interiora illuminans: calidiſsimè tuum affectum inflammans : & ineffabili modo te corroborans, ornans,perficiens , implens & totaliter poſſidens , vnde latuit & Deo ac tibi ſoli notum fuit cum quanto feruore,& deuotione, puritate & ſtabilitate Deo vacaſti, inhæſiſti , intenta immerſaque fuiſti, ex quo interior tua ſynceritas, tranquilitas, ſapientia & virtuoſitas , in tuo vultu reſplēduit teque fecit gratiſsimā, venuſtiſsimam & in omnibus cōpoſitiſsimā.

Eya ora pro nobis & impetra puritatē internā,charitatis feruorē,cōtēplationis ſplēdorē,indeſinētē profectū mentalem , quę homines latent,Deo autē , qui cor intuetur patēt.

10 Aue

10 Aue MARIA admiranda & ordinatiſſima virgo: *cuius capilli fuerunt ſicut greges caprarum:* quia vniuerſæ cogitationes, meditationes, contemplationes, affectioneſq; tuæ, fuerunt ſemper decentiſſimæ, mundiſſimæ, & ordinatiſſimæ: totius charitatis feruore perfuſæ, formatæ, ſplendiſuæ & cum omni promptitudine in Deum erectæ, recollectæ ac ſtabilitæ: *quæ etiam aſcenderunt de monte Galaad:* quia teſtimonia ſcripturarum ad filium tuum ſpectantia & quicquid de eo audiſti ab Angelo, à paſtoribus, ab Elizabeth & Zacharia, à Simeone & Anna & à Magis, intra te prudentiſſimè collegiſti, & in corde tuo conferens ſeruaſti: ſicque de *monte Galaad*, hoc eſt, de aceruo teſtimoniorum, & de tumulo teſtis *aſcendiſti.*

Eya ora pro nobis *vt & capilli noſtri ſint ſicut greges caprarum*, hoc eſt, vt noſtræ contemplationes, meditationes ac cogitationes ex intellectu naſcentes: affectioneſque quoque & dilectiones ex voluntate progredientes, ſint ordinatæ, pulchræ, copioſæ & veloces ſicut greges caprarum, ſic vt ex conſideratione & affectione creaturarum, ad creatoris notitiam, admirationem & dilectionem conſurgamus: atque ex creatoris contemplatione & amore intenſo: creata hæc ſenſibilia & terrena paruipendamus, aſpernemur & deſeramus: celeriterque ad Deum reſiliamus & conſcendamus.

11 Aue MARIA incomparabilis Domina, *cuius dentes ſunt ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro:* quia ſubtiliſſimæ & accutiſſimæ conſiderationes animæ tuæ: quibus





intra te triuiſti, & aliis trita expoſuiſti, ac optimè maſticata digeſſiſti omnia myſteria filij tui, omnémque gratiam tibi ab eo conceſſam: ac beneficia per eum humano generi impenſa fuerunt inſtar *ouium tonſurarum* puræ & innocentes, ab omni errore, admixtionéque culpæ penitùs alienæ: vt potè *aſcendentes de lauacro*, de totius luminis fonte, & de flumine ſapientiæ ac exuberantiſſima habituali ſapientia tibi infuſa. Nam de corde tuo illuminatiſſimo exuberanter fluxerunt flumina aquæ viuentis: & in te, tanquam in amœniſſima paradiſo, fuit fons copioſus, clarus, perlucidus, diffundens ex ſe riuos lympidiſſimarum meditationum, & ſanctiſſimarum affectionum.

Eya ora pro nobis, vt *& dentes noſtri ſpirituales*, hoc eſt, diſcuſſiones & conſiderationes (quibus noſmetipſos & omnes noſtros actus ſapienter examinamus, diſcretè diſcutimus, & prudenter diiudicamus) ſint ouibus tonſis & lotis ordinatè incedentibus, ſimiles, vtpotè à vitiis & ſordibus nudatæ, à ſuperfluis & concluſis cogitationibus tonſæ, & in ſeipſis atque actibus ſuis ordinatæ, & veræ contritionis lacrymis lotæ. Impetra etiam vt omnes illæ diſcretiuæ propriæ conſcientiæ examinationes ſint *gemellis fœtibus fœcundæ & ſterilis non ſit inter eas:* ſed in ſe ſint laudabiles, ſapientiales & meritoriæ: & alios animæ actus ſpiritualiter circuncidant purificent & fœcundent per veram diſcretionem: quæ præ cæteris virtutibus breui *ac recto tramite ducit ad perfectionem.*

12 Aue MARIA ſummè taciturna virgo

*Cuius labia fuerunt ſicut vitta concinea: & eloquium tuum dulce*: quia prudentiſſimè ſemper moderaſti labia tua,& repreſſiſti ab omni ſuperfluo & otioſo ſermone:& de Chriſti prædilecti filij tui ſalutifera paſſione & qualiter per eam ſumus redempti ſæpiùs locuta es:exhortans fideles ad eam recolendam & imitandam, cuúmque *eloquium ſemper fuit dulce*, amoroſum,iucundum,facundum, exemplare & conſolatorium.

Eya ora pro nobis, vt & nos timoratè comprimamus labia noſtra ab omni verbo nociuo, peruerſo & inutili: ne ſponſum offendamus in aliquo: & incurramus diſtractionem per quam amittamus internam ſponſi allocutionem: loquamúrque libenter & aliis prædicemus, de eius amariſſima paſſione: & eloquium noſtrum ſit *dulce* & delectabile ac ſalubre, ex dulci charitate & aliis virtutibus procedens.

*Coronæ duodecimæ Coronula ſecunda.*

1 Aue MARIA generoſiſſima & regia virgo: *Cuius genæ fuerunt ſicut fragmen mali punici*: quia vernantiſſima tua pudicitia, & virginalis formidoloſitas tua ſancta, inſtar malogranati, rubore igniti amoris & ſplendore ſapientiæ ſemper præfulſerunt & redoluerunt. *Genæ* etiam tuæ interiores fuerunt velut *fragmen mali punici*, quia memoria præteritorum ex aſſidua Filij tui paſſione fuit quaſi ſanguineo rubore perfuſa: & prouidentia futurorum ex conſideratione fructus paſſionis eiuſdem, quaſi candens apparebat.

Eya ora pro nobis, vt & nos per memoriam recolentes Dominicam paſſionem, futurum iudicium, & infernale ſupplicium inſtar *mali punici* rubeamus foris: & per prouidentiam cogitantes gaudia regni cœleſtis, puritatémque cordis & veritatis ſplendorem, *candidi* ſimus intùs: Atque *grana* virtutum contineamus, quæ dum aduerſis concutimur, declarentur & ſuauiter alios afficiant: exhibentes & oſtendentes charitatem, humilitatem, patientiam, manſuetudinem & benignitatem.

2 Aue MARIA obedientiſſima virgo, *Cuius collum fuit ſicut turris Dauid ædificata* cum propugnaculis: quia voluntas tua (quæ ſua libertate in altum extenditur) verè fuit liberrima, id eſt, ſubiectiſſima ac obedientiſſima Deo, cui ſeruire, eſt regnare, ac vitiis, mundo, ac dæmonibus præualere ac dominari. Fuit etiam hæc tua voluntas per charitatem altiſſima, ſummo vniuerſorum principio perfectè vnita, ac directiſſimè ad ipſum extenſa: ac per profundiſſimam humilitatem & inæſtimabilem pietatem ad miſeros inclinata: cunctis donis ac virtutibus præclariſſimè ac victorioſiſſimè decorata: in qua nihil manſit de proprio, nec de priuato amore: ſed abnegatiſſima ſemper fuit & reſignatiſſima Deo.

Eya ora pro nobis, vt & noſtra vo-

luntas ſit ſemper ad Deum erecta, eique liberrimè ac pleniſſimè ſubiecta & reſignata; *ædificata cum propugnaculis* cæterarum virtutum, quibus conſtipata muniatur, protegatur & roboretur.

3 Aue MARIA victorioſiſſima Domina *ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium*: quia in te cernuntur innumerabiles virtutes, dona, exempla, ſuffragia, & miracula: quibus tanquam clypeis, Eccleſiam fidelium contra vniuerſos ipſius hoſtes defendis & protegis: & hæreticas prauitates conuincis.

Eya ora pro nobis, vt & tuis virtutibus ac meritis & miraculis iuuemur: & in anima noſtra habeamus virtutes inuicem ſibi connexas quibus tanquam clypeis & armis protegamur: nóſque & vniuerſam Eccleſiam ab hoſtibus & hæreſibus cuſtodi.

4 Aue MARIA optima virgo, *Cuius duo verba ſunt ſicut duo hinnuli capreæ gemelli*: quia charitas tua materna & pietas maxima (quibus tanquam vberibus nutris, lactas, & refoues confugiẽtes ad te) eſt inſtar hinnulorum capreæ, velociſſima ac promptiſſima ad intuendum miſeros & illis ſuccurrendum: propter quod meritò mater miſericordiæ, & mater gratiæ vocaris.

Eya ora pro nobis, & tua charitate ac pietate nos miſeros lacta & refoue: & fac nos ad miſericordiæ & pietatis opera promptiſſimos: & da vt *paſcamur in lilijs*, hoc eſt in candore caſtimoniæ, & fragrantia puritatis: & in ſplendidis ac ſuauibus ſanctorum doctrinis, virtutibus & exemplis:



plis: *donec aſpiret nobis dies* æternæ retributionis & claritatis: & *inclinentur* ac ceſſent *vmbra* & tenebræ huius exilij.

5 Aue MARIA compatientiſſima & deuotiſſima virgo: *ad quam ſicut ad montem mirrhæ*, & *collem thuris* ſponſus cœleſtis ſæpiùs diuertit & acceſſit: tu enim paſſionem Filij tui iugiter in corde tuo doloroſe geſtando: & peccata mundi, præſertim Iudæorum, deflendo: ac plurimos à vitiorum putredine præſeruando: fuiſti *Mons myrrhæ*: Orationum autem tuarum Thymiata: meditationum tuarum fragrantiam, charitatis tuæ incenſum, & pietatis tuæ dulcedinem, imò te totam Deo in holocauſtum pleniſſimè offerendo: fuiſti *collis thuris*: Téque Chriſtus inceſſabiliter, munificentiſſimè, gratiosè & delitiosè viſitauit: ac in medio tui eſt demoratus, tua dulcedine delectatus.

Eya ora pro nobis, vt & nos per pœnitentiam peccata noſtra deplorantes, & carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis mortificantes, ac de proximorum miſeriis, Chriſtíque paſſione piè dolentes & compatientes, ſimus *Mons myrrhæ*: atque ſuauiſſimis orationum & contemplationum exercitiis inhærentes, efficiamur *collis thuris*: quatenùs dignetur Dominus ad nos accedere, nóſque conſolari, confortare, perficere, & amplecti.

6 Aue MARIA diuiniſſima virgo, cui præ cæteris ſponſus cœleſtis IESVS Filius tuus veraciter & conuenientiſſimè congratulans dicit. *Tota pulchra es, amica mea & macula non eſt in te.* Tu enim es antonomaſticè & in

ſummo excellentiæ gradu amica Chriſti, & in omni ſanctitate, perfectione, & pulchritudine exteriori & interiori ei ſimilior, quæ ad præeminentem virtutum omnium perfectionem perueniſti. In te virtutes omnes ſibi inuicem comproportionatæ, & ſapienti diſcretione formatæ ac directæ fuerunt. Tu etiam tuis exemplis, virtutibus, fama & precibus, pulchrificas & decoras totam Eccleſiam: & cauſas in ipſis fidelibus concordiam, lucem & charitatis vnitatem: & in te nulla vnquam peccati tam originalis, quàm venialis & mortalis macula inuenta eſt.

Eya ora pro nobis, & impetra, vt animæ noſtræ *totæ pulchræ ſint*, ab inquinamentis carnis & ſpiritus mundæ: in omnibus viribus & potentiis ſuis per gratiæ dona, & virtutes reformatæ & decoratæ: in virtuoſis operibus abundantes: & quotidiana ac venialia peccata noſtra minima ſic humiliter agnoſcamus: doloroſè, & verecundè confiteamur & deploremus: & pro eis quotidie ſic ſatisfaciamus: atque per aſſiduam cordis cuſtodiam & feruorem diuini amoris ad ſponſum cœleſtem conuertamur: vt non ſolùm deleantur & dimittantur hæc venialia peccata, ſed etiam creſcamus per ea in charitate & virtute.

7 Aue MARIA glorioſiſſima Regina cœlorum, quam Filius tuus ſponſus cœleſtis ad æternum gloriæ Regnum & conſortium inuitans & vocans, dixit *tibi* in Aſſumptione tua, *veni de Libano* & candore gratiæ ac iuſta





conuerſatione ad beatificam viſionem, & de nuptiis viæ ac imperfectionis, ad nuptias patriæ beatorum, *sponſa mea* ſingularis: *veni de Libano* fidei & deuotæ contemplationis, ad claram ſpeciem & fruitionem diuinitatis: *veni* de carcere carnis & exilio peregrinationis, ad palatium ciuium ſupernorum, & patriam æternæ claritatis: de luctu ad brauium, de tempore ad æternitatem: de periculo ad ſecuritatem, de labore ad requiem: *veni* à candore gratiæ, ad ſplendorem gloriæ æternalis: à luce puritatis internæ, ad lucem Deificæ viſionis: à tuorum munditia meritorum, ad ineffabilium plenitudinem præmiorum.

Eya ora pro nobis, vt & nos ter à ſponſo inuitati, veniamus ad eum mentis cogitatu, oris ſermone, & operum exhibitione, veniamus etiam ad eum per fidem, ſpem, & charitatem: *de Libano*, id eſt, de mentis renouatione ac puritate.

8 Aue MARIA beatiſſima virgo quæ iam es *coronata* in cœlis, & quotidie *coronaris* de *capite amana* (quod interpretatur turbulentus & inquietus) & *de vertice Sanir*. i. fœtoris: *& hermon*. i. anathematis: *Atque de cubilibus Leonum* ferocium & voracium ac violentorum: *& de montibus pardorum* ſimulatorum callidorum & immiſericordium: quia coronam gloriæ percipis, pro eo quòd conuertiſti, & quotidie tuis exemplis precibus ac meritis conuertis peccatores per animalia prædicta ſignatos: videlicet homines paſſionatos, inquietos & turbulentos: lubricos & guloſos fœditatibus carnis ſeruientes: ſuperbos & ſpiritualibus vitiis deditos qui ſunt

anathema & ſeparati à Deo: tyrannos, perſecutores, iuſtorum feroces: hypocritas, callidos & ſimulatores, diuerſiſque vitiis Induratos: eorúmque omnium capitaneos, & qui inter eos erant ſublimiores ſæpe conuertiſti & conuertis: pro quorum conuerſione coronaris.

Eya age quod agis, & quod tibi proprium eſt: miſeris ſuccurre: conuerte quoſlibet peccatores, inquietos, lubricos, ſuperbos: feroces & ſimulatos: & impetra nobis vt vitiis prædictis hîc perfectè dominemur, & noſtro exemplo peccatores ad emendationem conuertamus vt tecum tandem coronemur.

9 Aue MARIA digniſſima virgo ad excellentiſſimam gloriam ab æterno electa: *quæ* ſponſum cœleſtem *vulneraſti* & vehementiſſimè attraxiſti ad te (quaſi tuo amore eſſet vulneratus) *in vno oculorum tuorum*, id eſt, per ſynceriſſimam contemplationem qua ipſum reuerentiſſimè & feruentiſſimè inſpexiſti, & totis præcordiis exoptaſti: *& in vno crine colli tui*, hoc eſt in vna affectione cordis tui puriſſimi, qua commune bonum totius humani generis concupiſti: vnde tam amabilis facta es eidem ſponſo: quod etiam vnaquaque tua intuitione & affectione rapuiſti eum totum in te: & magnifice ei placuit quicquid fuit in anima tua & quicquid proceſſit ex ea.

Eya ora pro nobis, vt ſponſum cœleſtem (qui præ amore & deſiderio noſtræ ſalutis vulnera & mortem crucis ſuſtinuit, & quaſi vulnere amoris eſſet percuſſus, noſtræ damnationi vehementiſſimè condoluit, qui etiam nos vocat ſuas *ſorores* per conformitatem naturæ quam aſſumpſit, *& ſponſas*, per charitatem præcipuam vulneremus, & ad nos attrahamus *in vno oculo* veræ fidei, puræ & columbinæ intentionis, diſcretionis, & eleuatæ contemplationis: Atque *in vno crine* amoroſę obedientię, & ſurſum actionis ſancti amoris, qua eius honorem ſuper omnia & proximorum ſalutem propter ipſum ardenter cupiamus.



10 Aue MARIA ſoror & ſponſa Chriſti ſpecioſiſſima, *Cuius mammæ pulcherrimæ ſunt, & vbera vino pulchriora,* Quia dilectio Dei & proximi, zelus diuini honoris atque fraternæ ſalutis: ſapientia, & ſcientia: gratię affluentia & munificentia, atque conpaſſio miſerorum (quę ſunt tuę ſpirituales mammę & vbera) ineffabiliter ſunt pulchriora & dulciora vino legalis rigoris & omni naturali ſcientia, ac corporali materia vel forma. Corporeaquoque vbera tua quibus Regem gloriæ lactaſti, miro modo ſunt Deificata, ſpecioſa & ipſis etiam Angelicis mentibus honoranda.

Eya ora pro nobis, & impetra pulchra vbera zeli & dilectionis: quibus pro Dei honore, & fraterna ſalute zelemur: pietatis & compaſſionis, quibus paſſioni dominicę, & proximorum miſeriis, tranſgreſſionibus & periculis condoleamus: Sapientię quoque & ſcientię infuſę, quibus diuina contemplemur & proximos in-

fruamus: ac ſpiritualis opulentiæ & liberalitatis, quibus communicemus proximis acceptas à te gratias. Hæc enim vbera pulchriora ſunt omni vino naturalis & philoſophicæ eruditionis moraliſque virtutis.

11 Aue MARIA ſereniſſima mater Dei, *Cuius vnguentorum odor eſt ſuper omnia aromata*: quibus ſuauitas tuorum chariſmatum & virtutum, actuum & meritorum, vnctionum & diffuſionum, cuncta mundi odoramenta tranſcendit: imò & abundè perfundit, & aſpergit vniuerſam Eccleſiam tàm triumphantem, quàm militantem: dum & beati omnes tuæ immenſæ gloriæ congratulantes, Deum in te medullitus laudant: & viatores fideles, tuo odore, ſuauitate & conſolatione non mediocriter recreantur fouentur, iuuantur & exhilarantur.

Eya fac vt hoc tuo odore recreemur, & tibi congratulantes tecum Deum laudemus pro vniuerſis ſpiritualibus tuis vnguentis. Impetra etiam nobis virtutes infuſas cum meritoriis actibus & ſynceris delectationibus earum; quæ digniores ſunt & ſalubriores virtutibus moralibus acquiſitis & earum actibus & gaudiis.

12 Aue MARRIA virgo ſuauiſſima, *Cuius labia ſunt fauus diſtillans*: quia labia tua intellectualia (quibus intra cordis tui arcana Deum alloqueris, laudas, oras & amplecteris) ſuauiſſimos & Deo acceptiſſimos actus internos iugiter producunt.





Eya ora pro nobis, vt & nos proferamus ſemper verba verè ſapientialia, ſalubria, ac diuina: in Hymnis, Pſalmis & canticis ſpiritualibus cum Deo aſſiduè fabulantes: mala noſtra accuſantes, & nos vilipendentes: Deum verò cum omni reuerentia exaltantes, & eius beneficia prædicantes.

*Coronula tertia Coronæ duodecimæ.*

1 Aue MARIA virgo dulciſſima, ſub *cuius lingua* ſacratiſſima *mel* ardentiſſimæ charitatis & ſuauitatis internæ: ex diuina ſummi boni pleniſſima fruitione: *&* *lac* refectionis ſalutiferæ ex inſpectione & dilectione humanæ Filij tui naturæ ex te ſumptæ continentur.

Eya ora pro nobis, & impetra vt ſermo noſter & locutio ſit vel de filij tui Deitate, *tanquam mel* vel de eiuſdem humanitate, *tanquam lac*: & de futura refectione beatiſſima prorſus dulciſſima tanquam melle, loquamur & contemplemur: atque de præſentium munerum exhibitione & conſideratione tanquam lacte refoueamur.

2 Aue MARIA ſuauiſſima virgo, *Cuius veſtimentorum odor, eſt ſicut odor thuris*: quia delectatio adiuncta tuis virtutibus & actibus earũ, tantò fuit ſuauior & Deo gratior: quãtò tu eaſdẽ virtutes & actus in ſummo excellentię gradu habuiſti & exercuiſti. Nã per veſti-

menta, virtutes, & earum actiones ſignantur: & per delectationem eis annexam, *odor* intelligitur.

Eya ora pro nobis & impetra vt virtutes & dona Spiritus ſancti poſſideamus & exerceamus cum ſpirituali gaudio, ex igne charitatis procedente: ſicque noſtri omnes actus virtuoſi & meritorij ſint coram Deo tanquam odor thuris, habentes vim & effectum deuotæ orationis ad impetrandum gratiam & gloriam.

3 Aue MARIA, optima virgo *Soror* Chriſti & Mater quæ es *hortus concluſus*, hortus inquam delitioſiſſimus, vernantiſſimus & fructuoſiſſimus. In te enim omnium arborum ſpiritualium ſpecies ſunt plantatæ: in te lignum ſapientiæ requieuit: In te lignum ſcientiæ boni & mali, id eſt, ſumma diſcretio, immarceſſibiliter floret: in te omnes virtutes ſunt conſitæ: in te Sol ſapientiæ radiauit, & cuncta diuina chariſmata in te floruerunt. Es autem hortus *concluſus* muro diuinæ & Angelicæ protectionis, & inuiolabilis caſtitatis: vnde nulli venti, pluuię, & flumina vitiorum & tentationum te vnquam potuerunt penetrare: & in te locum habere.

Eya ora pro nobis, & impetra vt ſimus horti concluſi: in quibus ſint flumina verbi cœleſtis, & flores, id eſt floridę diſpoſitiones ad fructus virtutum: & operum meritoriorum fructus. Simus hortus quem hortulanus cœleſtis etiam





colat purget & fœcundet: & in quo Saluator ponatur murus & antemurale: quē etiam Angelicæ virtutes cuſtodiant: & qui claudatur valletur & muniatur vallo charitatis, timore filiali cuſtodia cordis, circumſpectione prudentię, oratione, mūdus, vt nec caro & dæmonia valeant eum ingredi ac demoliri.

4 Aue MARIA virgo fœcundiſſima, quę *es fōs ſignatus:* fons inquā miſericordię & gratię: quæ peperiſti omnium creatorem: totiuſque mundi ſaluatorem: propter quod verè diceris & es poſt Deum fons, origo, mater, & largitrix vniuerſorum chriſmatum quæ nobis conferuntur: Tibi enim commiſſum eſt regnum miſericordiæ: & per manus tuas dare diſpoſuit & dat nobis Deus, quicquid gratiæ dignatur nobis tribuere. Es autem *fons ſignatus*: quia inuiolabilis virginitatis annulo ſignata permanſiſti.

Eya ora pro nobis, vt per te & de tuo fonte ſperemus, quæramus, hauriamus, & à Deo recipiamus omnē miſericordiam & gratiam.

5 Aue MARIA ditiſſima & liberaliſſima virgo *cuius emiſſiones ſunt paradiſus malorū punicorū*, quia quicquid à te emititur & procedit, dulce & pium eſt: verba & opera tua, Deo, & cunctis beatis, omnibuſque benè diſpoſitis, mirabiliter placent & grata ſunt. Charitatem namque & miſericordiam redolent excellentiſſimè, & gratioſa ſunt nimis.

Eya ora pro nobis, vt & nos emittamus ex nobis bonæ famæ odorem, virtutum fragrantiam, & optimos fructus ſpiritusſancti, ſcilicet charitatem, gaudium, pacem & cætera quæ Apoſtolus enumerat: Quæ emiſſiones

ſint *paradiſus malorum punicorum*, id eſt delitioſa poſſeſſio, opulentia & ſuauitas animarum charitate ardentium, pro fide & amore ſponſi ſanguinem ſuum fundere ſitientium: *Quæ etiam* ſint *cum pomorum fructibus:* hoc eſt, cum fructuoſa conuerſatione & ædificatione proximorum, quos noſtris exemplis allicimus & lucrifacimus Chriſto: qui dum Chriſto incorporantur, efficiuntur poma eius qui eſt lignum vitæ, & ſapientiæ; ac vniuerſarum virtutum, in medio paradiſi id eſt, triumphantis & militantis Eccleſiæ, ſitum.

6 Aue MARIA virgo opulentiſſima, *cuius emiſsiones ſunt etiam Cypri cum nardo. Nardus & crocus fiſtula & Cynamonum, cum vniuerſis lignis Libani.* Quia omnes virtutes & virtuoſæ perſonę clariſſimique effectus per prædictas arbores, ſignati, glorioſè ac eminenter emiſſæ ſunt & prodierunt ex te. Porro *Cyprus* aromatica arbor ſemen habens candidum & odoriferum, ex quo in oleo cocto ac expreſſo conficitur regale vnguentum optimum) ſignificat caſtos & continentes, oleo ſpiritus ſancti vnctos & igne tribulationis expreſſos: qui ſunt vnguētum ſummo regi delectabile: per quod etiam Dominus medetur vitiis proximorum: debent autem tales continentes coniungi cum nardo, id eſt, humiles eſſe.

*Nardus enim* aromatica herba ſpecioſa, odorifera, calida, & decliuis ſignat humilitatē charitate formatā, fructuoſā, & bonæ famæ diffuſiuā. Crocus verò (quæ eſt herba habēs folia aurei coloris, & tanti feruoris vt febricitātibus refrigeriū preſtet) ſignificat eos qui charitatis feruore, ac ſapiētię calefactiuo





feruore ſic ornantur, vt in ſeipſis ac in aliis æſtū cupiditatis ac cōcupiſcētiæ extinguant: deſideriumq; ſuperiorū bonorū accendant: ac aureū exemplaritatis ornatū producant. Quibus humilitas valdè eſt neceſſaria: vnde & hîc rurſus repetitur & adiungitur Nardus cūm croco, ſicut additus fuerat cū Cypro. Per *fiſtulā ſeu Caſiam* (quæ habet corticem durum, purpureum & amarum, valens ad curandum viſcerum dolorē & eſt breuis ſtaturæ) ſignificantur hi qui per arduam pœnitentiæ exercitationem incedūt, & ſua ac aliorum peccata acerbè deplorant: ſicque purpureo charitatis ſplendore venuſti ſunt. *Cynamomū* aromatica arbor, nigri cinerei ve coloris, virtute ac odore præcipua: & frutice breuis ad medicamēta vtiliſſima, cui⁹ etiā cortex eſt pretioſus, inſtar cannæ rotundus ac gracilis, ſignificat eos qui ex charitate & humilitate promptè obediunt, & ſuo bono odore ac exemplo curant poximorum ſuperbiā & inobedientiam. Per *vniuerſa ligna Libani* intelligūtur cæteri fideles, virtute ſublimes, & gratiæ cādidati. *Libanus* enim mōs eſt in quo pulchræ & altæ arbores creſcunt & interpretatur candidatio, vniuerſos hos & ſanctas eorū virtutes tu (ô fœcundiſſima virgo) tuis exēplis, precibus ac meritis emittis, gignis, & pEccleſiā diffundis.

Eya ora pro nobis vt per te efficiamur caſti & humiles: charitate & ſapientia feruentes & fulgentes: pœnitentes & noſtra ac aliorum peccata plangentes: ex charitate & humilitate promptè obedientes: & in omni virtute & gratia candidi & ſublimes.

7 Aue MARIA fructuoſiſſima virgo *Cuius*

*emiſsiones* ſunt etiam *Myrrha & aloe cum omnibus* primis vnguentis: quia tu ex te mittis virtutes per hæc vnguenta ſignificatas. Porro per *Myrrham* (quæ eſt arbor habens in altitudinem cubitos quinque ſpinę ſimiles, cuius gutta viridis & amara dum ſponte emanat eſt pretioſior, ea quæ cortice læſo elicitur) deſignat mortificationē carnis, quæ in principio ſentitur amara, ſed ſpe fructus æterni floreſcit: & pungit vt ſpina, ſed à vitiorum præſeruat putredinę: & tunc maximè Deo complacet, dum ſpontę tempore iuuentutis & ſanitatis aſſumitur. *Aloe* verò (quæ eſt arbor pretioſa, ſuauiſſimi odoris: cuius ſuccus eſt amariſſimus, ſed vnguentis plurimis congruus, & à putrefactione corpora præſeruans) ſignificat, pium luctum & contritionem: qua ſancti viri vitæ huius vitia & ærumnas deplangunt: & optimus odor Chriſti ſunt vndique: atque ſeipſos & alios preſeruans ab interiore corruptione, ſua oratione & conuerſatione ſancta.

Denique *per omnia vnguenta prima* ſeu nobiliora: intelligũtur, contemplationes altiſſimarum virtutum, vt fidei, ſpei, charitatis, & donorum.

Eya ora pro nobis & impetra veram carnis mortificationem, pium & deuotum luctum cum oratione & conuerſatione ſancta, & fidei, ſpei ac charitatis ſtudioſam exercitationem.

8 Aue MARIA virgo benedicta quæ es *fons hortorum*, quoniam particulares animas tibi deuotorum fidelium tuis exemplis & conſolationibus ac internis viſitationibus





irrigas perfundis, & fœcundas, ſicut fons hortos.

Eya nos ſemper viſita, irriga, perfunde & fœcunda.

9 Aue MARIA virgo ſacratiſſima quæ es *Puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de* Libano: quia per te ex filio tuo (qui eſt puteus & abyſſus imperſcrutabilis ſupernorum chariſmatum vitam gratiæ conferentium & vitam gloriæ promerentium) fideles vniuerſi hauriunt aquas viuentes, gratiarum & virtutum ex vena fontana, inceſſanter riuos diffundente: quæ fluunt impetu de libano, id eſt, citò & copiosè emanant à capite Chriſto monte altiſſimo (in quo eſt gratia capitis deriuans & ſe diffundens in membra) & à ſpiritu ſancto, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, per gratiam gratificantem habitualem & puritatem internam ac candidationem mentalem.

Eya ora pro nobis vt per tę iugiter hauriamus de filio tuo aquas viuentes gratiarum virtutum, & puritatis internæ, quæ ſaliant & faciant nos ſalire in vitam æternam.

10 Aue MARIA compatientiſſima virgo, quam dilectiſſimus filius & ſponſus tuus permiſit in ſeculo iſto *vento Aquilonis* duriſſimo penetrari & repleri, hoc eſt multipliciter contriſtari, affligi & compati de exceſſibus hominum: de tui filij & aliorum ſanctorum martyriis & tormentis amariſſimis, & pręſertim in triduo ſepulturæ. Sed in hora reſurrectionis & apparitionis eiuſdem filij tui, receſſit a te *Aquilo* & mœror, & ſucceſſit ac venit *Auſter* dulciſſimus, qui te

dulciflué lætificauit: ita quod tua *aromata* diffuderunt ſe vndiq; & virtutes tuæ ac merita abundarunt, innotuerunt, ac fragrauerunt. Nã tu filio tuo intentiſſimè condolẽdo, innumeris peccatoribus gratiam & ſalutem promeruiſti, quos Deus per te conuertere ac ſaluare, ab æterno decreuit.

Eya ora pro nobis & impetra *vt ſurgat* & recedat à nobis *Aquilo*, id eſt, dæmon cum machinationibus ſuis, & grauis tentatio, torpor quoque pigritiæ & frigus inuidiæ: *& veniat* atque ſuccedat *Auſter* ventus dulcis & calidus, id eſt ſpiritusſanctus cum donis ſuis: qui gratiã & charitate & proſperitate ac conſolatione ſpirituali *perficit* hortũ animæ noſtræ: ſicque *fluant aromata* illius, id eſt virtutes ac merita abundẽt & ſeſe diffundant: quæ ſine ope, affluentia & actuali monitione ſpiritusſancti à nobis fluere non poſſunt.

11 Aue MARIA ſacratiſſima virgo, quæ cum didiciſſes ab Angelo vnigenitum patris ex te incarnandum, hoc ipſum humillimè & feruẽtiſſimè cupiens, dicere potuiſti, & æquiualenter dixiſti: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructus pomorum ſuorum*, id eſt, deſcendat in vterum meum & ex puriſſimis ſanguinibus meis corpus aſſumat humanũ: quod ex eiſdem puris ſanguinibus in eodem vtero tanquam ex *pomellis* dulciſſimis nutriatur: vterus enim tuus verè fuit hortus pulcherrimus, omni caſtitate & ſobrietate decoratiſſimus, virginea puritate redolentiſſimus, ex conceptione verbi æterni & vnigeniti filij Dei (qui ex corde patris in æternitate eſt generatus) in eo facta ineffabiliter magnificatus: hortus mũdiſſimæ voluptatis, paradiſiacæ amœnitatis: ex quo nobis emanauit fluuius glorioſus, irrigans vniuerſam terram: flos campi pulcherrimus: & fructus æternæ ſalutis, IESVS Chriſtus, qui in eo nouem menſibus requieuit: Propterea hunc tam Deificatum vterum, omnes electi deuotiſſimè venerantur.





Eya ora pro nobis & impetra vt hunc aduentum filij Dei in tuum vterum per incarnationis myſterium credentes & adorantes, veneneremur: ſicque dignetur idem filius dilectus animarum noſtrarum ſponſus, venire *in hortum noſtrum*, hoc eſt in partem ſuperiorem animæ, in qua ſummæ Trinitatis imago relucet: intellectum radio ſuæ ſapientiæ illuſtrando, & luce contemplationis perfundendo: voluntatem ab omni malitia, inordinato affectu, improboq; ſui amore purgando, & in ſummi boni amore accendendo, conſeruando & perficiendo: memoriamque à ſuis diſtractionibus recolligendo, & in ſe ſemper confortando ac ſtabiliendo. Sicque totum hunc hortum noſtrum occupet, poſſideat, inhabitet, purget, fœcundet omnique flore ac fructu gratiæ & virtutum, donorum ac beatitudinum adimpleat, quatenus ipſe *comedat fructum pomorum ſuorum*, id eſt, nobiſcum cœnet, noſtroſque bonos actus piè acceptet & delectetur in eis & veſcatur ex ipſis. Etenim eius poma, ſunt virtutes ac dona nobis ab eo collata: quorum fructus eſt actio eorum virtuoſa, ſeu delectatio bona actioni annexa.

12 Aue MARIA gratioſiſſima ſoror ſponſa

& mater Chriſti cœleſtis ſponſi, qui à te inuitatus, vice verſa te inuitauit dicens, *veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*: veni in arcana ac opulentiam mentis meæ & contemplare ibi quàm ineffabilis extiterit beatitudo, perfectio, gratia mentis meæ humanæ, quæ ab initio ſuæ creationis fuit perfectè beata & verbo æterno perſonaliter vnita, veni in Deitatis meæ floridiſſimam amœnitatem & contemplationem, veni in paradiſum cœleſtem contemplando gaudia ſupernorum ciuium & præcipuè meæ glorificatæ humanitatis. Denique veni in hortum meum: id eſt, militantem Eccleſiam frequenter ingredere, ſtatum eius conſiderando, & pro ea rogando: eamque tanquã potentiſſima aduocata tuendo ac adiuuando in omnibus.

B *Meſſui enim Myrrham meam cum aromatibus meis*, id eſt, pro amaritudinibus afflictionum & paſſionis meæ iam ſum glorificatus corpore, & præmium accidentale ſortitus: manifeſtatuſque mundo & clarificatus. Iam fructum amariſſimæ paſſionis meæ, & merita actuum meorum virtuoſorum ex charitatis dulcedine prouenientium collegi & poſui in theſauro ſapientiæ meæ, in inceſſabili memoria mea: vt ex iſto theſauro (videlicet ex meritis paſſionis & afflictionum mearum) communicem & ſuccurram omnibus fidelibus meis: gratiam illis ac ſalutem conferendo.

C *Comedi fauum meum cum melle meo*: dum in cœna vltima proprium corpus meum diuinitati conuinctum ſub ſpecie ſacramenti ſuſcepi: & manducaui: quod feci *cum melle meo*,





id eſt, cum dilectionis & deuotionis pinguedine ac dulcore ſuauiſſimo: & contemplatione dulciſſima meæ Deitatis: atque aſſumptæ humanitatis, myſteriorumque eius refeci meipſum.

*Bibi vinum meum cum lacte meo*, dum ſanguinem proprium ſub ſpecie vini in cœna bibi *cum lacte* omnimodæ puritatis & innocentiæ meæ: & refeci animam meam operatione iuſtitiæ meæ (quæ per vinum ſignatur) ac pietatis & munditiæ meæ, per lac expreſſæ, Euangelicamque doctrinam meam perſonaliter tam in præceptorum quàm in conſiliorum obſeruatione, deguſtaui impleui & digeſſi: incepi enim facere & poſtea dicere. *Et hoc vinum bibi cum lacte meo*, id eſt cum propria innocentia Pro quibus omnibus accepi in patria præmium accidentale: & omnium electorum hominum conuerſionem ad me, promerui. D

*Comedite* deuotè meditando, & maſticando, *amici mei*, qui impletis, & facitis præcepta mea, *& bibite* ſuauiter guſtando ſpirituales cibos & potus quos vobis preparaui, repoſui, & præbeo. Reficite animas veſtras gratiis, & chariſmatibus, doctrinis atque exemplis meis, ac precedentium ſanctorum, & totius ſacræ ſcripturæ. Reficite etiam vos Eccleſiaſticis ſacramentis: potiſſimum ſacratiſſimi corporis & ſanguinis mei communione. *Comedite & bibite* contemplationem veritatis: dilectionem bonitatis, conſolationem ſpiritualem, gratiæ & virtutum infuſionem, & augmentum interioremque profectum. E

*Et inebriamini chariſsimi* , id eſt, ô vos contemplatiui, & perfecti prelati, ac viri heroici (qui non ſolum eſtis mei amici, ſed etiam chariſſimi, & ſecretiſſimi mei filij, atque conſiliarij & velut ſecretarij præfatis refectionibus, non mediocriter, vt cæteri, ſed abundantiſſimè veſcamini: ita vt præ charitatis ardore, præ diuinarum illuminationum inundatione, ex internæ conſolationis plenitudine, ſpiritualiter ebrij ſitis, & de veſtra exuberantia aliis eructetis, communicetis, & ſuperinfundatis.

*Cœleſtis ſponſus cuius natura eſt charitas & bonitas ſui ipſius diffuſiua, & qui eſſentialiter amor eſt, chariſsimis ſuis per lympidiſsimam illuſtrationem oſtenditſe, & ſuas eis demonſtrat diuitias prout in hac vita fieri poteſt: qui mox tam ſuperdelitioſiſsimi obiecti amabilitate totaliter accenduntur, validiſsimè attrahuntur, & in ſpiritu feruoris vehementiſsime vniuntur cum Deo: & introducuntur ab ipſo in ſuæ infinitatis oceanum: ſicque rapiuntur in diuitias gloriæ ſponſi, & igne amoris immenſi liqueſiunt, ac defluunt à ſeipſis & in ſuperdulciſsimo ſponſo obdormiunt: quem quò clariùs contemplantur, eò profundiùs ac intenſiùs paruipendunt ac aſpernantur ſeipſos: hi ſunt ſecretiſsimi filij Dei & conſiliarij, qui myſticæ Theologiæ intuitum atque vnionem experiuntur.*

*Comedite* etiam *& bibite* amici: nunc fructum ac meritum conuerſationis ac paſſionis meæ in mundo per deuotam eius memoriam & feruentem imitationem: *& inebriamini* chariſſimi mecum in cœlo de deitatis meæ plena fruitione, cũ ſobrietate interna: & potemini torrẽte voluptatis meæ, cũ iucũda ſecuritate.



Eya ô præclariſſima verbi æterni ſponſa & mater ora pro nobis, & per has ſuauiſſimas eiuſdem ſponſi voces & imitationes, impetra nobis vt & ipſe iubeat nos accedere & venire faciat *in hortum ſuum*, id eſt, in cor ſuum, ita vt per contemplationem & feruentem affectum nos ſibi intimè coniungat, ideo namque mucrone diræ lanceæ permiſit & voluit latus ſuum aperiri, vt nos per illud, in cor eius ingrederemur. Iubeat etiam nos ingredi *in hortum ſuum* paradiſum cœleſtem ſeu triumphantem Eccleſiam, nunc per fidem, ſpem, cõtemplationẽ & appetitionem feruentem: & tandem per clarã ſpeciem & præſentiam.

Communicet & ſuccurrat nobis ex theſauro meritorum ſuæ vitæ & paſſionis, quæ iam meſſuit & collegit: & inde gratiam & gloriam ſempiternam nobis conferat.

Det nobis cum ipſo *comedere fauum* corporis ſui in Euchariſtia, cum *melle* ac dulcore charitatis & deuotionis: & refici contemplatione ſuæ Deitatis & humanitatis.

Det etiã nobis bibere *vinum* ſui ſanguinis cũ puritate cordis & innocentia operis: & implere præcepta eius & cõſilia Euãgelica cum ſynceritate intentionis & puri amoris.

Aſcribat nos inter *amicos ſuos* eius voluntatem facientes, & faciat nos *comedere* & bibere, contemplationem veritatis, & dilectionem ac guſtum ſuæ bonitatis.

Atque vtinam faciat nos peruenire ad gradum & conſortium ſuorum *chariſsimorum* quos torrẽte voluptatis ſuæ potare, & ab vbertate domus ſuæ inebriare dignatur.

*Coronula*

*Coronula quarta Coronæ duodecimæ.*

1 Aue MARIA virgo ſanctiſſima, quæ præeminenter in hac vita dicere potuiſti, *Ego dormio & cor meum vigilat:* quia tu contemplatiuam vitam excellentiſſimè ducens, ab exteriori tumultu omnique inordinato ſtrepitu, & cura ſuperflua, atque inquietudine culpæ penitus abſtinens, dormiuiſti, & ſopita fuiſti: & interim vigilantiſſima mente & corde Deo vacaſti: pro Eccleſia exoraſti: & actibus virtutum perfectiſſimè fuiſti intenta. Denique in ſomno tuo corporali, cor tuum peruigil fuit: & ex aſſidua aſſuefactione inſiſtendi perfectè in diuinis, ex ſapientia tibi infuſa, & ex ardentiſſima charitate, & contemplatione in vigiliis, fuiſti etiam tempore ſomni pene aut prorſus continuè corde vigil, & Deo coniuncta. Tuus etiam filius dilectus cœleſtis ſponſus *dormit & corde vigilat:* quando ad dexteram patris glorificatus, quieſcens, noſtras preces ad tempus exaudire differt, vel impiorum ſcelera ad tempus punire diſſimulat: & tamen interim *cor eius vigilat,* quia non ceſſat vniuerſorum vitam inſpicere, nec curam gregis ſui vnquã derelinquit: ſed id eò fidelium ſuorum preces differt exaudire, vt eorum fidelitatem, patientiam, & perſeuerantiam probet, & tempore opportuno plenius illos exaudiat: ideò etiam prauorum mores & vitia tolerat, vt conuertantur: aut ſi id neglexerunt, iuſtior appareat eorum damnatio: pietaſque diuina glorioſior.

Eya ora pro nobis, & impetra vt & nos ſic





*dormiamus quatenus mente vigilemus:* ſic ſobriè & deuotè viuamus, tam ardenter in diuinis nos iugiter occupemus, vt etiã corpore dormiente cor noſtrum ad Deum vigilet, & quaſi in vigilia pſallat, oret: & meditetur.

Credamus etiam & conſideremus quòd ſponſus noſter cœleſtis, quantumcunque videatur dormire: differendo nos exaudire, aut permittendo ab impiis vexari: ſemper tamen corde vigilet ſuper nos, & nunquam ſit immemor noſtri: ſed ſemper intentus & ad auxiliandum nobis paratus: atque ex hac fide & conſideratione nunquam à ſpe deficiamus, nunquam frangamur aduerſis, nec puſillanimes efficiamur.

2 Aue MARIA præcordialiſſima virgo Dei genitrix quæ iugiter audiſti *vocem dilecti* tui ſponſi cœleſtis ſpiritualiter *pulſantis* ad ianuam puriſſimæ tuæ mentis, téque ad indeſinentem in omni ſapientia & virtute profectum excitantis & inflammantis dicendo: *Aperi mihi* ianuam mentis *ſoror mea* chariſſima: *Amica mea* fideliſſima ac familiariſſima: *Columba mea* pudiciſſima & ſimpliciſſima: *immaculata mea*, quæ nec minimè culpæ maculam vnquã incurriſti: quia *caput meum plenum eſt rore*, id eſt, verbum æternum (quod eſt caput meæ aſſumptæ humanitatis) cauſaliter *plenum eſt rore* totius gratiæ, conſolationis ac refrigerij, ab ipſo enim omne bonũ procedit. *Et cincini mei* ſeu collectiones capillorum in ſeriem vnam, id eſt, ordinatiſſimæ cogitationes & affectiones mentis meæ, *pleni ſunt guttis noctium*, id eſt, ſtillicidiis gratiarum communicabilium ſeu influxarum in

homines viatores: qui per noctes ſignantur, quia in tenebris huius vitæ adhùc ſedent. Et ideò paratiſſimus ſum de vniuerſa plenitudine gratiæ & gloriæ meæ tibi præ omnibus liberaliſſimè & affectuoſiſſimè communicare.

Eya ora pro nobis, & impetra vt idem cœleſtis ſponſus nos etiam iiſdem dulciſſimis & affectuoſiſſimis verbis inuitet, dicẽs, *Aperi mihi* ianuam mentis tuæ *Soror mea*, quia mihi cohæres: *amica mea*, quia non ſeruili, ſed filiali ſeruis timore & charitate: *Columba mea*, quæ ad me duntaxat tuum moues aſpectum: *Immaculata mea*, quia in ſanctitate & iuſtitia mihi obſequeris: quia *caput meum plenum eſt rore* cœli & benedictione cœleſti, quem tibi communicare paratus ſum.

3 Aue MARIA obedientiſſima virgo, quæ ad præfatam vocem & inuitationem ſponſi cœleſtis libentiſſimè & humillimè conſenſiſti dicens, *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* quaſi diceres, abſit à me aliter agere, quàm tu ô ſponſe, hortaris. Nam *exui* me propria mea voluntate, & omni inobedientiæ prorſus renũciaui, & renunciare ſemper propono: & ideò præſtò ſum tibi obedire, & aperire. *Laui pedes* & affectus *meos* non ab immunditia culpæ (à qua ſemper expers & immunis fui) ſed à minoratione perfectionis, proficiendo aſſiduè in feruore ſanctorum affectuum. *Quomodo inquinabo illos* per inobedientiam & tuæ voluntatis tranſgreſſionem? Certè hoc non decet, neque vnquam volo facere.

Eya ora pro nobis, vt & nos poſtquam ſemel





veterem hominẽ cum ſuis actibus *exuimus*, & propriæ voluntati ac inobediẽtiæ per ſolẽnem profeſſionẽ renunciauimus: nunquã illa reſumamus, ſed prõptiſſimè in omnibus tibi obediamus, & cor noſtrũ tibi aperiamus. Impetra etiã vt poſtquã per contritionẽ *purgauimus* affectus noſtros ab omni rebellione, & carnalitate interiorique fornicatione, nũquã poſtea per recidiuũ in peccatũ *illas inquinemus*.

4 Aue MARIA caſtiſſima & fœcundiſſima virgo & mater: Cuius *dilectus miſit manum ſuam per foramen:* quia non virili ſemine ſed myſtico ſpiramine, virtute Altiſſimi obũbrante, illum concepiſti: *& venter tuus intremuit ad tactum eius*, quia ex ſpirituali & cauſali contactu omnipotentiæ ſuæ, ipſum vnigenitum Patris concepiſti, cum gaudio cordis exuberantiſſimo, redũdante in corpus tuum.

Eya ora pro nobis, vt & dilectus noſter ſponſus cœleſtis *manum ſuam nobis mittat per foramen*, id eſt, operationem ac opem poteſtatis ſuæ ſecreta inſpiratione nobis infundat: & ſecreta viſitatione nos tangat, inſtruat, accendat, & animet, adiiciens gratiam ſuper gratiam: aut etiam paternaliter nos caſtiget peccantes: & *venter noſter intremiſcat ad tactum eius*, hoc eſt, ex illuminatione & inflammatione diuinæ poteſtatis in nobis facta, mens noſtra cum reuerentia & filiali pauore admiretur ſuæ diuinæ maieſtatis immenſitatem: atque interminabilem plenitudinem ſuæ perfectionis & gloriæ.

5 Aue MARIA diligentiſſima & feruẽtiſſima virgo: quæ poſtquã vnigenitũ Dei in tuo vtero cõcepiſti: ſurrexiſti deuotiſſimè & humil-

limè regratiando pro tam immenſo beneficio tibi exhibito, vt aperires dilecto tuo, id eſt, vt in thalamum mentis tuæ illum introduceres, per ardentiorem amplexum, & per totius gratiæ ineffabile incrementum: ac de cætero ſemper paratior eſſes ad omnem obedientiam ſanctam & deuotiſſimam ſeruitutem ipſius: tantò ampliùs te in cunctis humilians, quantò maior fuiſti effecta. Concepto etiam vnigenito *exurgens abiſti in montana* ad Elizabeth, *vt* mentem eius & cor infantuli ipſius nõdum nati, *aperires filio tuo*, ita vt cognoſceretur ab eis.

Eya ora pro nobis, vt percepta interiori viſitatione & inſpiratione ſponſi cœleſtis, *ſurgamus*, id eſt, ad obedientiam nos accingamus: & à quiete contemplationis ad opus nobis iniunctum procedamus: ſicque *aperiamus dilecto*, id eſt, obediendo & impedimenta diuinæ viſitationis remouẽdo, paremus mẽtem gratioſo eius ingreſſui: & ad amoroſiorem eius amplexum, ad clariorem ſuæ ſapientiæ contemplationem: & ad validiorem ſuæ bonitatis amorem & affectum, nos præparemus & aſpiremus.

6 Aue MARIA puriſſima & patientiſſima virgo: *Cuius manus diſtillauerunt myrrham*: quia operatio tua & conuerſatio fuit ſemper, & maximè poſt conceptum Filij, totaliter ſpiritualis, & mortificatiua ac aſpernatiua omnis delectationis carnalis. *Et digiti tui pleni fuerunt myrrha* probatiſſima: quoniam amaritudinem paſſionis Filij tui indefinẽter tuliſti in corde tuo, cum diſcretione & imitatione, ac regratiatione eximia: inſuper cor-





pus tuum diſcretiſſimè pertractaſti in exercitiis auſteris & virtuoſis.

Eya ora pro nobis, vt *manus noſtræ diſtillent myrrham*. i. potẽtiæ noſtræ operatiuæ ſeu actiones virtutum deſuper nobis præſtitarũ aſſumant, exerceant & doceãt mortificationem carnis ſalubrem, amaram compunctionem, & dura pœnitentiæ opera: quatenus ex percepta Dei viſitatione gratioſa, mox copioſè procedamus ad crucifixionem & edomationẽ carnis & vitiorum ac concupiſcentiarum eius. Impetra etiam *vt digiti noſtri pleni ſint myrrha probatiſſima*, hoc eſt, vt per diſcretionem & ſapientialem diſcretionem ac rectam intentionem, rationabile prorſus & Deo præcipuè placitum ſit obſequium noſtrũ, in carnis mortificatione, in refrænatione appetitus ſenſitiui, & vitiorum ac concupiſcentiarum: in cordis contritione & abnegatione propriæ voluntatis: in conſideratione & ſequela Dominicæ paſſionis: ſic vt intuitu, amore & imitatione Chriſti dilecti ſponſi, per diſcretionẽ & rectam intentionẽ ac vitæ noſtræ examinationẽ, caſtigemus corpus noſtrum & in ſpiritus ſeruitutẽ redigamus, & abnegemus noſmetipſos: atq; iugo obedientiæ plenè nos ſubiiciam⁹, ſicut ipſe pro nobis fact⁹ eſt obediẽs patri vſq; ad crucis patibulũ.

7 Aue MARIA diligentiſſima & promptiſſima virgo: *Quæ peſſulum oſtij tui aperuiſti dilecto tuo*, id eſt, aditum cordis tui plenè atq; totaliter ei aperuiſti: quia non ſolùm vniuerſas, etiam minimas culpas prorſus vitaſti: ſed etiam actus Filio tuo placentiſſimos coram eo inceſſanter cũ omni feruore exercuiſti:

ita quod cor tuum fuit ei iugiter reſeratum, nunquam clauſum:

Eya ora pro nobis, vt & nos *peſſulum oſtij noſtri* aperiamus dilecto ſponſo cœleſti, hoc eſt, remoueamus à diſpoſitione & capacitate cordis noſtri (quæ eſt eius oſtium) omne obſtaculũ diuinæ ingreſſionis & viſitationis: non ſolùm vitando peccata grauiora (quæ ſunt velut repagula & vectes oſtij) ſed etiã leuiora & quicquid gratiam vultus ſponſi poteſt offendere: vt ſic aditum cordis noſtri plenè atque totaliter ei aperiamus, & infernali adultero claudamus.

8 Aue MARIA virgo mitiſſima: à qua *dilectus aliquando declinauit & tranſiit*: quia nõnunquã te chariſſimam ſuã matrem permiſit dirè affligi, & de ſua paſſione triſtari: corporaliter quoq; interdum receſſit à te, ſicut dum duodecim annorum exiſtens te inſcia remanſit in templo: & quando tu & fratres ſeu affines eius quærebatis alloqui eum, nec ad votum poteratis: quando etiam inſtante paſſione, receſſit à te tibi valedicens.

Eya ora pro nobis, vt quando *declinauerit & tranſierit à nobis ſponſus cœleſtis*, id eſt, quãdo inchoatam viſitationem, conſolationem & affluentiam, guſtum & alacritatem ſenſibilem ſubtraxerit ad tempus, id patiẽter ſuſtineamus: nec à fide, ſpe & charitate eius deficiamus: ſed ſine hæſitatione in ipſum, etiam ſi nos occiderit, ſperantes, inſtantiùs & feruentiùs eũ quæramus. Ad hoc enim nos præueniens & ſe nobis offerens, protinùs ſe abſcondit & quaſi declinat & tranſit: vt ardentiùs quæratur, & copioſiùs inueniatur.

9 Aue



9 Aue MARIA deuotiſſima virgo *cuius anima* liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt: quia cum ſumma auiditate, deuotiſſima affectione, & ardentiſſimæ charitatis liquefactione, prædicationes & cætera verba dilectiſſimi filij tui audiuiſti, potiſſimè autem liquefacta eſt anima tua, quando in cruce dixit, tibi, Mulier ecce filius tuus.

Eya ora pro nobis, *vt anima noſtra* ad vocem ſponſi *liqueſiat*: ſic vt audita eius exhortatione & inſpiratione, mox anima noſtra flumina dilectionis ſpiritaliter liqueſiat, & omni duritia eius ſublata, in fletum cõpunctionis, compaſſionis, complacentiæ abundantis lætitiæ reſoluatur: & inuitetur ad deſiderandum, quærendum, obtinendum, intuendum, deguſtandúmque ipſum ſponſum pleniùs & clariùs quàm ante: impetra etiam vt eloquia ſponſi dulciſſimè ſonent in auribus noſtris: & eius præconia atq; quicquid ad eum ſpectat, vehementer nos inflammet.

10 Aue MARIA compatientiſſima virgo: quæ *dilectum quæſiuiſti* quando in tẽplo remãſit, *& non ſtatim inueniſti eum*, ſed triduò in eius requiſitione gemens laboraſti: *vocaſti* eum dum foris ſtans cum fratribus ſeu cognatis eius, quærebas alloqui eum turbis prædicantem: & tunc *non reſpondit tibi*. Inuenerunt etiã te cuſtodes *qui circumeunt ciuitatem & percuſſerunt ac vulnerauerunt te, tulerúntque pallium tuum cuſtodes murorum*: quia prælati & maiores Iudæorum verbis & factis ſuis te grauiſſimè afflixerunt, ita quod gladius doloris pertrãſiit cor tuum: & pallium conſolationis, quo ex filij tui præſentia & auditu operiri ſolebas

 abſtu

abſtulerunt, & verterunt tibi in deſolationem extremam.

Eya ora pro nobis, vt non ægrè & impatienter feramus, ſi dum quæſiuerimus ſponſum clariùs intueri, ſuauiùs deguſtare, & ſtabiliùs amplexari: *Non inueniamus* eum taliter & tàm celeriter, vt cõcupiuerimus: etſi poſtquam *vocauerimus* ac feruenter rogauerimus, vt ita ſe nobis demonſtret: *non reſpondeat nobis*, id eſt, non exaudiat, nec reale reſponſum donet nobis iuxta deſiderium noſtrum.

Impetra etiam *vt cuſtodes qui circumeunt ciuitatem*, id eſt, Prælati ac Prædicatores, Eccleſiam protegentes, *nos percutiant* iuſtè & charitatiuè corripiendo, & inducendo corda noſtra ad compunctionem & erubeſcentiam de peccatis noſtris, & ad caſtigandum nos per opera ſatisfactionis: qui etiam *nos vulnerent* & perforent diuini amoris iaculis, ad charitatem vehementer nos trahentes. Atque *pallium noſtrum nobis tollant* cuſtodes murorum, hoc eſt, rectores Eccleſiarum auferant à nobis priſtinæ conuerſationis imperfectionem, ignorantiæ noſtræ velamen, ac mœroris noſtri operimentum. Quod etiam perficere in nõbis dignentur *Angeli* ſancti qui Eccleſiam circumeunt ſua protectione, & muros eius ſeu Prælatos cuſtodiunt.

11 Aue MARIA virgo amantiſſima & feruentiſſima, quæ cúm Iudæi tibi crudeliter abſtuliſſent amantiſſimum Filium in paſſione dicere potuiſti *filiabus Hieruſalem. Adiuro vos ſi inueneritis dilectum meum* à Iudæis captũ, ligatum & abductum, *vt annuncietis ei quia*





*amore langueo*, quoniam eum videre & inuenire non valeo. Quæ verba etiam nobis *Hieruſalem*, id eſt, Eccleſiæ *filijs* conuenienter loqueris, dicens, *Adiuro vos ſi inueneritis dilectum Filium meum* per fidẽ, & charitatem credendo & tendendo in ipſum, *vt annuntietis* & coram ipſo deuotè recolatis qualiter eius amore languida fui in hoc mundo præſertim in paſſione, & poſt aſcenſionem ipſius: quando aculeus amoris eius mentem meam medulitus penetrabat, affectum tranſuerberabat, & penetralia ſic inflammabat ac ebullire & erumpere faciebat, vt deſideriorum ſuorum, intimarumque commotionum indicia cohibere vel diſſimulare non poſſet quin in exteriores geſtus & effectus erumperent & ſeſe manifeſtarent.

Eya ora pro nobis vt deuotè coram ſponſo recolentes quanto eius amore in hac vita languebas, gratias ei tecum agamus, & huius languoris merito, impetremus etiam *amoris languorem*: quo non alicuius rei variabilis & caducæ, nõ puræ alicuius creaturæ, ſed ipſius ſolius amore ſic langueamus, vt veraciter dicere poſſimus animabus deuotis: *Adiuro vos filiæ Hieruſalem*, id eſt, animæ virtuoſę Chriſti ſponſę, *ſi inueneritis* per deuotionem obtatam *dilectũ meum* Chriſtum (qui omnium quidem fidelium & feruentium animarũ ſponſus eſt & dilectus, ſed quælibet amans anima, illum ſibi appropriat, non alios excludendo: ſed cũ tanquã ſui ſolius ſit, diligendo) Si ergo vos ſpecialẽ aliquã deuotionẽ, contẽplationem, aut viſitationem ab eo ſuſceperitis, & ei gratioſè cõiunctæ fueritis, *Adiuro* & obſecro *vt*

*annuntietis ei, quia amore eius langueo*.i. vt feruenter pro me oretis:profitendo in orationibus veſtris deſideriū meū ad eundē ſponſum: quod adeò magnū eſt, vt præ vehemētia ſuæ deſideratæ pręſentiæ valdè affligar, & lāgueā: & quia ipſe, qui totius puri amoris magiſter eſt, optimè nouit quam grauis & afflictiuus ſit languor amoris:quam moleſta ſit ei optata amici abſentia:ideò exorate viſcera miſericordiæ eius, quatenùs ſuę gratioſæ præſentiæ copiā concupitā mihi miſeræ & infirmæ, ſine ampliori dilatione exhibere dignetur.

12 Aue MARIA virgo ſpecioſiſſima: cui tam feruenti in amore dilecti, tam ſpirituali & ſpecioſæ, quilibet noſtrū præ admiratione & pro iuſtructione habenda, dicere poteſt, & debet, *Qualis eſt dilectus ſponſus tuus tibi tam charus, & ex dilecto procedens*.i.ex patre æterno ſuper omnia creata incōparabiliter diligendo, æternaliter genitus: *ô pulcherrima mulierū*: præ cunctis mulieribus formoſa, fœcunda, ſancta & electa: quæ appellaris mulier ratione fœcunditatis virgineæ:& quia in te actibus ſanctis abundas:& etiam alios tuis verbis, exēplis, meritis & precibus conuertis. *Qualis inquam eſt* quamque pulcher, elegans, amabilis & excellens, *dilectus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos*, vt ſi inueniremus eum, annunciaremus ei quòd tam ardentiſſimè ipſum diligis, vt amore eius langueas.

Eya digneris nobis inſinuare & manifeſtare qualitatem, dignitatem, pulchritudinem & excellentiam dilecti tui, vt & nos in eius amorem ſuccendamur.

*Ceronula quinta & vltima Coronæ duodecimæ.*





1 Aue MARIA deuotiſſima virgo, cuius *dilectus* Filius eſt *candidus & rubicundus, electus ex millibus, candidus* quidē quia ſecundū ſuam diuinam naturā eſt lux, puritas, pulchritudo immenſa, ſplendor paternæ gloriæ, figura eius ſubſtantiæ, & candor lucis æternæ, *rubicundus* verò eſt ſecundū humanā naturā, quā te aſſumpſit, vtpote ſpecioſus forma præ filiis hominum, agnus ſine macula, qui etiā in paſſione ſua proprij cruoris rubore perfuſus, factus eſt rubicundus. Electus autē eſt *ex millibus*.i. præ vniuerſis & ſingulis: quia ſecundū naturā aſſumptam prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute: de quo in Iſaia, Pater æternus dicit, Ecce puer meus quem elegi, electus meus, complacuit ſibi, in illo anima mea.

Eya ora pro nobis tantum ac talem dilectum tuum, vt ſuæ diuinitatis candore & lumine, nos à peccatis omnibus abluat & abſoluat, *candidóſque* per innocentiam faciat, & ſuæ humanitatis & paſſionis merito, nos humilitate, patientia, charitate, cæteríſque virtutibus exornet, *& rubicundos* faciat: atque nos ipſum præ creatis omnibus eligentes, amantes, deſiderantes & quærentes, dignetur electorum ſeruorum numero aſcribere.

2 Aue MARIA pretioſiſſima Dei mater, cuius *dilecti* Filij *caput eſt aurum optimum*: quia diuinitas (quæ eſt caput Chriſti) eſt præſtantiſſimum entium, cuius reſpectu omne creatum eſt vile ac modicum, ſicut aurum cætera metalla excedit. Mens etiam eius eſt pleniſſima omni ſapientia & charitate (quæ per aurum ſolent ſignificari.)

Eya ora pro nobis,vt diuinitatem tui filij ſupra omnia appretiemus,adoremus & prædicemus:&de plenitude ſuæ ſapientiæ&charitatis,accipiamus,quantùm ad noſtrã ſalutẽ expedit, copioſam ſapientiã & charitatẽ.

3 Aue MARIA virgo excellentiſſima, cuius filij comæ ſunt ſicut elatæ palmarum. id eſt,cæſaries capillorum ipſius aſſimilatur foliis palmarum non pendentibus deorſum ſed ſurſum eleuatis, propter quòd dicuntur *elatæ* ſeu eleuatæ. Sunt etiam *nigræ quaſi coruus*: id eſt proteſtãtur& oſtenduntgrandem vigorem & immarceſſibilem fortitudinem eſſe in eo : ſicut pilorum nigredo oſtendit fortitudinem ac iuuentutem eſſe in taliter capillato. *Comæ* autem ſponſi ſunt vel congeries cogitationum & affectionum eius : quæ ſemper fuerunt præclariſſimæ,ad Deum erectæ,ordinatæ,perfectæ, oſtendentes in ipſo eſſe vniuerſarum robur virtutum, & virilem ætatem : quæ de cætero nunquam marceſcet, vel *comæ ſponſi*, ſunt fideles omnes, qui per fidẽ & charitatẽ Chriſto vt capiti inhęrẽt:& quę ſurſum ſunt quærunt ac ſapiunt:ſicque de ſuæſalutis hoſtibus triumphantes:ſicut palmæ erigũtur in altũ:&ſua ſignificatione oſtẽdunt triumphũ.

Eya ora pro nobis,vt noſtræ cogitationes & affectiones ſint ad Deũ erectæ,ordinatę,& tentationũ victorioſæ:& vt ſimus *comæ* eiuſdẽ ſpõſi per fidem & dilectionem atque operationem ei adhærentes,ad ſuperna per deſiderium erecti,& de mundo,carne & diabolo triumphantes.

4 Aue MARIA lucidiſſima mater Dei





cuius filij. *Oculi ſunt ſicut colũbæ,ſuper riuos aquarum quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Oculi enim Deitatis ipſius, multò lucidiores ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias filiorum hominum,id eſt, intellectus & ſapientia Dei,ſeu reſpectus ſuæ pietatis,ſunt oculi ſimpliſſimi, puriſſimi, ab omni malitia & dolo alieniſſimi ac per hoc verè columbini *Oculi* etiam interiores, humanitatis eiuſdem ſponſi Chriſti : videlicet ratio & intellectus,ſeu ſapientia & ſcientia ipſius infuſa : omni vtique columbina ſimplicitate fuerunt perſplendidi,& omni ſynceritate pleniſſimi. Sed & *exteriores oculi* eius vino fuerunt pulchriores ac puriores : in quibus reſplenduit interna ſimplicitas columbina:& erant omni pudicitia ornati, non vagi,ſed venuſtiſſima compoſitione facti & diſpoſiti. Omnes autem hi oculi ſponſi,ſunt ſicut *columbæ* exiſtentes ſuper *riuos aquarum*, id eſt, iuxta aquas fluentes,vt pote iuxta abundantiam ſapientiæ,exuberantiam gratiæ,puritatem, opulentiam,& communicabilitatẽ quæ perfectiſſimè reperiuntur in oculis Deitatis ſponſi per identitatem & cauſalitatem in oculis intellectualibꝰ ſuæ humanitatis,per inhæſionem formalem:& in oculis eius corporalibus per reſultantiam & reſplendentiam, prout interior diſpoſitio cordis, relucet in vultu & oculis.

Hæ autem columbæ, *lotæ ſunt lacte*, id eſt albæ & candidæ inſtar lactis (tales enim ſunt gratioſiores.) Sic etiam vniuerſi *oculi Chriſti*, *ſunt* congruo ſibi candore perlucidi. *Et reſident iuxta fluenta pleniſſima*: iuxta quæ libenter ſe-

dent columbæ, quatenus in eis cernant imagines rapaciũ auiũ, ſicque ſuper aquas ſe proſpiciendo, euadãt vngues il..rũ: Sic interiores oculi animæ Chriſti, ſemper iuncti fuerunt pleniſſimæ exuberãtiæ, ſapiẽtiæ & opulentiæ increatæ: in qua cõſpiciebant cuncta futura, dæmonumq; & aliorũ hoſtiũ inſidias à quibus præcauebat ſuis electis. Poſſunt etiã per *oculos ſponſi*, intelligi boni prælati, doctores & prædicatores, qui innocentia & ſimplicitate *columbina*, pollentes vident & mõſtrant aliis neceſſaria ad ſalutem: *& ſedẽt ſuper riuos aquarum*, id eſt Eccleſiaſtica ſacramẽta ex quibus gratiarum munera ſibi & aliis hauriũt: *& ſunt* gratia baptiſmali, & pœnitentiæ virtute, ac virtutibus infuſis, à vitiis *emundati* tanquam *lacte* loti: *reſidentque iuxta fluenta pleniſſima*, id eſt vtrumque teſtamentum, & iuxta vniuerſos Catholicorũ doctorum libros, in quibus conſiderant verſutias dæmonum, impugnationeſque vitiorum, à quibus præcauent ſibi & aliis, ſecundum doctrinã ſcripturarum, in quibus iugiter occupantur: doniſque gratiæ & non propriis viribus imituntur.

Eya ora pro nobis, vt in oculis ſponſi omnia cernentes reuerenter, caſtè & timoratè ſemper ambulemus: & habeamus oculos interiores & exteriores columbina ſimplicitate caſtos & verecundos: ſuperfluẽta donorum ſpirituſſancti, & ſcripturarum reſidentes: & eorum virtute, inſidias hoſtium euadentes.

Impetra etiam vt prælati, & doctores Eccleſiæ ſint columbina ſimplicitate ornati ſuper riuos aquarum & gratiarum ſedentes, à vitiis emundati: & ſuper pleniſſima ſacratum

ſcriptu



ſcripturarum fluenta reſidentes & iugiter, ſe occupantes: quatenùs ſe & ſibi ſubditos ab omnibus hoſtibus & periculis protegant.

5 Aue MARIA ornatiſſima & elegantiſſima virgo Dei mater, cuius filij, *Genæ ſunt ſicut Areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis*, id eſt, paruæ areæ ſeminatæ & cõplantatæ aromaticis herbis à cultoribus aptis, quæ ſunt valdè pulchræ & delectabiles ad odorandum & videndũ. Nam memoria & prouidentia animæ Chriſti ſponſi, (*quæ ſunt genæ* eius *interiores*, inter quas conſideratio præſentium media eſt ſicut os inter genas corporeas) multiplici fulgore notitiæ radiabant, quia vniuerſa præterita præſentia & futura cognouit: & eius *humilitas* ac pudiciſſimus apparatus in exteriori conuerſatione, inſtar *gemnarũ* pulcherrimarũ fulgebãt & vidẽtes delectabãt.

Eya ora pro nobis & impetra ab eodẽ ſponſo, prudentẽ prouidentiã & conſiderationem præteritorũ & futurorũ: & humilem ac pudicam & honeſtã conuerſationem exteriorem.

6 Aue MARIA modeſtiſſima virgo Dei mater cuius filij *labia ſunt ſicut lilia diſtillantia myrrham primam*: quia interiora & exteriora labia ſponſi cunctis propoſuerunt & prædicauerunt ſaluberrima, candida, & ſuaueolentia documenta, ad refrænandum ſe à putrefactione culparum, & ad amplectendum mortificationem concupiſcentiarum, amaritudinem contritionis, & dolorem compaſſionis (quæ ſignantur per myrrham primam ſeu optimam) ſponte & non ex inciſione emanantem.

Eya ora pro nobis, v ex documentis ſponſi vitia

ſi vitia refrænemus, concupiſcentias carnis morti ficemus, & ad dolorem contritionis & compaſſionis excitemur: alioſque ad ſimilia exemplo & verbo inducamus.

7 Aue MARIA fructuoſiſsima Dei mater & virgo cuius filij & ſponſi *manus ſunt tornatiles*, id eſt celeriter mobiles, *aureæ plenæ hyacynthis*: quia ipſe expeditiſsimus & efficaciſſimus fuit ad peragenda pro libito opera virtuoſa ac miraculoſa (per manus ſignata) quæ fuerunt *aurea* id eſt, excellentiſsima atque ex charitate ardentiſſima emanantia: & inſtar auri ad videndum ſpecioſa & delectabilia, nihil culpæ admixtum habentia: erantque *plenæ hyacinthis*, id eſt, floribus vel gemmis ſic dictis, quia fiebant cum moribus venuſtiſſimis, ſapientialibus documentis, & ex rationabiliſſimis ac vtiliſſimis cauſis, videlicet, ad Dei patris honorem: ad ſupernaturalis doctrinæ ac totius mūdi conuerſionē & ſalutē.

Eya ora pro nobis, vt idem ſponſus faciat nos expeditos & efficaces ad peragenda ex charitate virtutum opera, ad Dei honorem & proximorum ſalutem.

8 Aue MARIA caſtiſſima Dei mater & virgo. cuius filij & ſponſi *venter eſt eburneus, diſtinctus ſaphyris*: quia eius mortalitas & naturalis quam aſſumpſit infirmitas, *ventris* nomine deſignata, fuit *eburnea* id eſt omni caſtitate & virtutum ſoliditate & conſtantia decorata (ebur enim eſt os Elephantis caſtiſſimi animalis, frigidi ſanguinis) fuit etiam *diſtincta ſaphyris* lapidibus pretioſis ętherei ſeu cœleſtis coloris, id eſt, cœleſtibus, ac ſupernis operibus venuſtata.

Eya



Eya ora pro nobis, vt dilectus ſponſus ſua caſtitate nos caſtos efficiat & in omni virtute conſtantes.

9 Aue MARIA firmiſſima & inuiolabilis virgo Dei mater: cuius filij & ſponſi *Crura ſunt columnæ marmoreæ, fundatæ* ſuper baſes aureas: quia myſteria quibus proceſſit ad redimendū genus humanum: ſunt ſicut columnæ marmoreæ fortes, firma & inuiolabilia: *fundata ſuper baſes aureas*, hoc eſt, ſuper altiſſimæ trinitatis ſapientiſſimum pijſſimumque conſilium & decretum, voluntatem ac omnipotentiam: quibus innituntur, & quorum iudicio ac virtute facta & impleta ſunt illa redemptionis noſtrę myſteria, ſcilicet incarnatio, natiuitas, conuerſatio in hoc mundo, paſſio, reſurrectio & aſcenſio Chriſti.

Eya ora pro nobis: vt hæc myſteria fide deuota, ex amoroſo affectu veneremur & cum gratiarum actione ſæpiùs recolamus: omniaque opera noſtra iuxta conſilium decretum & voluntatem Dei faciamus.

10 Aue MARIA ſpecioſiſſima virgo Dei mater: cuius filij & ſponſi *ſpecies eſt vt Libani*: quia ſicut mōs Libani arboribus valdè ſublimibus, & odoriferis eſt conſitus: ſic cœleſtis ſponſus eſt altiſſimus, odoriſque optimi, in quo omnes ſancti fundantur & ſuſtentantur. ipſe etiam eſt *electus vt cedri*, quæ ſunt arbores valdè excelſæ imputribiles odoriferæ & præclaræ: quia inter ſanctos omnes, ipſe præfulget & ſupereminet excellentia, immortalitate, odore & claritate.

Eya ora pro nobis: vt idem ſponſus ſpecie & pulchritudine ſua nobis intendat proſperè,

& ad

& ad ſe amandum & contemplandum, atque præ cæteris eligendum & amplectendum alliciat & attrahat.

11 Aue MARIA ſuauiſſima virgo Dei mater, cuius filij & ſponſi *Guttur eſt ſuauiſsimum*: quia & doctrina per guttur & voces eius deprompta fuit & eſt dulciſſima: & benignitas ipſius qua electos in via per gratiam, & in patria per gloriam ſibi incorporat (ſicut per guttur cibaria in aluum traijciuntur & incorporantur) eſt infinitæ dulcedinis.

Eya ora pro nobis, vt ſponſi eloquia ſint ſemper faucibus noſtris ſuper mel dulcia, & affectui noſtro grata: ſuaque benignitate nos ſibi per gratiam & gloriam incorporet.

12 Aue MARIA deſiderabiliſſima Dei mater & virgo: cuius filius & ſponſus eſt *totus deſiderabilis*: quia ſecundum deitatis ſuæ naturam, eſt penitùs infinitè amabilis appetibilis, delectabilis, & iucundus, vt pote bonitas pura ac incircũſcripta, ſubſtãtialiter & interminabiliter fœlix & glorioſa: imò & ipſa beatitudo immenſa: ſecundũ naturã quoq; aſſumptam in verbo æterno ſuppoſitam & ad eſſe perſonale eiuſdem verbi eleuatã, ipſe eſt incõparabiliter dignior, deſiderabilior & præſtantior vniuerſis & ſingulis puris creaturis. *Talis eſt dilectus tuus* (ô beatiſſima virgo) & ipſe *eſt amicus tuus* ac ſpõſus dulciſſimus, qui prior te dilexit, & tã gratiosè ac familiariter ſe tibi coniunxit, vnde meritò eum laudas & eius lãgues charitate: nec alibi, quam in eo potes quieſcere.

Eya ora pro nobis, vt ipſum dilectũ tuum ſuper omnia pretioſa, honeſta & delectabilia deſideremus, quæramus amplectamur: & quamuis ſit Dominus, Rex, creator & iudex noſter, charitatis tamen vehementia impellente & fiduciam præſtãte, ſentiamus & confidenter vocemus eum amicũ noſtrum fideliſſimum, beneuolẽtiſſimum & beneficentiſſimum, cum dignetur nobis dicere. Iam non dicam vos ſeruos ſed amicos.



*Incipit Corona tertiadecima.*
*Coronula prima.*

1 Aue MARIA intemeratiſſima virgo: quæ nobis à te *ô pulcherrima mulierum* quærentibus. *Quò abiit, & quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum*, id eſt ſimili intentione & affectu qua tu eum quæſiſti, quæremus: ſingulariter & veraciter dicere potes. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatũ, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.* ipſe enim vnigenitus patris à ſummo cœlo deſcendit in vterum tuum per incarnationis myſteriũ, & habitauit in medio eius: atque ex tua ſubſtantia aſſumpſit corpus humanum. Deſcendit etiam *ad areolam aromatum*, id eſt ad tuam mentem, à Spiritu ſancto diligentiſſimè cultam, ſeminatam & fœcundatam: omnium diuinorum fructuum fertilitate pleniſſimam, & ſuauiſſimis virtutum germinibus decoratam. Et quidem dilectus tuus priùs venit in tuam mentem quam in ventrem tuum, quia fide eum concepiſti: ſed veniendo in vẽtrem, venit quoque plenius in mentem, augendo in te inæſtimabiliter, gratiam virtutes dona & fructus. Venit inquam ad te *vt paſcatur in*

hortis

*hortis* tui intellectus & voluntatis,& in eorum ornamentis, id eſt,habitibus virtuoſis & operibus m eritoriis: *& lilia colligat* , id eſt quicquid boni virtuoſi & pulchri in his hortis inuenerit acceptet, & in memoria ſua reponat,ad remunerandum tempore opportuno. *Lilia* enim tua (ô virgo incõparãda) erant ſpiritualiſſimę &puriſſimę tuę affectiones.altiſſimæ contemplationes,ac ceteri actus interni mentis tuæ:quibus ſponſus tantò amplius delectabatur, quantò tu præ cæteris fuiſti ei charior & complacentior:& quanto ex eminentiori charitate illos actus exercuiſti:

Eya ora pro nobis,vt dum ſponſus celeſtis à nobis per ſubſtractionem ſenſibilis gratiæ receſſit quæramus ab aliis eius ſponſis, animabus deuotis conſilium & auxilium : quæ audita noſtra de ſponſi receſſu quærela, nobis condolentes reſpondeant & dicant, Quò abiit dilectus ſuus ô pulcherrima mulierum, quæ tantò eſt pulchrior quãtò amore ſponſi repletior:*quò declinauit dilectus tuus: & quæremus eum tecum*:id eſt dic nobis in quibus mẽtibus putes eum ſpecialiter habitare, gratioſiùs operari, ſalubriúſque quieſcere:& ab eis colligemus tibi exempla virtutum,& exercitia actionum,quibus inſiſtendo valeas recuperare optatam ſponſi præſentiam conſolationem, & amplexum.impetra etiam *vt dilectus ſponſus* dignetur deſcendere in animas noſtras tanquam *in hortos ſuos* delectabiles, *ad areolam aromatum*,id eſt ad mentem & ſpiritum noſtrum ſuperiorem in quo ſunt theologicæ & ſupremæ virtutes actuſque contẽplatiui, & exceſſiui anagogici motus ſanctæ

dile



dilectionis in ſponſum, quæ omnia ſunt aromata valde coram ipſo fragrantia. *Paſcatur etiam* idem ſponſus *in hortis*,id eſt,in intellectu, voluntate ac memoria noſtra, ex actibus eorum virtuoſis & charitate formatis, *& lilia colligat*,acceptans & remunerans quicquid boni & pulchri in his hortis inuenerit, & illud Deo patri repræſentans ſuiſque meritis adiunctum offerens: tamquam mediator noſter & aduocatus fideliſſimus.

2 Aue MARIA virgo deuotiſſima,quæ prę cæteris veracius dicere potuiſti. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi*, quia tu illi ſemper ardentiſsima charitate adhæſiſti,& familiariſsimè iuncta es, atque illi ſummè grata & placita præ omnibus puris creaturis ſemper fuiſti & ipſe viciſsim tibi ſemper intendit,& familiariſsimè, amoroſiſsimè, liberaliſsimè & dulciſsimè ad te ſe habuit, perinde ac ſi tibi ſoli haberet intendere & vniri. Qui etiam dilectus tuus, *paſcitur inter lilia*,id eſt, in animabus puris ſuauiter redolentibus: & in Eccleſiis particularibus reformatis in clauſtris & congregationibus deuotis, delectatur reficitur & conquieſcit.

Eya ora pro nobis, vt & nos perfectè intendamus & adhæreamus dilecto ſponſo, tanquam vnico toto, & ſummo bono noſtro, ſic vt præter & extra ipſum nihil quæramus nihil optemus: in ipſo ſit tota occupatio noſtra in quo eſt ſpes, ſalus & glorificatio noſtra. In quo eſt cum plenitudine, iucunditate & excellentia infinita, quicquid ſalubriter appeti poteſt. Qui etiam quamuis ſit tam immenſæ maieſtatis, tamen nobis

tanquam

tanquam dilectus noſter ſponſus intendit: tamque dignanter familiariter ſocialiter ac dulciter ſe habet ad nos pauperculos & indignos velut ad ſuas ſorores, amicas & ſponſas: imò ſic vnicuique noſtrum intendit, quaſi ei ſoli haberet intendere: meritò ergo debemus illi ſingulariter intendere.

3 Aue MARIA candidiſſima & dulciſſima virgo, cui ſingulariter congratulans dicit & exclamat ſponſus cœleſtis. *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem.* Te enim candor lucis æternæ elegit in matrem, & tanta puritate donauit, quod ſub Deo maior nequit intelligi. Tu roſeo pudore, purpureoque candore fuiſti decentiſſimè perfuſa: tuus apparatus & vult⁹ omni morali venuſtate ſemper reſplenduit, & omni ſplendore ſapientiæ & virtutum incomparabiliter ornata fuiſti. Propter quod etiam in regno cœlorum intuitio tuę pulchritudinis vniuerſos ciues cœleſtes ineffabiliter ſingulariterq; poſt Chriſtum delectat & ſuauiter afficit: tu etiã *ſuauis es*, imò ſuauiſſima: quia viſceribus ſuauitatis & pietatis redũdas & affluis, imò & effluis, teque in omnes tibi deuotos diffũdis. Denique *decora es ſicut Hieruſalem* illa cœleſtis: quia in terris cõuerſans Angelica puritate pollebas, atque cœleſtem & Angelicam vitam ducebas: in carne non carnaliter ſed ſpiritualiter viuens, ac in actibus ciuiũ ſupernorũ iugiter te occupãs: videlicet Dei laudibus dilectioni & cõtẽplationi: propter quod meruiſti ſuper omnes Angelorum choros ſublimari.

Eya ora pro nobis & tuo merito ac exemplo impetra vt & nos ſimus intus *pulchri* per





ornatum donorum, virtutum ac fructuum. *Simus ſuaues* per delectationem ſpiritualem, ac pectoris tranquilitatem & optimam famam operaque pietatis: Denique *Simus decori ſicut Hieruſalem* cœleſtis, per cœleſtem & Angelicam conuerſationem & occupationem: & ordinando omnia ſtudia & opera noſtra, ad hoc vt perueniamus ad cœleſtẽ Hieruſalem ſeu Eccleſiam triumphantem pro Dei gloria.

4 Aue MARIA digniſſima Dei mater cœlorum regina: quæ verè *Terribilis ſicut caſtrorum acies* benè & concorditer *ordinata*: quia inſtar acierum & exercituum Angelicorum ſpirituum (qui caſtra Dei vocantur) metuenda es Angelis tenebrarum, & omni altitudini contra Deum ſe extollenti. Tu enim multò ſublimiùs, imperialiùs, glorioſiùs quàm beati Angeli, reprimis & coerces aereas poteſtates ab impugnatione & infeſtatione militantis Eccleſiæ & tibi deuotorum. Et ſicut fluit cera à facie ignis, ſicut fugit ceruulus ab inſecutione Leonis: ſic deficiunt ac fugiunt à tua potentia atque præſentia inuiſibiles hoſtes & etiam viſibiles. formidant enim ſupra modum illi ſuperbiſſimi, tuam humilitatem profundiſſimam: & tua ardentiſſima miſericordia, illos inuidioſiſſimos, impijſſimos & crudeliſſimos vehementiſſimè affligit & incendit.

Eya ora pro nobis, vt tua protectione ab omniũ hoſtiũ violentiis liberati & muniti: ſimus etiã ipſis terribiles per imitationẽ tuæ humilitatis, patiẽtiæ, manſuetudinis, pietatis miſericordię & cęterarũ virtutũ, quib⁹ vincamus fugem⁹, & incẽdamus ſpiritus malignos.

5 Aue MARIA dilectiſſima Dei mater & virgo *ad quam* proprijſſimè poteſt accipi dictum à filio tuo. *Auerte oculos tuos à me, ipſi me auolare fecerunt*: ad inſinuandum præcordialiſſimum valdeque ſingularem ſuum ad te affectum quaſi ſi ampliùs inſpiciatur à te, ferre non queat præ vulneratione amoris: vt hoc intelligatur dictum per modum hyperbolicæ locutionis, amatorijque ſermonis: per modum feruidiſſimi amatoris, ita deuicti amore ſuæ dilectæ, vt iam non audeat intueri, ne ex illius inſpectione lædatur ex vehementia prædominantis amoris. Igitur *auerte oculos tuos à me*, quaſi diceret cœleſtis ſponſus, Tàm immenſè te diligo, vt ardorem huius amoris plenius exprimere nequeam, niſi te quaſi hortando vt ceſſes ad tempus me intueri orando, contemplando & ſuſpirando. *Ipſi enim me auolare fecerunt*: id eſt pijſſimi tui reſpectus & columbini intuitus, contemplatiuique oculi tui, attraxerunt me de ſinu patris in gremium ventris tui & mentis: & de cœlo ad terram pro ſalute hominum deſcendere fecerunt, vel, in hunc ſenſum dilectus tuus dixit tibi, *auerte oculos tuos à me*: quaſi diceret: quamuis ô vnica mea, tota delectatio tua ſit me iugiter intueri: verũtamen ſic oculos tuos auerte à me, vt illos etiam conuertas ad miſeros ad te clamantes, & ad Eccleſiam fidelium tibi commiſſam. Præcipuè autem illos maternæ compaſſionis ac piæ ſollicitudinis oculos, quos in terris habuiſti ad me adhuc paſſibilem & mortalem, præſertim tempore meæ paſſionis, auerte omnino à me iam plenariè glorificato, &





conuerte illos ad miſeros exulantes, ad te lamentabiliter ac deuotiſſimè conclamantes. Eya ergò Aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte.

Eya ora pro nobis, *vt auertamus oculos noſtros à cœleſti ſponſo*, id eſt, oculos cupiditatis, erroris & carnalis amoris, quos aliquando habuimus, de cætero omninò abiiciamus, & ab eiuſdem ſponſi conſpectu tollamus. Auertamus ab eo oculorum noſtrorum abuſum, euagationem & curioſitatem, ne in eius præſentia per iſta illum offendamus: tales enim oculi *ipſum auolare faciunt* ab habentibus oculos tales, vel eos penitùs relinquẽdo, vel certè ad tempus quoùſque huiuſcemodi oculi eruantur ab eis: *Auertamus etiam oculos noſtros* interiores à nimia ſcrutatione maieſtatis eiuſdem ſponſi: nec conemur contemplando curioſè perſcrutari & comprehendere velle immenſam eius maieſtatem: quia tales *oculi ipſum faciunt* auolare, & à tali mente curioſa ſe abſcondere & magis incomprehenſibilem oſtendere.

6 Aue MARIA benedictiſſima mater Dei & virgo, cuius Filio & ſponſo ſunt *ſexaginta Reginæ*, id eſt, multitudo animarũ perfectarum, virtutibus theologicis magis abundantium, & charitate præſertim ardentium: *& octoginta concubinæ*, id eſt, animæ proficiẽtium, & in virtutibus intellectualibus ampliùs fulgentium, vel, quæ magis micant in ſpe, aſpirantes aſſiduè ad ſyncerũ & perfectum amplexũ ſponſi. *Adoleſcentularum*. i. animarũ incipientiũ, & in moralibus virtutibus ſe magis exercẽtium, atq; fide formata & operoſa re-

ſplendentium nõ eſt numerus, ſed quantumlibet aliæ animæ virtuoſæ, contemplatiuæ & pudicę; dicantur eſſe ſpiritualiter reginæ, cõcubinæ aut adoleſcentulæ aſpirantes ad amplexum cœleſtis ſpõſi: tu tamẽ es de qua propriiſſimè ſpõſus dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matri ſuæ: electa genitrici ſuæ* quia tu ſola inter particulares ſanctos & animas deuotas, es *colũba*, ſpõſi pudiciſſima, fœcundiſſima, ab omni felle alieniſſima, & in hoc ſæculo, gemitu ſummè repleta, in cuius cõparatione, nulla anima pura, eſt perfecta, quantũcumq; ſit præclara & magna. Tu etiã, es, *vna matri tuæ*, ſynagogæ Iudæorum, de qua carnẽ & originẽ ſuſcepiſti: & ad eius profectũ & opẽ, gloriam & honorem ſpecialiter cedit, quod te talẽ ac tantã habet filiã: cuius meritis & precibus multi Iudęorũ ſunt ad fidẽ cõuerſi.

Tu deniq;, *electa es genitrici tuæ*: quia ad patrociniũ, defenſionẽ, cõſolationem, profectũ & ſalutẽ genitricis tuæ, i. militantis Eccleſiæ (cuius dum eras in hoc ſeculo fuiſti membrum & filia ſpiritualis) *electa es*, deſuper eſſe mater Chriſti, Aduocata generis humani, refugium miſerorũ, mediatrix Dei & hominũ.

Eya ora pro nobis, vt non contẽti in *adoleſcentularum*, & incipientiũ numero cõputari, ad gradũ & conſortiũ *octoginta concubinarũ*, ſeu proficientiũ, imò etiã in cõſortium *ſexaginta Reginarum*, i. perfectorũ tranſire cõtendamus. atq; vtinã ſinguli noſtrũ, ſint *vnicæ colũbæ*, ſpõſi & perfectæ eius, carẽtes amaritudinis indignationis, & iracundiæ felle, & linitæ charitatis, pietatis, & manſuetudinis melle: ſicq; contẽptis mundi ſolatiis, ingemiſcamus pro





noſtris & aliorũ peccatis, totius mũdi doleamus vitia & ærũnas: & ſuſpiremus atq; anhelemus ad patriã cœleſtẽ ſimúſq; *electi* matri noſtræ Eccleſię in honorẽ eius & gloriã, & ad profectũ & exẽplũ infimorũ eiuſdem mẽbrorum.

7 Aue MARIA candidiſſima mater Dei & virgo: *Quam viderunt filiæ Syon: & beatiſſimam prædicauerunt Reginæ & concubinæ: & laudauerunt te, Filiæ*, inquam *Syon*, adoleſcentulæ, animæ de nouo conuerſæ, & incipientes, filiæ ſpeculationis, per fidem vident, contemplantur & admirantur tuam excellentiam, dignitatem, & virtutes: *& Reginæ*, id eſt, animæ perfectorum magis illuminatæ, profundiùs ac lympidius tuam perfectionem & gloriam contemplantes, prædicant & confitentur te eſſe beatiſſimam, quæ totius beatitudinis fontem, & omnium Saluatorem genuiſti: & in omni virtute, gratia & gloria es conſummatiſſima, *& concubinæ*, id eſt, animæ proficientes, nec dum ita perfectæ, *te laudant*, magnificant & venerantur. Denique omnes rationales & intellectuales creaturæ Deo per charitatẽ coniunctæ, tàm in militanti, quàm in triũphanti Eccleſia: tàm inferiores, quàm ſuperiores ac mediæ, te ſacratiſſimam Dei matrem & virginem aut frequẽter, aut indeſinenter aſpiciunt, contemplantur, laudant, prædicant, magnificant & ſuperexaltant.

Eya Virgo præſtantiſſima, dignare nos in eorum numerum aſcribere, qui ſingulariter te contemplantur, venerantur, amant, laudant, & grato colunt obſequio.

8 Aue MARIA Splendidiſſima Dei mater & virgo: *Quæ progreſſa es quaſi aurora conſurgens*:

quia ab infantia: qua vti ratione cœpiſti: ad Chriſtum (qui eſt verus dies animarũ ſanctarum) proceſſiſti, atq; ad ipſum nos perducis. Quæ etiam *pulchra es vt luna*, quomodo non ſicut poſt Solem, Luna clarius ſplendet in cælo, & præeſt nocti, ſic tu Illuſtratiſſima Domina, poſt Chriſtum Solem iuſtitiæ, clarius micas in tota Eccleſia militãti & triumphanti: & ſpecialiter præſides militanti Eccleſiæ, quæ reſpectu triumphantis, eſt adhùc in tenebris. Deniq; diuerſæ virtutes & gratiæ, quæ hinc indè in variis membris Eccleſię fuerunt & ſunt diſperſæ, & imperfectæ: fuerunt & ſunt in te collectæ ac valdè perfectæ.

Eya ora pro nobis, vt & nos *progrediamur*, & proficiamus efficaciter & fortiter de virtute in virtutem: à minori lumine gratiæ ad eminentiorẽ eius lucẽ: & à via purgatiua, per illuminatiuã aſcendamus vſq; ad vnitiuam & perfectũ diem. Impetra etiam vt *anima noſtra pulchra ſit vt Luna*, accipiens lucem & claritatem, ſapientiam & virtutem à verò Sole iuſtitiæ, quibus eos qui adhuc in tenebris ignorantiæ & vitiorum ſedẽt, illuminare poſſimus, & noſtro exemplo ad bona excitare.

8 Aue MARIA fœliciſſima mater Dei & virgo: quę verè *electa es vt Sol*, quia poſt Chriſtum hominẽ, elegãtiſſima & electiſſima eſſe cognoſceris: & ſicut Sol cæteris planetis ac ſtellis eſt maior, luminoſior, & cauſalior: ſic tu poſt Chriſtũ es cæteris ſanctis perfectione maior ſapientia luminoſior, & virtute cauſalior: vtpotè genitrix Dei Saluatoris: & innumerabiliũ peccatorũ reductrix ad gratiã & ſalutẽ. Quæ etiã *es terribilis* dæmonibus *vt caſtrorum*

*ſtrorũ acies ordinata*, quia in te fuit ordinatiſſima virtutũ cõnexio, pręclariſſima perfectionis conſtantia: & authoritate maternitatis Dei conſtituta es Imperatrix vniuerſorum, ac plena dominatrix aduerſantium.



Eya ora pro nobis, & impetra vt & nos per te illuminari & accenſi, exẽplo & verbo ac fama proximos illuminemus: noſtra ſapientia eorũ ignorantias, dubitationes, & perplexitates fugemus, diſſoluam⁹ & certificemus: noſtro feruore, aliorũ teporẽ accedamus: noſtra patientia ac manſuetudine: aliorũ impatientiã confringamus: noſtra humilitate & probitate, aliorũ elationẽ & improbitatem reprimamus & reformemus: vt dici & eſſe mereamur electi vt Sol. Terre etiam & procul à nobis repelle hoſtes noſtros viſibiles & inuiſibiles ne nobis noceant.

10 Aue MARIA vigilantiſſima & fideliſſima protectrix & aduocata Eccleſiæ militantis: quæ *deſcendiſti* & quotidie deſcendis, *in hortũ nucũ*. i. in Eccleſiã & cõgregationẽ fidelium, omnẽ ſtatũ, ac diſpoſitionẽ eius conſiderando, preces pro ea fundẽdo, & dona gratiæ ei impetrando. Quæ Eccleſia dicitur *hortus nucum*: quia fideles in ea habitantes, præſertim perfectiores aſſimilantur nuci, ſicut enim nux contẽptibilis foris videtur, & forti ac ligneo tegitur tegmento, intùs autẽ dulcẽ habet fructum & nucleum, ex quo extrahitur oleum: ita fideles ſancti, humilem & arduam vitam ducendo, ſunt mundanis contemptibiles, & per ſoliditatem virtutum, conſtantes, ac fortes contra ſuæ ſalutis hoſtes: intùs verò habent deuotionem internam, mentis tran-

quillitatem,conſcientiæ puritatem,contem-
plationis gratiam, & amoris feruorem,tan-
quam dulcem nucleum,ex quibus virtutibus
oritur vera compaſſio & pietas ad proximos.
Deſcendis autem ô Virgo mitiſſima,in hunc
hortum nucum , *vt videas poma conuallium* , id
eſt minùs perfectos attendas & iuues,imò &
inhumilitatis imo poſitos approbes: & *vt in-
ſpicias ſi floruiſſent vineæ*,id eſt, an particulares
Eccleſiæ ſeu congregationes, clauſtra,colle-
gia,ad fructum ſpiritalis vini eſſent diſpoſi-
tæ:& floribus ſalubrium meditationum, pia-
rũq; affectionũ ornatæ ac fœcundatę:inſu-
per *vt videas ſi germinauerint mala punica*, i.an
fructificẽt,qui in ſtatu cõtẽplationis & igne
charitatis ſunt poſiti:& quorũ eſt Dominicã
paſſionẽ iugiter ferre in corde vt inſtar ma-
lorũ punicorũ,rubeãt intùs &cõtẽplationis
ac dilationis bonæq; famę odore & ſuauita-
te ornentur & fragrent,atque alios attrahãt.

Eya fideliſſima mater & Aduocata noſtra,
tu cũ Filio tuo digneris per pietatis tuæ cõ-
deſcenſionem & opẽ, quotidie ad nos *deſcen-
dere*,viſitare,& reformare : & impetrare vt ſi-
mus *inſtar nucum*,humiles,fortes,conſtantes,
deuoti,feruẽtes in amore Dei , & erga proxi-
mos cõpaſſiui.Viſita etiã minus perfectos,&
adiuua in humilitatis imo poſitos,fac vt no-
ſtræ cõgregationes,præſertim religioſæ,ſan-
ctis meditationibus &affectionibus floreant,
& ad fructũ vini ſpiritalis ſint diſpoſitæ. Im-
petra vt Dominicã paſſionẽ deuota medita-
tione & ignea charitate &cõpaſſione in cor-
de noſtro portemus,vt *velut mala punica* ger-
minemus,& fructuoſi ſimus,noſtróq; odore
& exemplo proximos attrahamus. Impetra





etiam vt & nos *deſcendamus*, & per diligẽtem
cõſiderationẽ intremus,*in*,proprij cordis,*hor-
tum*, & *hortum nucum*,i. in intellectũ & volun-
tatẽ (in quibus ſunt ſolidiores virtutes theo-
logicę)prouida examinatione perambulemꝰ,
penſando an quid virtutibus contrarium ibi
exurgat : ſicq; *videamus poma conuallium*,i.vir-
tutes morales, & actus earũ, quæ in appetitu
ſenſitiuo eſſe dicuntur , diſcutiẽdo eadem ne
quid vitij in eis admiſceatur & illud aufera-
mus. Inſpiciamus etiam ſi floreant *vineæ*,i.an
habitus intellectuales , videlicet prudentia,
ſcientia & ſapientia,debito modo procedant
in dirigendo actus aliarũ virtutũ vim appeti-
tiuam ſuperiorẽ & inferiorẽ perficientiũ.De-
nique cõſideremus *an germinent mala punica*.i.
an ſeptẽ dona Spiritusſancti(quę ſunt habitus
ſupernaturales infuſi)animã noſtrã dirigant,
& celeriter mobilẽ à Spiritu ſancto,ad bono-
rũ operũ fructus & exercitia faciãt & reddãt.

II Aue MARIA beatiſſima vigo quę humili-
ter nobis inſinuãs gladiũ dolorisqui te in paſ-
ſione Filij pertrãſiuit,dicis *neſciui* à principio
per ſcientiã experimentalẽ fructũ &dolorem
paſſionis filij mei,ſicut poſtea illũ ſciui:quã-
do *anima mea conturbauit me propter quadrigas
Aminadab*,i. quando affectio cordis mei me
vehementer afflixit, eò quòd viderẽ Euãge-
liũ Filij mei non recipi à Iudæis,quibus *qua-
drigæ*,i.Apoſtoli Dñi prædicauerunt, Chriſtũ
Filiũ meũ prædicando vehentes ad audientiũ
corda & tanquã quadrigę per mundũ diſcur-
rerunt,circũferentes IESVM CHRISTVM
& Euangeliũ eius vbiq; terrarũ. *Aminadab*,
enim interpretatur ſpõtaneus populi mei,per
quem intelligitur Chriſtus,qui volẽte Patre,

ſpõtaneus venit ad paſſionem, & oblatus eſt quia voluit. Cuius *quadrigæ* ſunt Apoſtoli.

Eya ora pro nobis, vt & nos contriſtemur cùm viderimus ab impiis Euangelij prædicationem contemni: & impetra vt ex prædicatione Apoſtolicorum virorum, aut ex cõſideratione Euangelicorum voluminum, *anima noſtra conturbetur*, compungatur, & ad bona peragenda moueatur.

12 Aue MARIA deſideratiſſima virgo & mater Dei & noſtra ad quam tanquam ad piiſſimam totius Eccleſiæ Aduocatam meritò clamamus iugiter. *Reuertere*, tuæ pietatis reſpectum efficaciùs conuertendo & applicando, àd Eccleſiæ prælatos: *Reuertere* ad ſubditos, *ò Sunamitis*, illa pulcherrima, per Abiſac figurata, *Reuertere*, ad iuſtos, *Reuertere*, ad peccatores, indulgentiam impetrando, gratiam obtinendo, conſeruationem & protectionem impendendo: & ad gloriam perducendo, *vt intueamur te*, id eſt, vt experiamur & ſentiamus te nobis clementer aſſiſtere: & vt tuam beatitudinem ſynceriter contemplemur: ac Deum in patria tecũ æternaliter videamus.

Eya ora pro nobis, & tua exhortatione ac prece fac, vt quoties à ſponſi fidelitate & caſto connubio deuiauerimus, aut à ſpiritualibus & ſupernis ad carnalia, & terrena curuati uerimus: pœnitentes & ad ſponſum redeuntes, *reuertamur* à prauis cogitationibus, ad meditationes ſalubres: ab inordinata affectione, ad ſynceras affectiones: ab illicita locutione, ad ædificatoria verba: & ab omni opere malo & iniqua omiſſione, ad virtuoſa opera: quatenus tu, & cæteri ſancti nos ita reuerſos *intueamini*, cum gaudio, à quibus cũ deuiaremus, vultum complacentiæ meritò auertebatis.

Nos inquam Sunamites, id eſt, propter peccata noſtra captiui & deſpecti (ſic enim interpretatur Sunamitis) reuertamur ad pœnitentiam, ad obedientiam, ad profectum & exercitium virtutum & ad perſeuerantiam finalem.



*Coronula ſecunda Coronæ tertiadecimæ.*

1 Aue MARIA formoſiſſima *Sunamitis* veri Dauid ſponſa ſingularis: *in qua nihil videmus niſi choros caſtrorum*: quia nihil poſſumus aliud in te conſiderare, & reperire, quàm aciem virtutum firmiſſimam, & omnium armorũ ſpiritualium vim inſuperabilem: quæ etiã habes ad manum cœleſtium ſpirituum victorioſiſſimam militiam, tuo imperio obedire prõptiſſimã: per quos potes nos iuuare, & victoriam de vitiis & hoſtibus conferre.

Eya tuis virtutibus & armis ſpiritualibus atque Angelica protectione nos ſemper tuere, adiuua, conforta & de vitiis ac hoſtibus fac triumphare, impetra etiam nobis, vt poſt lapſum taliter pœniteamus, ſatisfaciamus & proficiamus, quod vbi abundauit iniquitas, ſuper abundet & gratia, & videantur in nobis ſtructuræ virtutum firmiſſimæ, & arma ſpiritualia aduerſus acies dæmonum & vitiorũ: ſimúſq; tã fortes in fide, tã roborati in ſpe, & & accenſi in charitate, támque omni ſapientia & virtute muniti: & Angelicis ſpiritibus ſic circũuallati: vt non videantur in nobis *niſi*

*chori caſtrorum*, i. acies & connexiones gratiarum, virtutum, donorum & aliorum diuinorum chariſmatum cum Angelica cuſtodia.

2 Aue MARIA ſacratiſſima Dei mater & virgo, cui meritò congaudentes & collaudantes, cantamus. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Tu enim licet ſis vnigeniti tui vera mater quantũ ad carnis propagationem, tamen ratione creationis, adoptionis, atq; æternę prædeſtinationis, & ſingulariſſimę præuiſionis, es eius *filia*, qui eſt verus princeps pacis, primogenitus mortuorum, & princeps Regũ terræ. *Tui etiã greſſus*, i. actus & affectus fuerunt ſemper *pulcherrimi*, quia ſanctiſſimi, nulláq; culpæ admixtione vnquam fuſcati, ſed perfecti, & multæ perfectionis contentiui: & hoc *in calceamentis*, i. in ſanctorum Patrum exemplis, quorum veſtigia ſancta, tam eminenter ſecuta eſt, quòd omnibus illis fuiſti perfectior, vtpotè, Abele innocẽtior & iuſtior, Abrahamo obediẽtior, Moſe & Dauide mitior & mãſuetior: & quicquid perfectionis & virtuoſitatis fuit in aliis ſparſim, in te collectim & cum mira excellentia fuit.

Eya ora pro nobis, vt nos (quibus in Filij tui nomine credentibus, dedit Deus poteſtatem filios Dei ſummi principis fieri & vocari) ordinatè, maturè, reuerenter & compoſitè, in omnibus procedamus & coram tanto Patre & principe ambulemus: ſintq; *greſſus noſtri* valdè pulchri, & illi accepti, i. noſtrę intentiones affectiones & actiones ſint virtuoſæ, & hoc *in calceamentis*, i. in imitationibus exẽplorum ſanctorum Patrum, qui in omni ſanctitate & iuſti



iuſtitia Deo miniſtrauerunt, & coram eo iugiter cuſtodiri, timorati & ſynceri fuerunt, ſemper ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

3 Aue MARIA virgo Deifera, *Cuius fœminum iuncturæ ſunt ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis*: quia virginea fœcunditas, & fœcunda virginitas, ſeu fœcunditas & virginitas, in te ſibi inuicem coniunctæ, cunctarum virtutum ornatibus tanquam *monilibus*, deſuper manu ſupremi Opificis fabricatis, ſunt politæ & ornatæ. Tu enim fuiſti virgo, & tam pura virgo, vt nunquam paſſa ſis ſtimulum carnis, nec concupiſcentiam appetitus, nec alium motum inordinatum: fuiſti etiam mater permanẽs virgo, & quod ſupermaximum eſt, virgo & mater, non cuiuſlibet puri hominis, ſed veri Dei, qui propter nos in te factus eſt homo.

*Femen in muliere eſt id quod in viro femur vocamus: & ad ornatum mulieris pertinet, vt non ſolùm ſit in ea compoſitio greſſus, & pedum calceatio: ſed etiam congrua connexio fœminum, ſic vt nulla ſit claudicatio crurium. Hîc autem parabolicè ſub typo formoſæ mulieris, deſcribitur pulchritudo beatiſſimæ Virginis, & cuiuſlibet animæ puræ & deuotæ.*

Eya ora pro nobis, & impetra vt *fœmora animæ noſtræ* (quæ ſunt intellectus & voluntas in quibus virtutes & vitia ſubiectiuè cõſiſtunt) benè ſibi inuicẽ *iungantur*, & annectãtur per mutuã influẽtiã: ſic vt intellectus volũtatẽ ordinatè illuminet, & doceat quid appetere, velle & agere debeat, & ab immoderato affectu ſuo cõſilio eã refrenet: volũtas quoq; iam

 actua

actuata & charitate cæteriſque virtutibus affectiuis tanquam monilibus deſuper datis, ornata: moueat & excitet intellectum ad agendum, per modum imperij, ne torpeat.

9 Aue MARIA, intemeratiſſima & cōpatientiſſima virgo Dei mater, *cuius vmbilicus fuit ſicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis*, id eſt, rotundus & quaſi torno commenſuratus ac bene formatus, ſimilis crateri ſeu rotundæ menſuræ vini, repletæ ſemper optimo vino. Quia intemerata caſtitas tua per *vmbilicum* (in quo in mulieribus, ſicut in lumbis viro um, eſt caſtitas aut luxuria) deſignata, fuit omni humilitate ac ſapientia decorata, ex qua tanquam ex cratere pleno, exemplo caſtitatis, humilitatis & ſapientiæ ſemper ſumere & potare poſſumus. Tua etiam precordialiſſima erga filium patientem compaſſio (quæ per mollem *vmbilicum* congruè intelligi poteſt) meruit, & obtinuit nobis pauperculis & puſillis fructum, virtutem & meritum paſſionis eiuſdem Filij tui: & ſicut fœtus per venas vmbilici attrahit ſibi nutrimentum à matre: ita & nos per venas & merita tuæ compaſſionis fructum paſſionis Chriſti haurimus.

Eya ora pro nobis, vt ex te ſumamus & imitemur exempla caſtitatis, humilitatis & ſapientiæ: & tuæ compaſſionis merito percipiamus fructum paſſionis Filij tui. Impetra etiā vt ſpiritualis noſter *vmbilicus*.i. vis cogitatiua, ſeu intellectus paſſiuus, ſit tāquā, *crater tornatilis plenus vino* ſic vt mediāte ſenſitiua memoria ſibi deſeruiēte, prōptè, atq; celerrimè offerat & prębeat intellectui noſtro actiuo





imagines rerū ſalutariū: quibus ipſe paſſiuus intellectus copioſè & fœcūdè ſemper abundet quę à ſenſibus exterioribus per ſenſum cōmunem & vim imaginatiuā, ad eum deriuentur.

5 Aue MARIA puerpera virgo mundiſſima, *cuius venter fuit ſicut aceruus tritici*, id eſt, aptum habens tumorem ex fœcundatione, *vallatus liliis*, id eſt puritate ſuaui ac candida, nam ſacer vterus tuus corporalis ex conceptione deportatione, educatione, & generatione, veri Dei, ſupernaturaliter, & inenarrabiliter Deificatus, ex prole adoranda ſœcundus & tumeſcens, rectè aſſimilatur aceruo tritici: & quoniam idem mundiſſimus vterus tuus, omni caſtitate ac ſobrietate redolentiſſimus extitit, dicitur liliis decoratus.

Spiritualis etiam *tuus venter*, id eſt intellectus tuus rectè aſſimilatur, *triticeo aceruo*, quia omni ſapientia ſalutari repletus ſe ſemper erexit ad fontem ſapientiæ, qui in tua mente munificentiſſimè irradiauit, & actibus virtutum ac donorum in eo exiſtentium, tanquam liliis fuit vallatus & ornatus.

Eya ora pro nobis, vt tuū virginalem & fœcundiſſimū vterū deuotè ſēper veneremur: & ſpiritualis *vēter noſter*, id eſt, intellectiua memoria omniū capax & tenax cœleſtis verbi ſemine fœcūdetur: & duodecim fructus ſpiritus pariat: *aceruoq; tritici cōparetur*: hoc eſt, deſiderio puro ac feruido ad Deum erigatur, & bonorum propoſitorum conceptionibus adimpleatur, ac piis affectibus impinguetur, *tanquam liliis*, impetra etiam nobis zelum animatum ſeu ingens deſiderium fraternæ ſalutis per quem (velut per fœcundum animæ

*ventrem*) producamus ſponſo prolem ſpiritalem generatione caſtiſſima, vt pote orando exhortando, & ſanctè ac exemplariter viuendo, qui zelus ſit *vallatus liliis*, ſic vt non ſenſualiter, ſed purè & intellectualiter atque ex vera charitate circa proximos afficiamur.

6 Aue MARIA delitioſiſſima Dei mater & virgo, *Cuius duo vbera ſunt ſicut duo hinniculi capreæ gemelli*: quia per miſericordiam & veritatem, per ſapientiam & charitatem (quæ ſunt tua vbera ſpiritualia) promptè copioſè, ſubtiliter, & teipſam ſemper aluiſti, & tibi deuotos ſemper alis & nutris. *Et collum tuum eſt ſicut turris eburnea*: quia libertas animæ tuæ ſemper fuit ad Deum rectè erecta, nullo pondere culparum preſſa, nulla hoſtium incurſione vincibilis, ſed, inſtar eburneæ turris, omni virtutum conſtantia ſolidata, valdeque alta, quia ad ſuum bonum inenarrabiliter eleuata.

Eya ora pro nobis, vt & per ſapientiam ac charitatem mentes noſtras & proximorum alamus, & per animæ veram libertatem ad ſuperna ſemper ſimus erecti, tuis exemplis meritis & precibus adiuti.

7 Aue MARIA illuminatiſſima & præclariſſima virgo Dei mater: *Cuius oculi ſicut piſcinæ in Heſebon quæ ſunt in porta filiæ multitudinis*, id eſt ſicut piſcinæ ſitæ, in ciuitate Heſebon iuxta portam filiæ multitudinis, id eſt plebis in dicta vrbe habitantis, ex copioſo illius populo natæ. Quia *oculi tui* interiores, id eſt, acies intellectuales, pudiciſſimi, pijſſimique reſpectus, videlicet fides, ſapientia, ſcientia & prudentia fuerunt ſemper perfuſi





præclara luce, ac lucida puritate, excellentique perfectione: & ab omni paſſionum perturbatione, & vitiorum inquietudine penitus alieni: ſicut *aquæ piſcinarum*, prędati oppidi, *Heſebon* erant *inturbidæ* ac perſpicuæ, inſuper *oculi tui* corporales ex aſſiduo corporali intuitu, Dei incarnati fuerunt miro modo clarificati ſydereique effecti, in quibus interna puritas, columbina ſimplicitas, & ſupernaturalis ſagacitas mentis tuæ magnificè relucebat: itaque inſtar perſpicuarum, clariſſimarumque *aquarum*, erant perlucidi & ſynceri.

Eya ora pro nobis, & impetra *vt oculi* noſtri interiores ſint ſicut piſcinæ in Heſebon (quæ interpretatur cingulum mœroris) hoc eſt occupentur in contritione & mœrore de propriis culpis, in recordatione ac compaſſione Dominicæ paſſionis & miſeriarum proximorũ: deinde in conſideratione & exercitatione virtutum, ſicque tãdem perueniant ad actus vitæ contemplatiuæ, per quos conſpicere poſſint etiam ſecreta diuina: & ſicut *in piſcinis* reſplẽdent intuentiũ vultus: ſic etiam in lumine oculorum noſtrorum interiorum deſuper illuſtratorum, anima ſeipſam deprehendat, & ſiquid culpæ in ea ſit intueatur, & ipſa etiam inuiſibilia Dei cognoſcat.

8 Aue MARIA benedictiſſima virgo, omnium decus fœminarum, cuius *naſus fuit ſicut turris libani, quæ reſpicit contra Damaſcum*: quia diſcretio altiſſima & candidiſſima ac perfectiſſima in te ſemper fuit: quippe quæ in diſcernendo nunquàm erraſti, nunquàm à malo ſub ſpecie boni decepta fuiſti, nunquàm minùs bonum pro maiori elegiſti: ſed vnumquodque

quoque ſapientiſſimè ponderans, tanti illud reputaſti, quanti fuit exiſtimandum, hæc autem diſcretio tua, *reſpicit contra Damaſcum*, (qui interpretatur ſanguineus, quia contra ſanguinolentum & vitioſum hunc mundum & eius opera ſe opponit, rectè verò per *naſum* virtus diſcretionis intelligitur, quia ſicut per naſum inter bonos & malos odores diſcernimus: ſic diſcretio facit vt inter ſpiritalem & carnalem ſuauitatem, ac voluptatem diſcernamus, diffiniens & docens abſtinendum eſſe ab oblectamentis caducis & ſenſualibus ſuperfluis, & ſectandas ſpiritales ac diuinas conſolationes & voluptates. Et ſicut *Naſus*, duo habet foramina, quorum vno attrahit ſpiritum & odoratum perficit, altero vtitur ad expellendas ſuperfluitates de cerebro venientes: ſic per diſcretionem, bona eligimus, confidentiam in Deo aſſumim⁹, & nociua tãquã ſordes abijcimus.

Eya ora pro nobis, & impetra virtutem altæ & præclaræ diſcretionis, per quã, quando occurrit aliquod delectabile, protinùs iuſtar canum diligentiſſime odoremus an verè id expediat, an hæc ſuauitas ſit animæ refectiua, vel infectiua: ſicque protinùs eam vel acceptemus vel recuſemus: in ipſis quoq; licitis ſolatiis & crecreationibus, abſtineamus ab omni ſuperfluitate, & cordis diſſolutione: denique vnumquodque ſapienter ponderemus, & tanti reputemus, quanti fuerit reputandum.

8 Aue MARIA Regina noſtra ſuperdigniſſima: *Cuius caput eſt vt Carmelus*, mons valdè ſublimis & frugifer. *Et comæ capitis tui ſunt*





*ſicut purpura regis iuncta canalibus*. Id eſt, rubicundè & nitidè: ſicut purpura regis, in aquis canalium poſt tincturam poſita & lota: venuſtior & in colore viuacior apparet. Quia ſanctiſſima tua voluntas & rectiſſima intentio tua (per caput tuum ſignificata) nunquam fuit ad hæc inferiora reprehenſibiliter inclinata, ſed ſurſum inuiolabiliter fixa, & ad eum qui eſſentialiter bonus eſt, ſemper altiſſimè & fructuoſiſſimè eleuata per ardentiſſimam charitatem, *Comæ etiam capitis tui*, id eſt prudentiſſimæ cogitationes, & pia deſideria cordis tui rectè aſſimilantur, *purpuræ regis iunctæ canalib⁹*, quia tu filio tuo in omni eius acerbiſſima paſſione amariſſimè es compaſſa, & ſimul cum eo pati ac mori optaſti, imò quicquid ille tolerauit in corpore, tu pertuliſti in mente. *Per purpurã*, enim regis intelligitur caro Chriſti, propter nos proprio ſanguine rubricata: quæ quaſi *Canalibus iuncta* fuit quando guttæ ſanguinis eruperunt ex ea & defluxerunt in terram: maximè, quando de latere eius lancea perforato exiuit ſanguis & aqua.

Eya ora pro nobis, vt etiam *caput noſtrum*, id eſt ſuprema animæ noſtræ pars, in qua ſuperbeatiſſimæ Trinitatis imago relucet, à paſſionibus & vitiis ex purgatum & reformatum, ſapientia, charitate & ſtabilitate ornetur & ad ſupremum omniũ verticem Deum aſcendens & pertingens efficiatur ſublime, pulchrum & fructuoſum ſicut *Mons Carmelus*, carens fruteris paſſionum, & ſpinis paſſionum, impetra inſuper vt *comæ capitis noſtri ſint ſicut purpura regis iuncta canalibus*: id eſt vt congeries & multitudo cogitationum & affe-

ctionum noſtrarum ſit coordinata, purgata, & igne charitatis, atque recordationibus dominicæ paſſionis rubricata, & ſplendēs effecta, aquis ſapientiæ ſalutaris intincta, aquis deuotionis perfuſa, lachrymis deplorationis preſentis exilij ac aſpirationis ad beatificum dilecti intuitum irrigata: vt verè coram Deo ſit rubens & candida, tanquam regia purpura in canalibus collocata.

9 Aue MARIA virgo formoſiſſima, Cui congratulans ſponſus cœleſtis conuenientiſſimè dicit, *Quàm pulchra es*, foris, *& quàm decora, intus, chariſſima in delitiis*, tu enim ſpecioſior prorſus fuiſti quam Rebecca, Rachel, Eſter, aut alia quæcumque pura creatura. Et quemadmodum præ cunctis compaſſa es filio tuo non ſolùm tempore paſſionis, ſed & antea ſæpè, dum futuram eius paſsionem attendebas, & poſtea quoque, dum facta mrecolebas: ſic præ vniuerſis & ſingulis datum eſt tibi ſpiritualiter gloriari in Chriſto & ſuauiſſimè delitiari de eius conceptu & geſtatione in vtero, de eius lactatione & amplexu, & de mutua conuerſatione tot annis: & de perfecta cum ipſo vnione per ardentiſsimam charitatem.

Eya ora pro nobis, vt extra ſponſum renuat conſolari anima noſtra: & tempore abſentiæ, conſolatoriæ præſentiæ ſponſi, tanquam pudiciſſima turtur gemitum aſſumat pro cantu: nec fornicetur ab eo, ſed patienter ipſum expectans, interim in eius cruce glorietur: quatenus dignetur ſponſus tam conſolatoriè eam poſtea viſitare vt ipſa ex fœlici experientia poſſit dicere. Secundum multitudinem dolorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

10 Aue MARIA victorioſiſſima virgo, *cuius ſtatura aſsimilata eſt palmæ*: quia nunquam per culpam es incuruata: ſed in omni ſapientia & virtute iugiter erecta ſtetiſti, ac glorioſiſſimè de hoſtibus triumphaſti, vnde victoriæ palma meruiſti inſigniri.

Eya ora pro nobis, vt & nos ſimus ad cœleſtia & diuina per contemplationem & ſanctum amorem erecti: & in affectum iuſtitiæ conuerſi, non autem retorti nec incuruati aut obliguati ad carnalia & immunda: & in bonis perſeuerando vſque in finem, victotiæ palmam reportemus.

11 Aue MARIA, amabiliſſima Domina, cuius *vbera aſsimilata ſunt botris*: quia per ſapientiam tuam multos inſtruxiſti de Chriſti myſteriis: multis præbuiſti vbera conſolationis: & tua ineſtimabili charitate ac pietate: inſtar affectuoſiſſimæ genitricis atque nutricis non deſiuis omnes ad te confugientes & accedentes refouere, lætificare: & tanquam optimo vino, ſpiritali poculo recreare.

Eya ora pro nobis, & nos tua ſapientia inſtrue, tua materna pietate & charitate nos refoue, recrea & lætifica & impetra nobis ſapientiam & charitatem, quibus tanquam ſpiritali vino nos & proximos foueamus, & dulciter potemus.

12 Aue MARIA virgo pijſſima: quæ *aſcendiſti in palmam*, id eſt, in crucem tui filij per compaſſionem maximam & imitationem digniſſimam: *Sicque apprehendiſti fructus eius*, id eſt merita paſſionis Chriſti, imò affectus

merito

meritorum illorum collegiſti participaſti, & tam gratiosè in corde tuo repoſuiſti, quod omnibus nobis inde communicas, vnde etiam meritò tibi ſponſus dicit. *Et erunt vbera tua ſicut botri vineæ*, quia tu ex conſideratione, imitatione & compaſſione filij tui, tantam conſecuta es affluentiam gratiæ, tam ineffabilem in omni charitate ſapientia & pietate profectum, quod hæc ſpiritualia tua vbera fuerunt & ſunt redundantiſſima ad reficiendum nos omnes.

Eya ora pro nobis, vt & nos aſcendamus, *in palmam* crucis, per cruciformem Chriſti filij tui imitationem: & nos totos ipſi affigamus atque inſeperabiliter adhæreamus, vt cum Apoſtolo, dicere veraciter poſſimus: Chriſto confixus ſum cruci: & rurſum. Stigmata Chriſti porto in corpore meo: quatenus ſic apprehendamus *palmæ fructus*, id eſt, copiosè participes efficiamur meritorum ac virtutum paſſionis & crucis Chriſti: atque affluamus viſceribus charitatis & pietatis, noſque aliis largiter communicemus.

*Coronula tertia Coronæ decimæ tertiæ.*

1 Aue MARIA admirabilis virgo Dei mater: *cuius oris odor eſt ſicut malorum punicorum*: Quia ſuauitas tuæ orationis, dulcedo tui ſaluberrimi ſermonis, exemplaritas tuorum verborum, laus & pſalmodia quibus iugiter Deum collaudabas, & collaudas, tantò in auribus omnipotentis dulciùs ſonabant & redolebant quantò ex maiori charitatis feruore, puriorique intentione & deuotione

proce



procedebant. *Et guttur tuum fuit ſicut vinum optimum dignum dilecto ad potandum labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.* Quoniam verba tua ſacra & feruida per guttur tuum ad aliorum inſtructionem prolata, fuerunt ſpiritualiter eorum inebriatiua: & digna *dilecto*, filio tuo ad *potandum* & acceptandum: *& labiis ac dentibus*, id eſt, membris illius, *ad ruminandum*, præſertim prædicatoribus & perfectioribus fidelibus, qui præ cæteris maſticant, verba tua & filij tui, dum eorum ſenſum intimè penſant recogitant & adimplent.

Eya ora pro nobis, vt & nos ex abundantia internæ deuotionis, diuini feruoris, & gratioſæ illuminationis proferamus & doceamus ſaluberrima & dulciſſima verba. Quæ ſicut, *mala punica*, bonum & fortem odorem notitiæ Dei & ſalutis aliis manifeſtent & diffundant. *Sitque guttur noſtrũ ſicut vinum optimum*, ſponſo gratũ & acceptũ, dũ ita loquendo reficiemus & inebriabimus audientiũ animos, ad gloriam & delectationem ſponſi.

2 Aue MARIA deuotiſſima virgo, quæ præ cunctis veraciùs dicere ſemper potuiſti. *Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius.* Quia tu ſemper fuiſti totaliter intenta ſponſo cœleſti, deuotiſſimè ei vacás affectuoſiſſimè illi ſemper inhærens, & familiariſsimè ac fructuoſiſsimè ei coniuncta: *Et ad te fuit conuerſio eius*, quia ab æterno te excellentiſsimè præelegit in matrem te ſummè & vnicè dilexit, gratioſiſsimè & hilariter te aſpexit: in omnibus te direxit, cuſtodiuit & protexit.

Eya ora pro nobis, vt etiam tota noſtra affectio ad ſponſum conuertatur, nec diui

ſum

ſum ſit cor noſtrum : ſed quicquid ſponſo placet,quamuis durum & moleſtum , nobis ſit dulce:ciuſque amore, diuinis laudibus & contemplationibus libenter intendamus : & ipſe dignetur vultum benignitatis ſuæ ad nos conuertere,gratioſè nos viſitare; & clementer exaudire.

3 Aue MARIA amantiſsima & fructuoſiſsima Dei mater & virgo : quæ totis præcordiis ex feruenti amore optans ſponſi cœleſtis honorem,& paſſionis ſuæ fructum , id eſt,mundi ſalutem, ſæpiùs ei dixiſti,& adhuc dicis. *Veni dilecte mi*,& aſſiſte mihi , ac *egrediamur*,ſimul *in agrum*, id eſt gratioſè viſitemus genus humanum vt tuis meritis & meis precibus totus mundus ad fidem & charitatem conuertatur,*Commoremur in villis*,manendo pijſſimè in cordibus eorum qui erant inculti ſeu ſimplices moribus , *manè ſurgamus ad vineas*,viſitãdo velociter ac benignè quaſcunque congregationes fideles quæ indeſinenter indigent gratia noſtra & aſſiſtentia pia. *Videamus ſi vinea floruit*, id eſt, iam vigeat religio Chriſtiana : an monaſtica profeſſio ad proficiendum ſe preparauit,& internæ reformationis refloritionem ſortita eſt, *Si flores parturiunt*, id eſt, an virtutes & dona in actus meritorios proceſſerint. *Si floruerint mala punica*:id eſt,an hi qui charitate & cõtẽplatione præ aliis debent eſſe igniti ac fulgidi ( vt ſunt prædicatores ac viri heroici)ad palmam martyrij ſint parati. *Ibi dabo tibi vbera mea*, id eſt,in hac benigna Eccleſiæ & humani generis viſitatione,ego ad tuum honorem effundam charitatem & pietatem meam ſuper

credentes, eos maternaliter confouendo ac protegendo tanquam Eccleſiæ aduocata.



credentes, eos maternaliter confouendo ac protegendo tanquam Eccleſiæ aduocata.

Eya mater & aduocata noſtra , egredere nunc & ſemper ſimul cum filio tuo ad nos benignè viſitandos, & meritis filij tui precibus confouendos:fac nos ſimplices moribus, vt in cordibus noſtris commoreris, fac vt vigeat Chriſtiana religio, & monaſtica profeſſio refloreat:virtutes & dona in nobis pariant bonorum operum fructus & ad contemplationem & ſtatum perfectionis vocati, parati ſint ſemper quoties opus fuerit , proprium ſanguinem pro filij tui honore & amore fundere.

4 Aue MARIA , virgo fragantiſſima, cuius & filij tui. *Mandragoræ dederunt odorem in portis veſtris*, quia pretioſiſſimæ virtutes filij tui , & merita tua , fama quoque Euangelij & ſapientiæ eiuſdem filij tui , & excellentiæ tuæ,tanquam ſuaueolentes.*Mandragoræ* , ſuauiter ſunt diffuſæ ad gentes propinquas , & per ſanctos Apoſtolos ) per quorum prædicationem tanquam per *portam* , alij introierunt ad fidem & Eccleſiaſticam vnitatem ) notificatæ ſunt gentibus.

Eya ora pro nobis vt in odore harum , *Mandragorarum* , id eſt virtutum & meritorum veſtrorum ſemper curramus, & ad brauium ſupernæ vocationis properemus.

5 Aue MARIA virgo illuminatiſſima,quæ, *Omnia poma noua & vetera ſeruaſti dilecto tuo*: Nam quidquid ex veteri & nouo teſtamento , quicquid ex lege & prophetis ac Euangelio didiciſti ac profeciſti , totum retuliſti

ac Euan

ac reſeruaſti ad dilectiſſimi ſponſi & filij tui gloriam & honorem: & nunc non ceſſas illud communicare cunctis fidelibus & electis eius per ipſum ſaluandis, quorum mater & aduocata es ab ipſo conſtituta.

Eya ora pro nobis, & cõmunica tuam ſapientiam & merita: atque impetra vt & nos pro proximorum inſtructione & ædificatione ſolliciti, omnia vtriuſque teſtamenti documenta, exempla, hiſtorias, & ſententias diligenter colligamus, memoria teneamus: & quando ac ſicut opus fuerit ad cœleſtis ſponſi honorem & gloriam, pro aliorum inſtructione & ædificatione, proferamus & exponamus, vt ſic tanquam ſcribæ docti proferamus de theſauro noſtro noua & vetera.

6 Aue MARIA virgo ſacratiſſima, ſingularis Chriſti mater ſoror & ſponſa: quæ vnigenitum Dei cupiens incarnari, ex affectionis ſanctæ abundantia loquebaris, *quis mihi det te fratrẽ meum*, id eſt, ô vnigenite patris æterni, quis mihi concedat vt tu Deus meus (qui cum patre & ſpirituſancto vnus es Deus, vnuſque Dominus) ſis frater meus aſſumendo humanam naturam: Sic inquam det te fieri & eſſe fratrem meum, *ſugentem vbera matris meæ*, id eſt ſcripturas legis ac Synagogæ, de qua nata ſum, approbantem, & quaſi inſtar ſugentis eliciendo, profunda & obſcura eius elucidantem, prædicantem, delectabiliterque guſtantem, *vt inueniam te foris*, id eſt videam te, in aſſumpta humana natura viſibiliter apparentem & inter homines conuerſantem: *Et deoſculer te, Deum ex* me natum, mei vteri virginei fructum ſpecioſiſſimum





& pretioſiſſimum, cum maxima charitate & ingenti reuerentia. Et iam hoc facto ex me, & per me *nemo me deſpiciet*: tanquam ſterilem, imò beatam me dicent & honorabunt omnes generationes, tanquam matrem, ſororem, ſingularémque ſponſam & vnicam amicam Dei incarnati. *Quis etiam det*, mihi, *vt inueniam te foris*, ab vniuerſis & ſingulis hominibus, etiam gentilibus debitè honorari & coli, & in exterioribus eorum factis & moribus agnoſci: Quo facto, *iam nemo deſpiciet*, id eſt, nullus credẽtium me aſpernabitur, imò tanquam Dei matrem venerabitur.

Eya ora pro nobis, vt nobis etiam præſtetur vnigenitum tuum Dei Filium (qui eſt ſecundum diuinam ſuã maieſtatem Deus, Dominus & creator noſter) contẽplari & agnoſcere *fratrem* noſtrum per noſtræ naturæ in vnitate perſonæ aſſumptionẽ & coniunctionem cum ſua diuina perſona *ſugentẽ vbera tua*, (quæ es mater noſtra & Aduocata) & gloriantem ac ſe delectantem in documẽtis legis Euangelicæ, & in donis ac bonis Dei Patris, atque Eccleſiæ militantis: ac inſtar *ſugentis*, profundiora Scripturarum myſteria, ex eadem elicientem, & nobis per vnctionem Spiritusſancti hæc manifeſtantem. Impetra etiam vt eundem fratrem noſtrũ & Dominũ *inueniamus foris*. i. etiam in exterioribus occupationibus, & actiuæ vitæ exercitiis memores ſimus eius: tãquã perfecti ſimus in ſapientiali cognitione, in charitatis feruore, & in omni virtutum ſtabilitate, vt ab ipſius contemplatione & actuali dilectione, à mentis recollectione & oratione interna non impe-

diamur per externa:imò manducando,laborando,cũ hominibus cõferendo,ſemper memores ſimus eius,& omnia coram ipſo faciamus ordinatè.Atq; vtinã tuis precibus efficias vt hunc etiã fratrẽ noſtrũ, omniũ Creatorẽ glorioſiſſimũ,*inueniamus foris*,i.in cũctis ſenſibilibus creaturis:ex ſingulis earũ, ipſius ſapientiã,maieſtatẽ & excellentiã immenſam ſyncerè contẽplantes, adorantes,deuotè laudantes, & totis ſemper viribus honorantes: ſicq; ex his ad interiora rapiamur, & ipſum *deoſculemur*,totiſq; aſtringamur pręcordiis,& præcordialiſſimis amplectamur viſceribus. Et ex hac tam familiari & amoroſa cum eo adhæſione, deoſculatione ac cõmunione ſic dignificemur:vt *iam nemo*, queat rationabiliter nos aſpernari tanquam infideles illi cœleſti ſponſo.Vtinã inſuper,*inueniamus eum foris*, id eſt,in proximorum conuerſatione ac moribus:ſic vt in eorum vita,verbis & apparatu, inueniatur & reluceat grata & pia præſentia ſponſi,quatenus ipſe honoretur ab eis,& alij ædificẽtur in eis: & de tali inuẽtione,tã cordialiter gaudeamus ac gratias ipſi ſpõſo agamus, vt præ vehementia pij amoris toti in eum reſoluamur, & nos ipſos ipſi intimè applicemus.

6 Aue MARIA virgo beatiſſima, quæ,*apprehendiſti vnigenitum tuum,& duxiſti in domũ matris tuæ,& in cubiculũ genitricis tuæ.* Nam dulciſſimum Filium tuum iugiter *apprehendiſti*: ſpirituali apprehenſione, contẽplando, diligendo brachiiſq; charitatis ſtringẽdo illum: corporaliter etiam ipſum apprehendiſti ad lactandum, ad deferendum,ad amplectendũ





& oſculandum,ac deducendum Nam diebus tuæ purificationis impletis, duxiſti eundem Filium tuum ad templum,quod fuit domus Synagogæ matris tuæ ſecundùm carnem.Et in quo templo fuit ſancta ſanctorum quaſi cubiculum eius.Denique lætis oculis in hora Aſcenſionis eiuſdem Filij tui,deduxiſti eum aſcendentem ad cœleſtem Hieruſalem matrem tuam, & ad thronum gloriæ velut ad cubiculum eius interius.

Eya ora pro nobis,& impetra,vt & nos Filium tuum fratrem noſtrum & ſponſum *apprehendamus* brachiis charitatis,& cordis affectu ſtringamus: *Et ducamus eum in domum matris noſtræ*, id eſt, triumphantis Eccleſiæ aſpirando atque per fidem & contemplationem illuc nos eleuando, atque tandem pariter cum ipſo aſcendendo:Et in *cubiculum eiuſdem genitricis noſtræ*,id eſt,in ſecretarium eius, & ad contemplatiuarum mentium oſcula & amplexus.

8 Aue MARIA illuminatiſſima & docilima virgo: *quam* increata ac genita ſapientia Patris Filius tuus *docuit* in hac vita omni hora inſtructione & vnctione interna:Et nũc in ſuprema Hieruſalem te ſupereminẽter ſua beatifica vſione *edocet*, ac de affectibus ſuis ac ſecretis myſteriis tam excellentiſſimè te informat, vt vniuerſi ſpiritus Angelici à te purgentur,illuminentur & perficiantur.

Eya ora pro nobis, vt idem Filius tuus nos in ſtudio & exercitio contemplationis & charitatis conſtitutos & ocupatos dignetur pleniùs *docere*, de pertinentibus ad ſalutem: vt efficaciter ſciamus qualiter nos

inter proximos oporteat conuerſari, ſic vt cuncti ædificentur in nobis, & ex nobis *doceat*, etiam nos de ſuis myſteriis: & ad contemplandum humiliter & deuotè ſublima ſuæ diuinitatis nos illuminet & inſtruat.

9 Aue MARIA peccatorum & miſerorum refugium & Aduocata potentiſſima, *quæ dilecto Filio tuo dediſti*, & adhuc ſæpiùs das *poculum ex vino conditum*: dum tribuis ei multiplicis iucunditatis materiam de conuerſione & ſaluatione innumerabilium transgreſſorum, impiiſſimorúmq; hominum tuis precibus & exemplis conuerſorum, *præbes etiam illi muſtum malorum granatorum tuorum*, id eſt, recentem lętitiam de conuerſione glo-ria & triumpho perfectorum filiorum tuorum, hoc eſt contemplatiuorum, & feruidorum tibi deuotorum.

Eya age quod agis, & de noſtra & peccatorum atque tibi deuotorum filiorum tuorũ, conuerſione, profectu & triumpho propina Filio tuo poculum lætitiæ & iucunditatis. Impetra etiam vt & nos demus eidem Filio tuo, *poculum ex vino conditum*, id eſt, operationem ſibi delectabilem exerceamus & offeramus, ex aliorum eruditione, conuerſione & deuotione ſalubri. *Et muſtum malorum noſtrorum*, id eſt ſpiritualem inebriationem feruentium deſideriorum noſtrorum & proximorum ipſi cum omni gratiarum actione aſcribamus, ſciẽtes & profitẽtes quòd omnia bona noſtra ac merita ſunt eius munera & dona.

10 Aue MARIA fœliciſſima Dei mater & virgo, & gaude, quia *dilecti filij tui læua ſub capite tuo ſemper* in hac vita *fuit*, & nunc *dextera*





*tera eius te amplexatur*. Nam & hîc per chariſmata gratię: per cõſolationes internas, & per abundantiam meritorum, ipſe mentem tuam copiosè fulciuit: & nunc in cœlis familiariſſimè ac iucundiſſimè, *ſua dextera te amplexatur* & potiorũ bonorũ ſuorum fecit participem.

Eya ora pro nobis, & impetra vt etiam *ſub capite noſtro*, Filius tuus læuam ſuam ponat, mentem noſtram nunc piè ſuſtentans, conſeruans ac roborans per beneficia huius vitæ, per dona gratiæ ſuæ, per Sacramẽta Eccleſiæ, per conſolationem internam, per bonorum futurorum fiduciam, per feruorem & alacritatem in eius obſequio: & tandem in cœlis *nos amplexetur dextera ſua*, id eſt, glorioſa præſentia ſua & poteſtas piiſſima. Ad quod efficaciùs obtinendũ, nos interim omnem adulterinam, vilem & carnalem conſolationem reſpuamus: negligentiam omnem & torporem abhorreamus: & corã Deo ambulemus reuerenter: cuſtoditè, & purè.

11 Aue MARIA glorioſiſſima Dei mater & virgo, quæ per incomparabilem quotidianũ profectũ in omni ſapientia, virtute, dono, fructúq; ſpiritus, *aſcendiſti de deſerto* huius ſeculi, ad amorem & cõtẽplationem diuinorum, *delitijs affluens*. i. ſpiritualibus gaudiis & conſolationibus abundans etiam in aduerſis *innixa ſuper dilectum* filium tuum, hoc eſt, pietati, opi, & gratiæ eius, non propriis tuis viribus ſemper innitens & confidens. Quæ etiam in Aſſumptione tua *aſcendiſti* de hac lachrymarum valle in cœlum, *delitijs* infinitis *affluens*, & pleniſſimè *innixa ſuper dilectum tuum*, qui te cum ingenti admiratione & con-

gratulatione omnium ciuium ſupernorum, ad excellentiſſimam fœlicitatem ac gloriam perduxit: ſuper vniuerſam cœlorum militiam te collocans.

Eya ora pro nobis, vt & nos de ſęculo iſto nequam à Deo derelicto, de conuerſatione terrena, de conſortio iniquorum, ad amorem & intuitum ſupernorum ac diuinorum, &ad conuerſationem cœleſtem aſcendamus, *affluentes delitijs*, contemplando fideliter, ſapientialitérque cernendo, ac dulciter prægustando ſponſi cœleſtis pulchritudinem, dulcedinem & beatitudinem & intimè congratulando eidem: ponderando quoq; beneficia eius & promiſſa: *innixi ſuper eundem dilectum*, & tranſitoriis ſpretis tota affectione ei adhærentes: atq; propria deffectuoſitate penſata, illius auxilio cum omni humilitate confidenter innitentes.

12. Aue MARIA dilectiſſima Dei mater & virgo: & gaude, quia *ſub arbore malo*, id eſt, ſub cruce ſua, *Filius tuus te ſuſcitauit*, dum virtute & merito paſſionis ſuę ab omni peccato te præſeruauit & ſublimiori modo quã alios ſaluauit. *Ibi* autẽ, i. in Chriſti crucifixione, *corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*, i. Synagoga, de qua nata es, quæ ſuis ſceleribus corrupit, & violauit ſeipſam, negando, abiiciendo, & ad mortem tradendo ipſum Dei vnigenitum, Sponſum, Regem & Saluatorem ſibi deſuper miſſum.

Eya ora pro nobis, vt & nos Filius tuus merito ſuæ paſſionis & crucis, quam noſtri amore pro nobis ſuſtinuit, ad gratiam & ſalutem iugiter ſuſcitet & reparet: à ſomno peccati,



cati, & omni pigritia nos excutiat: & faciat vt conſideratione dilectionis & paſſionis ſuę inflammati, ſalutem noſtram cum metu, timore & tremore operemur: ſtudeamúſque illi eſſe grati, & ipſius ſequamur veſtigia, crucifigendo ſpiritualiter noſipſos: & eius exẽplo obediendo ac patienter viuendo vſq; ad mortem: ne ſi aliter fecerimus, ſub cruce per ingratitudinem noſtram corrumpamur: & ſaluberrima Dominicę paſſionis medicina ſit occaſio maioris damnationis nobis eam non recolentibus nec imitantibus.

*Corona quarta Coronæ tertiæ decimæ.*

1 Aue MARIA affectuoſiſſima & condolentiſſima mater Dei & virgo, quæ excellentiſſimè & perfectiſſimè *poſuiſti dilectum tuũ vt ſignaculum ſuper cor tuum, & vt ſignaculum ſuper brachiũ tuum.* Quia: profundiſſimè & prorſus indelebiliter cordi tuo impreſſiſti ſanguineíſque literis inſcripſiſti vnicum Filium, tuum, omnémque eius delectationem ad nos amariſſimam paſſionem ipſius pro nobis, cęteráque eius myſteria: atque totis viribus eidem paſſioni te efficaciter conformaſti, abnegans in omnibus teipſam, crucem tuam quotidie tollens, & ipſum in omnibus virtutibus ſequens & imitans.

Eya ora pro nobis, vt & nos ponamus Saluatorem noſtrum *vt ſignaculum ſuper cor noſtrum, vt ſignaculum ſuper brachium noſtrum*: ſic vt ipſum & omnia quæ pro nobis aſſumpſit pertulit ac fecit, cordi noſtro indelebiliter imprimamus, cogitemus, & recogitemus: & quotidie diligenter

réuoluamus, ad recordandum, ad cōpatiendum, ad imitandū & conformandū nos amaritudini paſſionis eius, & virtutibus quas in ea exercuit & monſtrauit, præſertim, humilitati, patientiæ & charitati. Ad cōgratulandū & gratias agendū pro fructibus & effectibus eiuſdem paſſionis. Et ad contēplandum altitudinem conſilij ſapientiæ ſupergloriosiſſimæ Trinitatis ſuper modo redēptionis noſtræ: ſic vt totaliter Chriſto cōfigamur & ei totis viribus obſequamur, atq; in omni vita & actionibus noſtris & exercitiis, ipſius amor, paſſio, & virtutes reluceant, ſicut ſignaculum apparet in re cui eſt impreſſum.

2 Aue MARIA conſtantiſſima Dei mater, cuius erga Filium Deūm, *dilectio fuit fortis vt mors*: quia pro nulla aduerſitate, tribulatione, imò neque pro morte effugienda, ab eo receſſiſti, neque ab eius charitate ſeparari potuiſti. *Aemulatio quoque tua*, id eſt, zelus Dei, ſeu diuini honoris zelatio, *dura fuit vt infernus*, quia te excitauit & induxit ad aggrediēdum ardua & tolerandum in corde tuo duriſſima paſſionis Filij tui ſupplicia, & ad imitandum eius humilitatem, paupertatem, patientiam, continentiam & obedientiam vſq; ad mortem: quæ omnia his qui charitatem non habent, videntur eſſe inſtar ſupplicij infernalis, quaſi intolerabilia.

Eya ora pro nobis, & inpetra ſpiritualem dilectionem erga Filium tuū *fortem ſicut mors*: quę faciat nos paratos pro ipſo mori, & malle mortem ſubire, quam ipſum offendere: impetra etiam nobis ſanctam æmulationem, & zelum diuini honoris feruentem, qui nos comedat, & in ipſum crucifixum, humilem, pauperem & obedientem transformet, & ardua quæque ac dura pro eius amore & beneplacito aggredi & pati nos faciat.

3 Aue MARIA virgo feruentiſſima & deuotiſſima: *cuius lampades*, id eſt, feruidæ charitatis tuæ inflammationes fuerunt *lampades ignis* atque *flammarum* quia valdè arſerunt in ſe: & flammigera protulerunt verba, virtuoſáque opera, alios quoque accenderunt & adhuc accendunt. *Aquæ* etiam *multæ*, id eſt, perſecutiones & aduerſitates, *non potuerunt extinguere charitatem tuam* perfectam, imò eam valentiorem, vigoroſiorem & conſtantiorem reddiderunt, *nec flamma*, id eſt, abundantia & impetus impugnationum & tentationum, *eam obruere potuerunt.*

Eya ora pro nobis, vt & noſtræ charitatis *lampades ardeant* in nobis, & proximos illuminent & accendant, nullíſque aduerſitatibus aut perſecutionum fluctibus charitas noſtra erga Deum extinguatur aut obruatur. Pro qua obtinenda *ſi dederimus omnem ſubſtantiam domus noſtræ, quaſi nihil deſpiciemus eandem ſubſtantiam*, id eſt, totam noſtram poſſeſſionem nullius reputabimus eſſe momenti aut valoris, reſpectu dilectionis ſpiritualis & diuinæ, cum cœperimus deguſtare eius dignitatem, effectúſque ſaluberrimos: & experiri qualiter mētem vniat Deo, & promereatur diuinæ dulcedinis guſtum, animi libertatem, diuinorum contemplationem, ac transformationem in fontem omnium bonorum. His enim guſtatis, facilè excitabimur ad contemptum & faſtidium

dium omnium terrenorum : & inuenta hac pretioſa margareta, vendemus omnia quæ habemus vt eam emamus.

4 Aue MARIA virgo ſacratiſſima, de qua, cum adhuc eſſes in annnis infantiæ, nondum apta concipere Regem, Meſſiam: verbum vnigenitum Dei Patris potuit ad Angelicos ſpiritus beatos dicere. *Soror noſtra virgo* MARIA *paruula eſt* ætate, *& nec dum habet vbera.* Quid faciemus *ei in die quando alloquenda eſt* per Gabrielem Archangelum, annunciantem ei Incarnationis myſterium in ipſa, & ex ipſa, & per eius conſenſum eſſe complendum. *Si* (pro, quia) *murus* eſt, firmus & confirmatus in bono per gratiam *ædificemus ſuper eam propugnacula argentea*, per profectum & augmentum in omni ſapientia & virtute ad expugnandum inuiſibiles hoſtes & conterendum caput antiqui ſerpentis. *Si oſtium* eſt, id eſt, quia vtique oſtium eſt, per quod Saluator mundi venturus eſt in carne aſſumpta ad genus humanum: & per ipſam tamquam per piiſſimam portam omnibus patentem & apertam omnes habituri ſunt acceſſum ad Saluatorem & iudicem mundi: quia, inquam, tale eſt oſtium *compingamus illud tabulis cedrinis*, id eſt, latitudine charitatis, plenitudine pietatis, ornatu ac permixtione omnium diuinorum chariſmatum: quatenus verè acceptiſſima ſit, vt exiſtat Regina miſericordiæ, Genitrix gratiæ, Aduocata piiſſima, refugium miſerorum, ſpes deſolatorum: ad ſuccurrendum omnibus ad protegendum, & ad ſaluandum potentiſſima,





& opulentiſſima.

Eya ora pro nobis, qui verè *paruuli*, puſilli, imperfecti, & in ſtatu incipientiũ quodámodo poſiti ſumus, & *vbera*, id eſt, abundantiam illuminationis & charitatis *necdum habemus: vt in die quando alloquendi ſumus*, id eſt, quando dignabitur ſponſus cœleſtis inuitare nos ad ſpiritalem ſuum amplexum, & perfectionem internam: *ſi iam muri* ſumus & per virtutes morales conſolidati, *ædificet ſuper nos argentea propugnacula*, id eſt, infundat nobis illuminationes ſecretas ſapientiæ & ſcientiæ & intelligentias ſcripturarum in arduis locis. *Si verò ſumus oſtium* id eſt, tante perfectionis vt per noſtrum ducatum & directionem, alii poſſint introduci ad ſponſum, ipſe *compingat nos tabulis cedrinis*, id eſt actibus pietatis ſupernæ, vnctionis internæ, fraternæ charitatis, & donorum perfectionibus.

5 Aue MARIA conſtantiſſima virgo, *quæ verè* fuiſti *murus* per gratiæ afluentiam & confirmationem in bono, per firmum quoque propoſitum ſeruandæ virginitatis. *Et vbera tua* ſpiritualia vtpote ardentiſſima deſideria de Meſſiæ aduentu, de mundi redemptione, de ſpirituali tuo profectu, & præſertim de omnipotentis Dei debita in omnibus & a cunctis honoratione, fuerunt *ſicut turris* magna, ſublimia & fortia: non ex propria tua virtute, ſed *ex quo facta es coram eo cœleſti ſponſo quaſi pacem reperiens*, id eſt, gratioſiſſimè à Deo præuenta, & in eo maximè tranquillata, omnino cõcors & vnanimis cũ eo facta, tan-

quam conſiliaria & ſecretaria eius primaria.

Eya ora pro nobis, vt & nos ſimus *murus* in bono propoſito, firmi & conſtantes: & deſideria noſtra ſint *tanquam turris*, pertingentia vſque ad ſpõſum cœleſtem: quod petimus & expectamus non pręſumptuosè, quaſi ex propriis meritis. ſed ex gratia ſponſi. *Ex quo facti ſumus coram eo quaſi pacem reperientes.* i. quoniã ipſe nos miſericorditer præuenit, & reconciliauit patri æterno, & iam pręſtitit nobis aliqualem pectoris pacem.

6 Aue MARIA fœcundiſſima virgo Dei mater: quæ fuiſti *vinea pacifico in ea quæ habet populos*: quia fuiſti vitis fertiliſſima, eminẽtiſſimè deputata & conſecrata, vero pacifico Chriſto, altiſſimo humani generis recõcilia tori: & hoc *in terra* hac, in qua omne genus hominũ cõmoratur, & tu *omnes populos*, pręſertim credẽtes, habes tibi ſubditos & cõmiſſos.

Eya ora pro nobis, vt & nos ſimus *filio tuo pacifico* & reconciliatori noſtro *vinea fructuoſa*, abundantes botris, id eſt actibus virtuoſis ſpiritualiter refectiuis, & charitatis feruore inebriatiuis, *habeamus etiam populos* multos, diligendo proximos omnes & pro eorum ſalute orando, zelando, & laborando.

7 Aue MARIA præſtantiſſima virgo, quam velut vineã ſuã dilectam *tradidit* Chriſtus pacificus, *cuſtodibus*, id eſt, Angelis ſanctis cuſtodiendam, non vt non peccares (quia ſic cõfirmata fuiſti in gratia, quod nec venialiter peccare poteras) ſed ad reuerentiã tuam, & ad conſolationem, profectum & obſequium.

Eya ora pro nobis, vt per Angelos ſanctos noſtri cuſtodes, per prælatos bonos, & per vigilantem cordis noſtri cuſtodiam, vinea animæ noſtræ ab omni peccato & periculo cuſtodiatur & præſeruetur.



8 Aue MARIA vitis vera & fructifera: *pro cuius fructu vir affert mille argenteos*, id eſt vir quicunque fidelis & perfectus, præſertim religioſus, pro obtinendo & poſſidendo nunc per fidem & gratiam, ac demum in regno per gloriam, benedicto fructu ventris tui IESV Chriſto, *affert mille argenteos*, hoc eſt, cuncta temporalia bona ſua exponit, relinquit & largitur pauperibus ad gloriam Dei. Quilibet etiam fidelis deſiderio & amore complacendi tibi (ô virgo beatiſſima) & videndi te perpetuè in gaudio æternali, libenter relinquit & præſtat pauperibus ſua terrena.

Chriſtus quoque vir ſummus confert pro fructu culturæ & honorificentiæ tibi matri ſuæ exhibitæ, præmium gloriæ copioſum, *per mille argenteos* ſignificatum.

Eya ora pro nobis, vt tam pro poſſidendo fructu ventris tui, quàm pro complacendo tibi & honorando te debito cultu, libenter omnia terrena cõtemnamus, relinquamus, & pauperibus largiter erogemus quicquid potuerimus.

9 Aue MARIA præelectiſſima virgo, de qua ſponſus cœleſtis conuenienter dixit, *vinea mea coram me eſt*: quia tu ab æterno valde ſpecialiter fuiſti in prædeſtinatione & in luce ſapientiæ, atque in bonitate complacentiæ: vnigeniti filij Dei, & ipſe gratioſiſſimè fuit ſemper tecum, ſpecialiſſimam curam habens tui: in aſſumpta quoq; humanitate, filialiter ac familiariſſimè tecum eſt cõuerſatus.

Eya ora pro nobis, vt idem cœleſtis ſponſus & Dominus ſpecialem noſtri curam & prouidentiam habeat, & principalis cuſtos noſtris ſemper permaneat, in animabus noſtris inuiſibiliter operando, gratiam & virtutes infundendo, conſeruando ac perficiendo & ad meliora ſemper mentem inſtigando, voluntatemque accendendo: & intùs per fidem & charitatem plenè regnando.

10 Aue MARIA benigniſſima Domina, cuius *pacifici ſunt mille*, id eſt, multi valdè ac penè innumeri ſunt quos tu Deo pacificaſti, aut qui alios faciunt tibi concordes ac ſubditos, conuertendo eos ad tuum obſequium & amorem, vel etiam qui pacem in ſe conſeruando, & in aliis reformando pacificè viuunt. *Et ducenti fructus*, id eſt, duplex remuneratio & præmium, reſeruantur & dabuntur *his qui cuſtodiunt fructus eius*, id eſt prælatis Eccleſiæ cuſtodibus qui temporalia & ſpiritualia bona communicant & impendunt ſibi commiſſis.

Eya ora pro nobis, vt inter tuos pacificos numero & merito computemur, per te reconciliari filio tuo & ſolliciti alios ad tuum cultum conuertere, & cum omnibus pacificè conuerſari.

11 Aue MARIA mundiſſima & illuſtriſſima virgo: quæ *habitas in hortis*, id eſt in ſpiritualibus contemplationibus & affectionibus, in mentibus puris, deuotis, fructuoſis ac floridis: in congregationibus reliogioſis, in ſanctarum virginum collectionibus, in exuberantiis ſpiritalium deliciarum, & in manſionibus ſupernis. *Tuamque vocem amici auſcultant*, quia vniuerſi te & Deum amantes ac venerantes, tuam vitam, ſanctitatem ac dignitatem, tua pijſſima geſta & miracula, tuaque eloquia cupidè audiunt, gaudioſè aduertunt: teque æternaliter intueri, audire & preſentem habere ineffabiliter cócupiſcunt. Sed & ipſe cœleſtis ſponſus te *audire* deſiderat tibi dicens: *fac me audire vocem tuam*, id eſt, mutuo colloquamur, quia in verbis ſanctiſſimi oris tui delector, laudes quas exhibes Deitati, audio gratulanter: & orationes quas pro fidelibus & impijs fundis, amoroſè percipio.





Eya ora pro nobis, dignare in mentibus noſtris tuo interuentu purificatis & ornatis tanquam *in hortis habitare*: fac nos libenter audire vocem tuam & virtutum tuarum ſectari veſtigia. Impetra etiam vt habitemus in *hortis* puræ conſcientiæ & tranquillæ mentis in fructibus, floribus & delectationibus virtutum, & in cœleſtibus manſionibus per deſiderium & contemplationem, fac inſuper vt conſiderantes quòd Angeli & prælati noſtri omneſque nos ſpiritualiter amantes, & noſtræ ſalutis amatores, *audiunt vocem noſtram*, id eſt aduertunt & conſiderant verba & actus noſtros & deſiderant ac delectantur nos virtuoſè occupari: verecundemur coram talibus ac tantis viliter, otioſè, inhoneſtè aut turpiter nos habere, & conemur ſemper boni aliquid agere: denique impetra vt tam reuerenter & attentè in orationibus noſtris ſponſum cœleſtem alloquamur, tam purè ac fecundè in hymnis pſalmis & canticis ſpiritualibus ipſum

collaudemus, tam diſcretè alios exhortemur & inſtruamus, vt in omnibus iſtis delectetur ſponſus vocem noſtram audire.

12 Aue MARIA virgo & mater Dei amabiliſſima: Quæ communem omnium ſalutem deſiderans dixiſti filio tuo, *fuge dilecte mi*, & per glorioſam aſcenſionem tuam ſcande in cœlum, vt illuc te ſequar, & me illuc perducas, *fuge* etiam & celeriter perge ad gentium conuerſionem, relicta Synagoga propter ſuam perfidiam & obſtinationem, *fuge* à cordibus reproborum & ingredere corda electorum, fuge à valle iſta plorationum ad æternitatis beatitudinem: & illuc trahe me poſt te: ac meritis tuis & meis precibus Eccleſiam militantem protege, illumina, reforma & perfice, & hæc omnia velociſſimè peragendo, *aſſimilare* & te ſimilem oſtende, *capræ hinnuloque ceruorum* quæ ſunt beſtiæ valdè veloces: *fuge* inquam *ſuper montes aromatum*, id eſt ſuper cœlos aſcende, & in cœlo empyreo reſide, ac ſuper omnes ordines Angelorum (qui ſunt montes aromatum, pleni delitiis gloriæ, & ſuauiſſimis odoribus virtutum) ad dexteram patris reſide, & illuc me & Eccleſiam tuam militantem poſt te trahere & perducere digneris.

Eya ora pro nobis, vt tecum nos filius tuus ad iſtos montes aromatum, ad ſupernorum ciuium fœlicitatem, & pacem quæ omnem ſenſum ſuperat, citiùs trahere & per ſua merita, preceſque tuas perducere dignetur, ad laudem & gloriam Dei patris omnipotentis: cum quo & Spirituſancto, viuit & regnat Deus ſuper





omnia ſublimis & benedictus in ſecula. Amen.

*Deo gratias & Dei genitrici.*

*Quæ ſequuntur, deſumpta ſunt ex cap. 24. Eccleſiaſtici, & legi ſolent in feſtis beatiſsimæ virginis Mariæ Dei matris.*

*Coronula quinta decimæ tertiæ Coronæ.*

1 Aue MARIA, piiſſima humani generis Aduocata: quæ vniuerſorum cupiens ſalutem: *in omnibus requiem quæſiuiſti*, id eſt, in omnium cordibus per piam memoriam, virtuoſam imitationem, & dulcem dilectionem habitare & quieſcere concupiſti, & adhuc iugiter concupiſcis, *& in hæreditate Domini*, id eſt in virtuoſis ac electis fidelibus tibi deuotis, *moraris* & habitas.

Eya vtinam aſcribas & retineas nos in horum electorum numero, in quibus requieſcis ſtabiliter, & per gratioſam aſſiſtentiam commoraris, vtinam iugiter tui recordemur virtutes tuas imitemur, & te ſyncerè diligamus.

2 Aue MARIA digniſſima Dei mater, & & virgo, *in cuius tabernaculo Creator omnium, qui te etiam creauit, dulciter requieuit*: quia verbum æternum, per quod omnia facta ſunt: vnigenitus Dei patris, factus pro noſtra ſalute homo, per naturam humanam ex te aſſumptam, nouem menſibus, in tuo virginali vtero requieuit: in thalamo etiam mentis & conſcientiæ tuę, gratioſiſſimè & indeſinenter pauſauit.

Eya ora pro nobis, vt dignetur filius tuus in tabernaculo corporis noſtri,tuis precibus & meritis caſtificati & mortificati, requieſcere : ſic vt ipſum glorificemus & portemus in corpore noſtro : dignetur etiam in thalamo mentis & conſcientiæ noſtræ purificatæ,gratioſè commorari.

3 Aue MARIA ſacratiſſima Domina *cui creator omnium præcepit* commiſit & dixit, *vt in Iacob inhabites*, id eſt,in tota Eccleſia militante & contra mundum, carnem & diabolum luctante,commoreris, occupans, protegens & gubernans corda fidelium : *Et vt in Iſrael hæredites*, id eſt contemplatiuos religioſos,& ſpirituales quaſi hæreditariè poſſideas,tanquam eorum mater,regina & aduocata:ipſi quoque te poſſideant per dilectionem puram,feruentem & indeſinentem, tanquem ſerui & filij tui chariſſimi. Atque etiam *vt in electis Dei*, ab ipſo prædeſtinatis, *mittas radices*, id eſt impetres eis ſtabilia dona gratiæ & virtutum:per quæ perſeueranter atque finaliter radicentur in Deo, & fructum producant virtutum : tu quoque in eis firmiter quaſi radiceris & fructifices:& ipſi tibi ſemper cohæreant.

Eya age quod agis & quod tibi à Deo mãdatum & cõmiſſum eſt, Eccleſiam militantem & nos,contra vitia & noſtræ ſalutis hoſtes luctãtes,gratioſè inhabita protege & guberna, fac nos ſpiritales & contemplatiuos,vt nos tanquam hæreditatẽ tuam poſſideas,excolas & fructuoſos facias, impetra nobis ſtabiles gratias & virtutes, quibus perſeueranter radicemur & fructum bonorum operum

affera



afferamus in Chriſto:tibique ſemper cohæreamus.

4 Aue MARIA electiſſima virgo,quæ *ab initio* æternitatis & *ante omnia ſæcula* & tempora, *creata es*, per prædeſtinationem,id eſt, creari præuiſa es,& prædeſtinata vt eſſes mater vnigeniti Dei,& Domina mundi,aduocata Eccleſię,& regina Angelorũ ac hominum: *& vſque ad futurum ſeculum non deſines*, id eſt perpetuè manebis fœlix,glorioſa &prępotẽs: *Quæ etiam in habitatione ſancta coram Deo miniſtraſti*,quia & dũ adhuc eſſes infantula,à parentibus tuis es oblata in templũ habitationẽ Dei ſanctam,vbi deuotiſſimè & Deo miniſtraſti & ſeruiſti:& poſtmodum in primitiua Eccleſia, vniuerſis & ſingulis fidelibus miniſtraſti & præbuiſti perfectiſſimę conuerſationis exẽpla,*coram Deo*,hoc eſt,pura intentione ad Dei honorẽ & gloriam:quæ etiam coram filio tuo vero Deo , ſæpius ei miniſtraſti, & maternæ pietatis obſequia exhibuiſti.

Eya ora pro nobis,vt te ab æterno prælectam,& ſine fine beatam,ſingulari veneratione ſemper veneremur : & virtutum tuarum exempla quæ nobis ad imitandum miniſtraſti,ſectantesq; ipſi etiam miniſtremus aliis coram Deo & intentione ei ſoli placendi bonorum operum fructus : *in habitatione ſancta* hoc eſt, in Eccleſiæ catholicæ fide & vnitate permanentes.

5 Aue MARIA virgo beatiſſima quæ *in Syon firmata es*, id eſt, in Eccleſia ſpeculante diuina, facta es firma & potens, vt pote adimpleta omni virtute & gratia ad ſubueniendum fidelibus cunctis. *Et in ciuitate*

*ſanctifica*

*ſanctificata*, id eſt, in Eccleſia Catholica ad diuinum cultum electa, & à Chriſto mundata & ſanctificata in lauacro baptiſmi *ſimiliter requieſcis* per piam & gratioſam aſſiſtentiam & ſubuentionem quam omnibus verè catholicis Deum colentibus exhibes. *Et in Hieruſalem eſt poteſtas tua*: quia tam in triumphanti, quam in militãti Eccleſia primatum ſortita es authoritate materna: quæ affecta es vera Dei mater: propter quod cunctis etiam Angelicis ſpiritibus prælata es, illos purgans illuminans & perficiens. Regnum quoque miſericordiæ tibi commiſſum eſt in Eccleſia militante: vnde & regina miſericordiæ vocaris, & cunctis inuiſibilibus hoſtibus imperas.

Eya vtinam tuis precibus & meritis adiuti, Simus *Syon* diuina ſpeculantes, & deuota contemplatione in cœleſtibus habitantes: Simus *ſancti* & ab peccato, preſertim mortali, purificati: Simus denique *inſpectores*, amatores & ſectatores pacis internæ, fraternæ & æternæ: vt tu in nobis firmam & ſtabilem habeas manſionem & dulciter requieſcas: & tuam poteſtatem (quam veneramur & cui nos humiliter & ſponte plenè ſubijcimus) oſtendas in repreſſione hoſtium noſtræ ſalutis & exhibitione effectuum miſericordiæ tuæ ſuper nos.

6 Aue MARIA virgo benedictiſſima & glorioſiſſima, quæ *radicaſti*, & radicare non deſinis *in populo honorificato*, id eſt, populo Chriſtiano, quem Chriſtus per tot beneficia, priuilegia, miracula, ſacramenta, gratiarum chariſmata: honorificauit & præ cunctis gentibus mirabiliter exaltauit: ſuo nomine illum vocans & ſibi incorporans, in quo tuis precibus, exemplis & meritis, virtutum ac gratiarum radices, fundamenta & fœcundationes ponis, impetrans ei radicationem & ſtabilitionem in omni gratia, & reformationem pijſſimam ac confortationem in bonis. *Et hæreditas illius* populi Chriſtiani, *eſt in partes Dei tui*, quia hæreditaria portio & ſalus eius conſiſtit in partibus ſeu manſionibus domus cœleſtis Dei tui creatoris & filij. *Tua* etiam *detentio eſt in plenitudine ſanctorum*: quia in vniuerſali congregatione virtuoſorum, & inter ſanctos & tibi deuotos detineris libenter perſeueras: in talibus enim beneplacitum eſt tibi.

Eya ora pro nobis, & impetra firmas radices & habitus ſtabiles in omni gratia & virtute, quibus ornati & exercitati perueniamus tecum ad cœleſtium manſionum hæreditatem: & tu delecteris nobiſcum detineri & perſeuerare.

7 Aue MARIA virgo ſublimiſſima, quæ *quaſi Cedrus exaltata es in Libano*: quia ſicut arbor cedrus in monte libano eleuatur creſcendo in altum, & dulciter redolet, imputribiliſque exiſtit: ſic tu in Eccleſia Catholica, præ cunctis puris creaturis deuotè honoraris: ſublimiter hyperduliæ cultu coleris: & cunctis es dulcis, atque ab omni corruptione culpæ & reprehenſibilitatis prorſus aliena. *Tu* etiam es, *Quaſi Cypreſſus in monte Syon*: quia ſicut illa arbor in monte Syon ſublimiter eminet, & nulli oneri cedit: Sic tu in populo Chriſtiano Deum per fidem ſpeculante, cæteris

cæteris,eminẽtior,robuſtiſſima & ſolidiſſima ſẽper mãſiſti, nec vlli vnquã vitio ceſſiſti,nulli tẽtationi ſuccubuiſti:imò multiplicẽ confortationem tuis deuotis impetras & tribuis.

Eya ora pro nobis , & fac vt te præ cunctis ſanctis poſt Chriſtum ſingulariùs veneremur : tuæque dulcedinis & pietatis odore recreemur & ſanemur ab omni corruptione: forteſque efficiamur contra omnes vitiorum & hoſtium noſtrorum tentationes & impugnationes.

8 Aue MARIA inuictiſſima virgo, quæ *quaſi Palma exaltata es in cades*: quia ſicut palma in oppido cades in altum creſcens, eſt inferiùs parua,radicem habens amaram in terra latentem : ſuperiùs verò eſt decora,& ſuauis aſpectu præbens vmbraculum,habens folia diuturna.& poma ſuauia cuius etiam ramis coronantur victores : Sic tu in Eccleſia de virtute in virtutem proficiens & in altum creſcens,inferiùs per humilitatem parua fuiſti , & per internam compaſſionem ac pium cordis tui luctum,radicem amaram habuiſti: in mente autem pulcherrimam venuſtatem ac ſuauiſſimos fructus per dona gratiæ & gloriæ obtines , immarceſſibili ſplendore & gloria coronata , atque aſpectu ſuauiſſima, eſque omnibus te inuocantibus vmbraculum à turbine & à pluuia tentationum & concupiſcentiarum.

Eya ora pro nobis, vt & nos per profectum quotidianum in virtutibus creſcamus, ſimuſque humiles , compaſſiui, lugentes, & donis gratiæ decorati,atque per exemplarem conuerſationem aſpectu & odore ſimus pro-

ximis



ximis delectabiles & ſuaues:& ſub vmbraculo tuo ſemper protegamur.

9 Aue MARIA virgo fœminarũ omnium venuſtiſſima quæ *es quaſi plantatio roſæ Hiericho*: quia ſicut roſa,in vrbe Hiericho precipuè creſcens , eſt herba ſummè frigida & ſicca, cuius flos aut rubet, aut multum eſt albus, & multiplicia folia habet , beneque redolet, & ab aſperitate ſpinarum conſurgit , & miro modo contra ſacrum ignem valet, ſiſtitque fluxum ventris:& inde fit aqua roſacea,mitigatiua doloris, & clarificatiua luminis oculorum.Sic tu purarum creaturarum omnium ſanctiſſima & vernantiſſima, ſpiritualiter habes has oẽs proprietates & virtutes. Nam ab omni carnali cõcupiſcentia & humore fœdo prorſus aliena,candida fuiſti per innocentiã: & rubicunda per cõpaſſionẽ:& ab auſteritate vitæ pœnitentialis quã hîc duxiſti ſuauiſſimè olẽtes flores virtutũ edidiſti:tuiſq; exẽplis ac meritis ignẽ cõcupiſcentię in nobis extinguis fluxũ vitiorũ reſtringis, dolores noſtros mitigas, & interiores oculos noſtros clarificas.

Eya hos oẽs roſaceos effectus in nobis clementer & indefinẽter operare,& fac nos tanquam roſas in cõuerſatione noſtra candidos, rubicundos caſtos,& bonæ famæ ac odoris.

10 Aue MARIA virgo piiſſima , quæ es quaſi *oliua in campis*: quia ſicut Oliua in campis & montibus creſcens , iugiter viret, dulcem olei fructuum profert & pacis eſt ſignũ, pietatẽq; & miſericordiã deſignat : Sic tu virgo p̃clariſſima,iugiter p̃feciſti in omni virore ſapiẽtiæ ac virtutũ:& ſuauiſſimũ protuliſti fructũ,dũ nobis omnib⁹ genuiſti reparationẽ

pacis

pacis:noſque iugiter reconcilias Deo, eſque totius miſericordiæ & pietatis mater.

Eya fac nos participes fructus benedicti ventris tui,& per eum nos Deo patri ſemper reconcilia: & impetra vt & nos virentes in virtutibus & pietatis ac miſericordiæ operibus abundantes ſimus.

11 Aue MARIA virgo omnium mitiſſima: *Quæ es quaſi Platanus exaltata iuxta aquam in plateis.* Sicut enim Platanus arbor habet lata & mollia folia inſtar vitis:ſic tua verba & opera fuerunt ſemper & ſunt latitudine charitatis & dulcedinis ampliſſima: & ſub latitudine alarum tuarum,id eſt ſub tuæ pietatis & poteſtatis protectione & ſubuentione, ſuſcipis ac tueris omnes ad te confugientes: & inſtar Platani, ſublimaris ac coleris à Chriſti fidelibus.

Eya ſub tuum præſidium nos confugientes ne deſpicias, ſed à malis & periculis cunctis nos libera & præſerua, & fac vt omnia verba & opera noſtra in charitate & dulcedine perficiamus.

12 Aue MARIA incomparabilis & præſtantiſſima virgo. *Quæ ſicut Cinamomum & Balſamum aromatizans odorem* dediſti & dare non ceſſas. Quia ſicut cinamomum, arbor aromatica, ſubtilem & acutum habet ſaporem,dulcedine mixtum, atque vim confortatiuam: & valet contra ſtomachi debilitatem & indigeſtionem: ſic tu amantibus te, ſubtilem,acutum ac penetratiuũ & ſuauem tuæ dulcedinis guſtum infundis: & eos confortas,vt animarum ſuarum digerant cibum, ſintque animalia munda,meditando ea quæ





Dei ſunt die ac nocte. Sicut etiam *Balſamum* aromatica arbor, valdè ſuauis, regalis, rara & plurimùm pretioſa, vim habet calefaciendi & confortandi: Sic tu fragrantiſſima virgo, ſuauitate famæ, charitatis ac pietatis dulcedine, ſapientiæque fragrantia ſemper redoles & cultores tuos reficis: eſque regia ſtirpe genita, vnica & pretioſiſſima virgo & mater, & tibi deuotis procuras & impetras dilectionis calorem &gratiam confortationis.

Eya ora pro nobis, tuarumque virtutum odore & ſapore nos recrea,ad contemplandum diuina & ſalutaria corrobora, charitatis feruore ſuccende & in omni bono opere conforta & confirma.

*Incipit Corona quarta decima.*

*Coronula prima decimæ quartæ Coronæ.*

1 Aue MARIA virgo caſtiſſima & fœliciſſima, quæ *quaſi Myrha electa dediſti*, & das inceſſanter *ſuauitatem odoris.* Sicut enim optima myrrha amara eſt, & à corruptione præſeruatiua, ac boni diffuſiua odoris: Sic tu compatientiſſima virgo in adorandi filij tui acerbiſſima paſſione plena fuiſti vehementiſſimæ compaſſionis amaritudine: & peccatoribus condolens iugiter, innumerabilibus gratiam compunctionis obtinuiſti & obtinere quotidie non ceſſas: à corruptione etiam peccati præſeruas, & ſuauiſſimum fundis odorem: in tantum vt

piæ memoriæ portam nunquam ſine inſitæ tibi ſuauitatis reſperſione introeas.

Eya ora pro nobis, & impetra gratiam veræ compunctionis, compaſſionis, mortificationis & odoriferæ conuerſationis: & fac nos tecum in recogitatione acerbiſſimæ paſſionis dilectiſſimi filij tui redemptoris noſtri gladio doloris transfigi.

2 Aue MARIA virgo fructuoſiſſima quæ *quaſi vitis fructificaſti ſuauitatem odoris*, id eſt fructuosè emiſiſti ſuauem odorem. Sicut enim vitis in hyeme arida eſt & deſpecta videtur: ſed ſuo tempore viret, frondet, & optimos parit fructus: ſic tu glorioſiſſima virgo, in ſeculo iſto, præſertim tempore perſecutionis & paſſionis filij tui, fuiſti contempta, & extrinſecùs videbaris deſpecta: ſed intùs coram Deo ſemper eras & es virentiſſima, ſuauiſſima & fructuoſiſſima: & tua compaſſione materna multis millibus iniquorum gratiam conuerſionis promeruiſti, & tuæ virginitatis odore ſuauiſſimo innumerabiles perſonas ad ſeruandam ſanctam virginitatem induxiſti.

Eya ora pro nobis, vt curramus in odore vnguentorum tuæ compaſſionis & caſtitatis, ſimuſque mundo deſpicabiles & ſtulti, ſed coram Deo virentes & fructuoſi, compaſſiui & caſti.

3 Aue MARIA virgo omni honore digniſſima, *cuius flores ſunt fructus honoris & honeſtatis.* Quia tuæ ſanctæ meditationes, ſaluberrimæ affectiones, & informatiuæ locutiones contemplationumque tuarum exceſſus & charitatis ardores fuerunt in ſe honorabiles, æternæ retributionis honore præcipuo digni: & proceſſerunt in opera virtuoſa, modeſta, compoſita quibus honor debetur & merces beata.

Eya ora pro nobis, vt etiam noſtræ meditationes affectiones, & locutiones ſint honeſtæ, Deo placitæ, & virtuoſa opera producentes ad Dei gloriam & proximorum ſalutem.

4 Aue MARIA virgo ſynceriſſima, quæ es *mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei.* Sicut enim increata ſapientia harum virtutum eſt mater authoritatiue & cauſaliter ac principaliter eas infundendo per creationem, & conſeruando, nutriendo ac perficiendo: Sic tu meritoriè, inſtrumentaliter & ſecundariè earum mater verè diceris, quia tuis precibus, exemplis & meritis eas nobis obtines, conſeruas, alis & perficis. Atque in primis, impetras *pulchram dilectionem*, id eſt, charitatem & actum ipſius, qui eſt, gratuita dilectio, qua Deum diligimus purè & principaliter propter infinitam bonitatem & amabilitatem ipſius, non autem præcipuè propter dona, vel beneficia ſeu promiſſa eius.

Impetras etiam *timorem* initialem & filialem & *agnitionem* ſeu ſapientialem contemplationem: atque *ſanctam ſpem*, id eſt, piam & ſecuram in aduerſis confidentiam, & formatam futuræ fœlicitatis expectationem ex gratia & meritis.

Eya impetra, conſerua, nutri & perfice in nobis pulchram dilectionem, ſanctum timorem

rem,prudentem &ſapientialem agnitionem, & ſpem firmam ac ſtabilem.

5 Aue MARIA virgo admiranda, *in qua fuit*,& eſt, *omnis gratia vitæ & veritatis*,& *omnis ſpes vitæ & virtutis*: quia in te ſemper fuit & eſt plenitudo gratiæ,vitæ virtuoſę ac ſapientiæ ſalutaris: vnde & ab Angelo ſalutata es, gratia plena: & in hoc ſeculo perfectiſſimè habuiſti ſpem vitæ gloriæ,& immortalis virtutis:& nos confidimus per te noſtræ ſalutis potentem cooperatricem obtinere vitam gratiæ,veritatis cognitionem, vitam & virtutem ac fortitudinem æternam.

Eya ora pro nobis & hæc omnia nobis efficaciter impetra ſicut vis & potes, & à te confidenter petimus & expectamus.

6 Aue MARIA, virgo noſtræ ſalutis deſideratiſſima,quæ tam miſericorditer & dulciter nos inuitas dicens:*Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me,& à generationibus meis implemini*: hoc eſt, O vos omnes qui pura ac ſpirituali concupiſcentia deſideratis mihi placere, & meis virtutibus conformari,méque in regno filij mei conſpicere: *Accedite* ad me per inuocationem pietatis meæ, & per conſiderationem & imitationem mearum virtutum, & præſertim per ſynceriſſimum mei amorem: & à donis & gratioſis effectibus auxilij mei Implemini:omnis enim qui ita accedit ad me, acceptatur à me & adiuuatur per me.

Eya ad te clamamus, ad te ſuſpiramus, te inuocamus atque vtinam te ſincerè & ardenter amemus, & ſtudioſè virtutes tuas imitemur, vt à tuis generationibus ſemper im-





pleamur,reficiamur & confortemur.

7 Aue MARIA virgo ſuauiſſima, *Cuius Spiritus eſt ſuper mel dulcis,& hæreditas ſuper mel & fauum*: Quia mens tua rationalis eſt omni pura creatura corporali ac ſpirituali ſuauior, iucundior, melior, amabilior, amoroſior, & benignior: *Et hæreditas* tua, id eſt, gratia & gloria quam nunc poſſides,& cultoribus tuis procuras eſt dulcis ſuper mel & fauum, & omnia delectabilia.

Eya ora pro nobis,& impetra ſpiritum dulcem ſuauem mitem & erga omnes pium ac benignum:vt ad eam quam poſſides hæreditatem cœleſtem tecum peruenire valeamus.

8 Aue MARIA famoſiſſima virgo: *Cuius memoria in generatione ſeculorum* permanebit,& eſt toto orbe terrarum diffuſa.Beatam enim te dicunt & dicent omnes generationes,non ſolùm Chriſtiani,ſed etiam Sarraceni.

Eya tui memoria cum laude in nobis continua & perpetua perſeueret.

9 Aue MARIA virgo deſideratiſſima,*quam qui edunt* & ſuauitatem tuam deguſtant, téq; ſibi per imitationem incorporant, *adhùc eſuriunt* & cupiunt pleniùs eandem ſuauitatem experiri: *& qui bibunt* te, ac tuæ conſolationis ſolatio recreantur, téq; ſynceriter contẽplantes,rore gratiæ tuæ reficiuntur, *adhùc ſitiunt*, & optant eiſdem frequentiùs & abundantiùs recreari.

Eya ora pro nobis, & impetra vt te edamus, guſtemus, nobis incorporemus, téque contẽplantes rore cõſolationis potemur ſic vt magis ac magis te eſuriamus & ſitiamus.

10 Aue MARIA ſapientiſſima virgo. Quã

*qui audit*, doctrinis & exemplaribus tuis geſtis obtemperando *non confundetur*, imò à filio tuo & à te honorabitur.

Eya vtinam ſemper attendamus & aure cordis audiamus ac ſequamur tua exempla.

11 Aue MARIA virgo ſanctiſſima, *in qua qui operantur* viuentes & operantes ſecundum formam & exemplar tuæ ſanctiſſimæ conuerſationis, *non peccabunt*, inquantum ſic agẽt: & non deflectent à tuis veſtigiis.

Eya ora pro nobis & impetra vt in te & ſecundum ſanctiſſima tua exempla ſemper viuamus & operemur atque ab omni malo declinemus.

12 Aue MARIA lucidiſſima & clariſſima virgo, *quam qui elucidant*, id eſt, qui ex charitate, virtutes, proprietates, gratias, gloriam, & excellentias tuas proximis prædicant, exponunt & verbo aut ſcripto annunciant, *vitam æternam* pro præmio *habebunt*, dummodo perſeuerauerint in bonis vſque in finem.

Eya dignare nos laudare te virgo ſacratiſſima, tuáſque virtutes, priuilegia, excellentias & gloriam deuotè decantare, & aliis annunciare: tandémque ad vitam æternam tecum peruenire ad gloriam Dei omnipotentis. Amen.

*DEO GRATIAS.*

BIBLIOTECA ...

# INDEX EXERCITIORVM IN HOC OPERE CONTENTORVM.

## A

*Admonitio in generalem præparationem ante horas canonicas.* 84

*pro ſui Abnegatione, odio, & crucis amplexu oratio.* 470

*adiutoria & media ad ſui Abnegationem & Chriſti imitationem vtilia.* ibid.

*pro Abnegatione proprij ſenſus, iudicij & voluntatis oratio.* 473. & ſeq.

*pro virtutum Amore, & vitiorum fuga exercitium.* 477

## C

*Calendarium in quo præter ſolita feſta, continentur omnes SS. in R. Martyrologio expreſſi.* à 1. ad 82

*Confitendi formula pro ijs qui ſæpius confitentur.* 148

*poſt Confeſſionem oratio.* 153

*ante Communionem vel Miſſam oratio.* 155

*ad Communionem præparatio, inuitatio ſuaſio, fructus frequentis & dignæ communionis, & modus dignè communicandi.* 182

*ante Communionem breuius exercitium pro illis quibus non vacat diutius orare.* 197. & ſeq.

*orationes quotidianæ ante Communionem.* 201.

Chriſti

Chriſti patientis tormenta, & virtutes, noſtra prædictis Chriſti virtutibus contraria vitia, & Paradiſi præmia, per ſingulos hebd. dies meditanda. à 352. ad 367
ante Cibum orationes variæ. 367
Conſcientiæ ſæpius examinandæ methodus. 370
Conſcientiæ ſero examinandæ, & generaliter variæ exercitia. 373
pro Conciliorum impletione oratio. 468
pro Continentia à prohibitis oratio. 469
Corona prima in 5. coronulas diſtincta. 490 & ſeq.
Corona ſecunda. 501.
Coronæ ſalutationum B. Mariæ ex Endologijs Abbatis Bloſij. 511. & ſeq. vſque ad 554.
Coronula 5. Coronæ 13 ſalutationum B. Mariæ explicat cap. 24. Eccleſiaſtici. 691. & ſeq.
Corona 14. & cæt. 697. & ſeq.
pro Creationis beneficio & fine gratiarum actio & trium ſupremarum animæ virium in actibus propter quos ſunt creatæ exercitia. 461

## D

Oratio pro ſentienda Dei præſentia & directione intentionis. 464
amoris in Deum varij actus. 462
Directionis ſpiritualis imploratio pro prælatis, & alijs ſpirituali directore carentibus. 434

## E

Exercitium matutinum. 83
Exercitium matutinum. 147





## I

Inuocatio omnium BB. Spirituum, Angelorum, Archangelorum, Principatuū, Poteſtatum, Dominationum, Virtutum, Thronorum, Cherubin, Seraphin, & ſpecialiter BB. Michaëlis, Gabrielis, Raphaëlis & Angeli cuſtodis, pro ſingulis hebd. diebus. 157. & ſeq.
Inuocatio omnium SS. pro ſingulis Ferijs & præſertim eorum de quibus fit eo die. 165
Inuocatio Dei per ternaria, per ſingulos hebd. dies diſtincta, qua mens ad Dei notitiam, amorem & obſequium inflammetur. 173. & ſeq.

## M

ad B. Mariam, ſpecialia deuotionis exercitia in 12. articulos diſtincta &c. 482
ad B. Mariæ prædeſtinationem, vitam, compaſſionem, & glorificationem, &c. 490
Coronæ 12. ſalutationum ad B. Mariam in honorem coronæ 12. ſtellarum, qua in Apoc. coronata deſcribitur. 490. & ſeq.
Salutationes & obſeruationes ad B. Mariam diſtinctæ per coronas ex Cantico Canticorum deſumptæ. 555. & ſeq.
Vbi Canticum Canticorum exponitur vſque ad 691.
quæ Meditanda ſint dum ſacerdos ſacris veſtibus induitur & dum celebrat ad ſingulas orationes & cæremonias. 211
Meditatio, breuiſque & paraphraſtica expoſitio, cantus Angelici Gloria in excelſis Symboli Credo, Præfationis, ſacri Canonis Miſſæ, &c. Communionis poſt communionis & aliarum orationum Miſſæ. 217. & ſeq. vſque ad 279.
Miſſam celebraturus dum induitur nullam horam

canonicam dicat. 210
Poſt Miſſam gratiarum actiones & pia exercitia ſingulis hebd. diebus accommodata & BB. ſpirituum & SS. inuocatio. a 279. ad 331
Idem exercitium abbreuiatum à 331. vſque ad 345
quid agendum religioſis aſsiſtentibus Miſſæ Conuentuali dum nil cantatur, dum videlicet dicitur Epiſtola, Euangelium, Præfatio, &c. à 345. & ſeq.

O

Oblatio ſacrificij Miſſæ & meritorum Chriſti. &c. 55. 128.
Oblatio ſuipſius & reſignatio. 191
pro perfecta obedientia Obſecratio. 167.
Orationis Dominicæ & ſalutationis Angelicæ breuis explicatio. 99
Orationes ad Chriſtum & B. Virginem ante horas Canonicas. 120. &c.
Orationes poſt horas pro ſuppletione defectuum. 124. &c.
Orationes & exercitia varia pro directione intentionis ante quodlibet opus. 400
Orationes & oblationes poſt arduum aliquod, & quoduis bonum opus. 410
Orationes & exercitia pro ſui odio, abnegatione, crucis amplexu, delectabilium, hoc eſt, ſomni, cibi, ignis, &c. necaſſaria ſumptione, & quando laus, honor, fauor, &c. offeruntur. 412
Orationes & exercitia pro quauis cruce & pœnitentia in monaſterio iuſtè vel iniuſtè toleranda. 414. & ſeq. item. 421.
Orationes & exercitia prælatis propria per ferias hebd. diſtincta. 444





P

Præparatio ante horas canonicas dicenda poſt matutinas de Beata, vel ante matutinas diei. 91
Profeſsionis renouatio. 195
Propoſitum accipiendi omnia contingentia de manu Domini & conſcientiam examinandi. 479

S

Salutatio ad Virginem, mane vel noctu. 101
Salutationes ad BB. Archangelos Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, & proprium Angelum. 105. & ſeq.
Salutationes & inuocationes ſpecialium patronorum Ioan. Baptiſt. Ioan. Euang. Ioſeph, Ioachim, & Annæ, Petri & Pauli, Brunonis. &c. Magdalenæ, Barbaræ. SS. eo die occurrentium, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Monachorum, Virginum, & omnium SS. pro ſingulis hebd. dieb. à 110. ad 120
Serotina gratiarum actio ad Dei matrem, ad Angelos, ad SS. omnes, itémque oratio & aſpiratio ante ſomnum, &c. 383. & ſeq.